AULI

PERSII FLACCI

SATIRAE.

AULI

PERSII FLACCI

SATIRAE

AD CODICES PARISINOS RECENSITAE

LECTIONUM VARIETATE ET COMMENTARIO PERPETUO

ILLUSTRATAE

A NIC. LUD. ACHAINTRE.

ACCEDUNT

C. LUCILII SUESSANI AURUNCANI EQ. ROMANI

SATIRARUM FRAGMENTA

NEC NON SULPICIAE CALENI UXORIS SATIRA.

PARISIIS

SUMPTIBUS ET TYPIS FIRMINI DIDOT.

MDCCCXII.

AD LECTOREM.

VOLUMEN hoc, in quo satiræ sex A. PERSII, necnon C. LUCILII fragmenta continentur, diu exspectatum, tandem prodit in lucem. Quòd si præcedentibus D. JUNII JUVENALIS satirarum tomis, et Q. HORATII FLACCI operibus a me editis, anno M.DCCC.VI, Lector, adjunxeris, satirographorum Romanorum seriem universam habebis. Utque tibi tuisque studiis bene vertat, DEUS OPT. MAX. faxit! De meo labore nunc pauca dicam. Eumdem propemodum ordinem in distribuendis materiis, eamdemque in explicando contextu, aut in emendando rationem servavi: quidquid enim semel placuit non leviter neque sine causa deserendum. Iisdem igitur opibus adjutus, codicibus scilicet Bibliothecæ Parisinæ, Cornuti præterea, Britannici, Casauboni, Lubini, Pratei, et aliorum doctis elucubrationibus ditatus, rem difficultatis haud parvæ, fatebor, aggressus sum. Casauboni præstantissimum opus veluti fundamentum novi commentarii libenter recepi. At, cùm in eo multiplex et immensa eru-

ditio, pace tanti viri dicam, redundaret, inde tantum elicui quicquid ad propositum meum melius, commodiusve aptari posse mihi videretur: quando enim de scriptore tam recondito agitur, nihil præstantius, efficaciusve quàm explicatio simplex ac perpetua, quæ vel minimum lectori desiderandum relinquat. Commentarius igitur iste meus est quasi summa observationum quæ ad hunc diem de Persio nobis traditæ fuerunt, ad quas opportune accedunt inedita multa, quæ mihi vel occasio, vel amicorum benevolentia suppeditavit: atque, ut suum unicuique redderem, litteris initialibus varias notas signavi, suadente erudito viro FRANCISCO BOISSONADE, qui et in Persio edendo, ut antea in Juvenale, consiliis suis me perhumaniter adjuvit. Ne tamen, Lector, erres, id te præmonitum volo, scilicet, me non semper iisdem, nec totidem verbis quibus illi notas exarâsse; quas modo contraxi, modo produxi, pro ut poscerent series et ordo operis. Difficultates nonnullas et incommoda præ se ferre hunc interpretandi modum non diffiteor, at illæ nec sunt tantæ, quantæ quæ ex inconcinnis ac sine delectu direptis hinc et inde notis procedunt. Cùm ad utilitatem lectoris perpetuo attenderim, quod ei commodissimum foret

selegi, habitâ prius religiose reverentiâ quam nostris debendam magistris profiteor.

Atque utinam Lucilius integer servaretur; optimus vitæ præceptor, pictorque morum acutissimus! Id vero aliter, infelici nescio quo fato, accidit. Fragmenta permulta quidem satirographorum principis collegit, inter alios, Franciscus Dousa Jani filius, sed multimodis deformata, mutilata, atque parum proficientia ad rem poëticam aut satiricam; ideoque difficile admodum ex iis rectum de Lucilio ferri judicium posset: cùm autem aliunde multa grammatices ac philologiæ respectu perutilia præberent, præsertim propter verba innumera, venerandam antiquitatem redolentia, ea denuo typis mandanda curavi. Hæc autem debentur præsertim Ciceroni, Quintiliano, Diomedi, Gellio, Nonio, Festo, Servio, Isidoro, Charisio, Lactantio, qui, duobus tribusve exceptis, grammaticos inter claruerunt; unde fit, ut ea potissimum quæ arti suæ profutura judicarent excerpserint. Nostris autem fragmentis notulas magna ex parte ab iisdem scriptoribus acceptas subjunxi, quæ verba vetusta et obsoleta, vel difficiliora interpretarentur, quo major juventuti effloresceret utilitas.

Cæteroquin, eadem est forma volumini quæ

fuit nostro Juvenali, characteres iidem, eadem cura typographiæ adhibita, tum a nobismet ipsis, tum ab illustri nostro typographo, cujus constantiam liberalitatemque non possum satis laudare; quique, ut ante, observationes aliquot in notas sparsit litteris F. D. insignitas. Nonnulla me quoque debere fateor novis amicis, scil. omni doctrinâ ornato viro CHARDON DE LA ROCHETTE, qui me suorum monitorum honore non dedignatus est: neque etiam injusto premam silentio doctissimi Equitis HERBERTI CROFT miram in me benignitatem, qui, cùm multa in Persium diu meditatus esset, plurimas et exquisitissimas Ambiano ab urbe observationes ad me misit, præcipue textûs interpunctioni perutiles. Quòd si non omnes in commentarium meum inserucrim, iis tamen usus sum, imprimis ad operis per puncta dilucidationem.

Invenies demum, Lector, nonnullas adnotationes criticas celeberrimi quondam philosophi DIDEROT. Has ego recepi ex exemplari unico, quod Gallice dicimus *exemplaire d'épreuve*, versionis abbatis LE MONNIER. Folia quæque typis mandanda recensuerat Diderot, suasque marginibus emendationes manu scriptas apposuerat; atque ad doctum suum amicum miserat, ut

inde fructum caperet aliquantulum. Sin autem non eæ sint quæ tantum virum decerent, sicuti mihi visum est; at saltem, nec contemnendas nec prætermittendas judicavi, ut constaret quantum ego laboris susceperim, qui ne hilum quidem despexerim ad optimam auctoris nostri illustrationem, et, quod maximum reor, ad tuam, Lector, utilitatem commodumque certissimum. Uno verbo, inde judicare licet quanta sit fides adhibenda editioni quæ tot clarorum virorum, tum defunctorum, tum adhuc in terris degentium, lucubrationibus fuerit illustrata.

Quoniam res poscere videtur, ut de auctore nostro potissimum loquar, id paucis expediam. Persius Horatium simplicitate dicendi, lepore, urbanitate, non videtur assequi, nec Juvenalem magnificentiâ sententiarum, neque τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει, hâc, inquam, dictione splendidâ, vehementi, tragicâ, quæ auditorium frequens atque coronam theatri requirat, quâque Venusinum poëtam superare videtur Aquinas; sed et illi quoque sua laus est. Persius celer et expeditus in scribendo verborum parcimoniam gravitate sententiarum abunde compensat. Zenonis ac stoicorum dia dicta, stylo severo, non moroso tamen, sed contra ornato ac perpolito, in

memoriam omnium incidit: uno verbo, illustris ille stoicæ scholæ discipulus, versibus plane aureis, sonoris ac fluentibus hexametris, quantum pateretur lex operis, non oblitâ tamen stoicâ virilitate, nobis vitæ normam omnem, justi et injusti confinia, uno tantum libello ita descripsit, ut veram gloriam consecutus fuerit, teste Quintiliano, et majorem, teste Martiale, quàm si poëma epicum scripsisset: et, certe, sin minus de litteris, at saltem de moribus longe melius meritus est, quàm ipsi Horatius atque Juvenalis. Non possum ideo quin mirer negligentiam magistrorum hodiernorum, qui, dum toti in Virgilio et Horatio explicandis incumbunt, ne minimam quidem suis auditoribus particulam nostri vatis indulgent. An eos terret disciplina Στοᾶς; an Persii obscuritas? nescio. Utcumque est; id eos rogare velim, ut attentius considerent, annon eruditione suâ, quam elevare mihi non est animus, dignum esset, haud posthabitis tamen Virgilio et Horatio, Persium in scholis interdum legere atque discipulis suis explicare, qui simul et animum eorum præceptis suis sapientissimis, atque, fas mihi sit ita loqui, pene Christianis imbueret, et ingenium difficultate ipsâ acueret.

De obscuritate Persii jamdudum conqueruntur critici. Sed, ut recte observavit Vulpius, in libro suo de Satira Latina (p. 153), ea opinio ab inscitia et negligentia lectorum potius quàm a poëta ipso originem duxit : nihilominus idem criticus tres causas obscuritatis Persianæ in medium affert, quarum unam ipsi assignat auctori, alteram lectoribus, tertiam interpretibus. Et primum, multa sunt quæ Persium obscurum faciunt : imprimis, dictio tropica, eruditio recondita, et βραχυλογία, seu breviloquentia. Ex stoicis hauserat gravitatem magnificentiamque, eruditionem, ac præsertim hanc brevitatem in loquendo, quam passim affectabant. Præterea, translationes verborum, et locutionum grata quædam et venusta obscuritas eis perplacebant, in quibus sæpe constant vis et acrimonia, quæque in dialecticorum senticetis, quàm in rhetorum viridariis frequentiores sunt. Altera causa in ipsis lectoribus. Plerique enim imparati scriptores Latinos adeunt, nullâ præviâ antiquitatis notitiâ, quâ sublatâ, nec Persius, nec alii possunt intelligi. Multum enim discrepant ritus et consuetudines veterum a nostris, neque ex moribus hodiernis prisci æstimandi sunt : quapropter ampla supellectile opus est ad intelligentiam tum veterum,

tum præcipue Persii. Postrema denique causa in interpretibus: omnes nempe, si Turnebum, qui in integrum poëtam non commentatus est, excipias, nec Persium penitus intellexerunt, nec recte explicaverunt. Britannicus non usitato suo judicio usus est. Murmellii ecphrases vix tolerandæ sunt: Plautii et Badii Ascensii paraphrases insulsæ. Non loquor de versionibus in linguas recentiores: cunctæ enim Persium turpiter adeo deformant, ut ibi vix una satira lectu digna videatur. Superest igitur Casauboni commentarius. Nullus sane, si tantam eruditionem ferrent adhuc mores nostri, melius scopum attigit; et certe, voluissem opus celeberrimi hujus critici totum denuo typis mandari: at, hodie, vix intelligeretur Casaubonus ipse. Novus igitur commentarius et simplicior et debilitati nostræ accommodatior mihi necessarius visus est; sed in quo, omissâ non posthabitâ excellenti eruditione, Persius pure ac sincere explicaretur: quod quidem ego pro meis facultatibus tentare non dubitavi. At non id, Lector, dissimulare fas est: labore tibi opus est, namque:

Qui nucleum esse volt, necesse est ut frangat nucem.

Et vigiliis tuis prorsus dignus est candidus Cornuti discipulus: quas si patienter tolerare potis fueris, dulcissimos inde, tum ad vitam præsentem, tum ad futuram, fructus leges. Vive et vale.

N. L. ACHAINTRE, Parisinus.

INDEX

OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE OCCURRUNT.

PRAEFATIO.................................... P. *v*

Vita Persii ex Vet. Schol.................................... *xiv*

Alia Vita ex Jo. Britannico.................................... *xvj*

Alia Vita ab incerto auctore.................................... *xvij*

Testimonia de Persio.................................... *xix*

Elenchus codicum Persii.................................... *xxj*

Elenchus Editionum.................................... *xxvij*

A. PERSII FLACCI Satiræ sex cum commentario....... 1

Commentarii Veteres in Persium.................................... 185

P. Pithoei Emendationes in Vet. Comment.............. 198

SULPICIAE Satira cum notis.................................... 203

Jani Dousæ ad Sat. Sulpiciæ Schediasma................ 209

C. LUCILII Vita.................................... 221

C. LUCILII Fragmenta cum notis.................................... 227

Centones Luciliani.................................... 316

Auctores ex quibus Lucilii Fragmenta collecta sunt......... 323

Index Vocabulorum omnium Persii...... 325

Index Vocabulorum Fragmentorum Lucilianorum........ 355

A. PERSII FLACCI
VITA.

Aulus Persius Flaccus natus est pridie Nonas decembris, Fabio Persico, L. Vitellio Coss. Decessit VIII Kal. decemb. Rubrio Mario, Asinio Gallo coss. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus: decessit ad octavum milliarium, via Appia, in prædiis suis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia (1) mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano: et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII Volaterris: inde Romæ apud grammaticum Remnium Palæmonem, et apud rhetorem Verginium Flaccum. Cùm esset annorum XVI, amicitià cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet: a quo introductus aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum, et Calpurnium Staturam, qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus, illo tempore, tragicus fuit, sectæ stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci(2), ut vix retineret se illo recitante

(1) *Fulvia Sisennia.*] In quibusdam codicibus: Fulvia Sisenna mater nupsit postea Fuscio Eq. Romano. Et paulo post: Cessium Bassum et Calpurnium Statucam.

(2) *Mirabatur scripta Flacci.*] Al. Scripturam Flacci ut v. r. s. i. r. a. c. quin illa esse vere poëtica diceret.

a clamore, quin illa esse vera poëmata diceret. Sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Cl. Agaterni (3) medici Lacedæmonii, et Petronii Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et æmulatus, cùm æquales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus apud Thraseam est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit (4) circa $\overline{\text{HS}}$ XX matri et sorori: scriptis ad matrem codicellis, rogavit eam ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum, ut alii volunt, argenti facti pondera viginti, et libros circa DCC (5), sive bibliothecam suam omnem. Verum Cornutus, sublatis libris, pecuniam sororibus, quas frater heredes fecerat, reliquit. Et raro, et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit: versus aliqui dempti sunt in ultimo libri; et, quasi finitus esset, leviter recitavit Cornuto: et Cæsio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus Prætextam (6), et

(3) *Claudii Agaterni.*] Vet. sch. Claudii Agatumni medici Lacedæmonii, et Petronii Aristotecratis Magnatis Aristotelici, quos unice imitatus est.

(4) *Reliquit circa $\overline{HS}$ xx.*] Vet. S. Circiter sestertium vicies matri et sorori; scriptis tamen ad matrem codicellis.

(5) *Et libros circa DCC.*] In quibusdam codicibus additur, Chrysippi.

(6) *Prætextam.*] Quidam codices: Prætextam Vescio et opericarum: corrupte. Et paulo post: mirari homines et deperire cœperunt; et, detractis mox omnibus.

Ὀδοιπορικῶν librum unum, et paucos in sororem Thraseæ Arriæ matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri ejus, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, et deripere cœperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis XXX. Sed mox ut a schola et magistris deverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit: cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit, cujus versus in Neronem cùm ita se haberet,

Auriculas asini Mida rex habet,

in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

AULI PERSII FLACCI VITA

A JOANNE BRITANNICO CONSCRIPTA.

Aulus Persius Flaccus in Thuscia Volaterras habet patriam, quod Eusebius testatur, ipseque in ultima sua satira innuit, ubi ait:

.... Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multâ littus se valle receptat.
Lunaï portum est operæ cognoscere, cives.

Nam Luna est oppidum et portus Thusciæ, ut sentiunt Strabo et Plinius. Ostendit igitur poëta, se Thuscum esse, cùm ait:

Hybernatque meum mare.

Volaterræ oppidum est hoc modo ædificatum: in profunda valle sublimis et præceps undique collis exstat, cujus in vertice

planities est, in qua sita ipsius sunt urbis mœnia, atque stadiorum quindecim ascensus est. E cujus basi rupes tota ardua atque difficilis. Illic aliquando ex proscriptis a Sylla quatuor militum complentes ordinem, biennio per obsidionem pressi, tandem per inducias discedentes locum illum reliquerunt. Natus est ibi Persius, anno vigesimo primo imperii Tiberii, tertio anno post passionem Christi Dei nostri : mortuus anno ætatis suæ trigesimo, nono imperii Neronis, quo anno thermæ a Nerone ædificatæ sunt. Cùm litterarum causâ Romam venisset, annos egressus pueritiæ, in disciplina se tradidit Cornuto philosopho, ut ipse cecinit in quinta satira, ubi ait :

> Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit
> Bullaque succinctis laribus donata pependit:
> Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
> Socratico, Cornute, sinu.

Eum summâ pietate coluit et obedientiâ. Usus est amicitiâ in primis Minutii Macrini Brixiani, equestris ordinis, principis viri, singulari modestiâ, et fide : et Cæsii Bassi, poëtæ lyrici. Aetate jam adultâ, sex satiras mirâ carminis acerbitate scripsit, quæ nunc in manibus habentur, in quibus summa ejus ingenii virtus indicatur; unde non immerito Quintilianus eum multum veræ gloriæ meruisse, quamvis uno libro, prodidit. Quæ ab aliis traduntur de ejus vita, cùm auctoritate careant, mihi non probantur. Tenuium opum se fuisse declarat illic :

> Quis expedivit psittaco suum χαῖρε?
> Picasque docuit verba nostra conari?
> Magister artis, ingenîque largitor
> Venter.

VITA PERSII

AB ALIO AUCTORE BREVIUS DESCRIPTA.

Aulus Persius Flaccus pridie Nonas decembris, Fabio Prisco, Lucio Vitello Consulibus, natus est Volaterris Etruriæ civitate; qui a patre equite pupillus relictus

bonis litteris operam dedit ad duodecimum ætatis annum Volaterris: deinde Romæ apud Rhemnium Palæmonem grammaticum, et Virginium Flavium rhetorem. Annorum vero sedecim tradidit se Annæo Cornuto, qui Romæ stoicam professus philosophiam juventuti ad sapientiæ studium præibat. Decessit stomachi vitio, ad octavum in via Appia milliarium in suis prædiis, octavo Kalend. decembris, Rubrio Mario, Asinio Gallio, consulibus, anno Neronis octavo, cùm vixisset annos viginti octo.

TESTIMONIA VETERUM,

DE AULO PERSIO FLACCO.

M. Fabius Quintilianus, *lib. X, cap.* 1, *Institut. Orator.* Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas et abunde salis. Multo est tersior, ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus. Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur.

M. Valer. Martialis, *lib. I, epig.* 109, *seu lib. IV*, 29.

Obstat, chare Pudens, nostris sua turba libellis :
Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara juvant : primis sic major gratia pomis :
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.
Sic spoliatricem commendat fastus amicam,
Janua nec juvenem semper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis,
Esse puta solum : sic tibi pluris erit.

Hieronymus, *in Chron.* Anno imperii Tiberii trigesimo secundo, olympiade ducentesima, Persius Flaccus poëta Volaterris nascitur, et olympiade ducentesima decima moritur : cujus præceptor Cornutus philosophus postea in exilium pulsus est.

Cassiodorus, *in Fastis.* Gallo et Noniano consulibus, Persius Flaccus, satiricus poëta, Volaterris nascitur.

b.

DIOMEDES, *ex lib. III Grammat.* Satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, et ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compositum, quales scripserunt Lucilius, Horatius et Persius : sed olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, satira vocabatur, quales scripserunt Pacuvius et Ennius.

CASP. BARTH. *lib. VIII Epiderpid. epigr.* 52, *p.* 127.

TARRAEUS HEBIUS (*qui idem cum* BARTHIO) *lib. X, Amphitheatr. Sapient. epig.* 37, *p.* 160.

Ut a liquore potus Hippocrenæo
Dat crudita, Persius, sed obscura.

IDEM TARR. HEBIUS, *lib. XXIV, Amphitheatr. Serior. Joc. epig.* 53, *p.* 393.

Ut vitia expurges, scrutabere mentem animi ipsam,
Ut Flaccum capias, omnia docta tene.
Dum discis vatem, vitii natura patescit,
Hic vere scripsit legitimam satiram.

IDEM, *ibid. epig.* 59, *p.* 54.

Sint saturæ satiræ doctrinâ et moribus altis,
Ebrius est istis Persius, ergo duplex.

ELENCHUS CODICUM MSS.

A. PERSII FLACCI SATIRARUM,

QUI NUNC EXSTANT

IN BIBLIOTHECA PARISIENSI,

QUIQUE A NOBIS FUERUNT COLLATI.

I. *Codex Mazarineus* (3110).

Vide Elenchum codd. mss. Juvenalis, T. II, p. 33, edit. nostræ.

II. *Colbertinus I* (8055).

Codex membranaceus, in fol. constans 218 foliis. Exhibet Papinii Statii Thebaidos libros XII, decimo sæculo exaratos, A. Persii Flacci satiras undecimi sæculi, et Senecæ tragœdias, XIV sæculo, eleganti simul et a docta manu scriptas, cum figura et majusculis auro et coloribus distinctis in Seneca. Maximi fecimus hunc codicem.

III. *Codex Fauchetii* (8070).

Vide Elench. codd. mss. Juven. T. II, p. 34, nostræ edit.

IV. *Codex Puteanus* (8048).

Membranaceus, in fol. constans 123 foliis. Habet Persii satiras XI sæc. quibus præfigitur vita ejusdem, sed non integra; Ovidii librum de Remedio Amoris, Avieni fabnlas, librum Sereni de Remediis, Sancti Bernardi vitam, M. Tullii Cic. lib. de Oratorio Officio, et alia opuscula, non eodem ævo exarata. Quod ad nostrum poëtam spectat, mendosissimus est

iste codex, et ab indocto scriba male verba dictantis percipiente scriptus.

V. *Colbertinus II* (8049).

Codex membranaceus, in fol. constans 46 foliis, partim undecimo, partim sequentibus sæculis exaratus. Præter satiras Persii XI sæc. exhibet Petronii satiricon, P. Syri sententias. Recte et ab eleganti doctâque manu scriptus est, et e bono ductus exemplo. Præterea satiris præfigitur vita Persii. Inter lineas et marginibus, in duabus prioribus satiris, assuta fuerunt scholia brevissima. Nonnullius est pretii iste codex.

VI. *Colbertinus III* (8272).

Membranaceus in 4°, constans 16 foliis, XI sæculo exaratus: clare et nitide scriptus, et ex optimo exemplari ductus, in quo perpaucæ deprehendi possunt mendæ. Maximæ fuit apud nos auctoritatis, et eo frequenter usi sumus. Habet Persium solum cum scholiis Cornuto attributis, tum marginibus, tum inter lineas sparsis. Codice isto multoties usi fuimus, et ejus varias lectiones sedulo notavimus. Hic versus ad calcem reperitur:

Explicit intortuf per totum perfiuf orbem.

VII. *Codex Pithoei I* (8246).

Membranaceus in 4° minori, constans 137 foliis, XIII sæc. exaratus. Exhibet, 1° Ovid. lib. de Remedio Amoris cum glossis; 2° Tobiæ lib. versibus latinis, auctore Matthæo Vindocinensi; 3° Proverbia varia, sive sententias, auct. anonymo; 4° A. Persii Flacci satiras cum glossis; 5° Catonis disticha, cum commentario; 6° Gaufridi Anglici poëtriam novam ad Innocentem III papam, cum glossis et scholiis; 7° Anonymi librum cui titulus, *Facetiæ;* 8° Aemilii Macri carmen de virtutibus herbarum. Nonnulla ex his sunt XIV sæculi. Persius autem XIII sæculi. Cæterum bene et accurate satis scribitur iste codex, sed charactere Gothico minusculo.

VIII. *Colbertinus IV* (6487).

Membranaceus, in fol. Habet librum, cui titulus, *Breviloquium de virtutibus antiquorum principum* XIV sæc. M. Servii Honorati grammat. centimetrum, ad Albinum, undecimi sæc. Persii satiram primam cum vita ejusdem sæc. XI, et Apollonii Tyrii gesta, XIV sæculi.

IX. *Codex Thuancus, post Colbert.* (7984).

Vide Elenchum codd. Juvenalis, T. II, p. 37 nostræ edit.

X. *Codex*, n° 6098.

Chartaceus in 4° min. constans 179 foliis. Videtur exaratus exeunte XIV sæculo, vel ineunte XV. Sallustii quæ supersunt omnia refert cum fragmentis, Horatii Flacci epistolarum libros II, cum scholiis, et Persii satiras cum scholiis. Recte et accurate scribitur iste cod. Inscribitur est D. D. *Noailles*, in catalogo impresso mss. regiorum.

XI. *Codex absque nomine* (8050).

Membranaceus in fol. constans 18 foliis, accurate scriptus et emendatus, cum scholiis brevissimis, tum marginibus, tum inter lineas appositis. Nullum aliud opus exhibet, præter Persii nostri satiras. Hæc porro ad calcem leguntur :

eſt filıı olım cları, eſt patrıſ ıam cları.

ut ab omni culpa expier ego scriptor,
scito me scriptorem fuisse ob posse meum.
sed quia non pauca difficultas me superabat, quampluries me pictorem fuisse manifesto.

ut habui a quodam, tuus amicus flanceschinus de albiciis habet alium persium, et ideo si ambigeres, ipsum pete ad corrigendum.

1321 mſıs ſeptımı ab ımbre.

XII. *Codex Pithoei II* (8072).

Vide Elenchum codicum Juvenalis, T. II, p. 35 nostræ edit. In hoc codice Persii, satiræ exaratæ sunt in cod. separato, ut diximus, XII foliis constante. Scriptura spectat ad XV sæculum. Præterea inscribitur *Latiniac.*

XIII. *Codex absque nomine II* (8273).

Membranaceus in 4°, constans 99 foliis, ineunte XV sæculo, egregie et a manu docta in Italia scriptus. Præter satiras, habet vitam Persii et commentarium Cornuto attributum.

XIV. *Codex absque nomine III* (8274).

Sub eodem signo arithm. reperiuntur tres codices satirarum Persii, omnes eodem sæculo XV exarati. Primus, chartaceus, 12 foliis constans, exhibet tres satiras Persii integras, et tertiæ magnam partem usque ad vers. 108, recte scriptus, sed parum accurate, et parvi momenti. Alter, membranaceus, complectitur omnes satiras sine notis, sat bene curatas, sed mendis ubique refertas. Ad finem cujus hæc legenda sunt:

Ef ſılueſtrınuſ labor o mea cura lıbelle
Quem ınea te ſcrıpſıt ıngenıoſa manuſ.

Deinde, carmen cui titulus: *Ovidius de vocibus appropriatis avibus et quadrupedibus;* et primum de *Philomela*, sic incipiens:

Dulcis amica veni noctis solatia præstans;
Inter aves etenim nulla tui similis, etc.

Tertius demum, chartaceus, 13 foliis constans, habet Persium integrum cum scholiis copiosissimis. Satis eleganter et accurate exaratur, et est optimus.

XV. *Codex Mentellianus* (8282).

Chartaceus in 4° min. constans 135 foliis, sæculo XV

exaratus. Complectitur Statii Sylvas, Persium cum notis, et alia opuscula. Sat bene scriptus et exaratus, necnon inter optimos annumerandus.

XVI. *Thuanéus II, post Colbert.* (8290).

Vide Elench. codd. Juvenalis, T. II nostræ edit. p. 37.

XVII. *Codex absque nomine* (8291).

Ibidem, p. 39.

XVIII. *Codex Colbertinus V* (8293).

Ibidem, p. 37.

XIX. *Codex absque nomine* (8610).

Membranaceus in 4° min. constans 88 foliis. Exhibet Leonardi Aratini librum, ad Cosmum Medicem, et satiras Persii. Finis vero sextæ a versu 27 desideratur. Nitide scriptus, et accurate habitus, doctam manum prodit, et in eo perpaucæ deprehenduntur mendæ. Ad calcem operis Aratini hæc sunt:

Explicit liber Leonardi Aratini, per me Ludovicum Grati (vel Gati) *de Bugella. sub anno Dom. millessimo quatracentessimo quinquagessimo tertio. inditione primâ. et die vero xxvij iulii.*

Amen.

XX. *Codex noster.*

Membranaceus in 4° minori, constans 80 foliis, sæculo XV ineunte, in Italia exaratus, charactere Romano minusculo, leviter et bene scriptus cum initialibus auro variisque coloribus depictis. Ex bono videtur ductus exemplo. Exhibet Juvenalem et Persium integros sine notis. Eum cum textu nostro a verbo ad verbum contulimus, ejusque varias lectiones sedulo notavimus. Non adhuc in nostra erat potestate cùm Juvenalis satiras in lucem emisimus; quapropter, co ad Persium solum

recensendum usi sumus. In primo folio, quod dicimus *feuille de garde*, hæc scribuntur : *Ex Vaticana ;* paulo post : *mei Ludovici Areosti.*

CODICES EX ITALIA ALLATI.

Quidquid in altero volumine editionis Juvenalis de iis codicibus diximus, hic apprime convenit. Vide pagg. 39 et 40, nos 111 — 451, 112 — 453 et 455. Præterea, usi sumus duobus codicibus monasterii Sancti Salvatoris de Bononia, nos 112 — 40c, et cod. Sorbonic. III, n° 1767. Vide p. 40, 41 et 42, T. II, nostræ editionis Juvenalis.

ELENCHUS
EDITIONUM PERSII,
Ab anno 1470, *ad annum* 1801.

XV SAECULI 1470—1501.

D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Satiræ, editio vetus, absque anni nota, loci et impressoris nomine, sed eodem charactere notabilis, quo Liber cui titulus est, *Decor Puellarum*, per Nicol. Jansson. Persius habet 11 fol. .... 4°.

(Catalogue de La Valliere, T. II, p. 102.)

D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Satiræ, Romæ, apud Udalricum Gallum, anno 1470. f°.

N. B. Aliam veterem editionem Persii unius ego habui in auctione publica, quæ princeps mihi visa est; nisi forte, ab ea quæ supra exhibitur Catal. De La Vall. distracta fuerit.

Editiones porro sequentium annorum sunt communes Juvenali et Persio: quapropter, vide Elenchum Juvenalis, nostræ editionis, T. II, p. 51 et seqq. Eas tantum memorabimus, quas Persium solum habere noverimus.

A. Persii Flacci Satiræ. Editio perantiqua, absque anni et impressoris nota. .... f°.

Persii Lucilii Flacci poëtæ satirarum Liber, absque anni, loci et impressoris nota. .... f°.

Ad finem, folio verso, hæc leguntur:

Liber Persii Lucilii Aulii Flacii
Feliciter finit.

Et infra:

Explicit ignotus (lege *intortus*) per totum Persius orbem.

Constat 12 foliis, et paginæ cuique 30 sunt lineæ. Character vero pertinet ad *Flachen*.

(Catalogus Cardinalis De Loménie, T. I, p. 165.)

A. Persii Flacci Satirarum Opus. Anton. Denidel, absque anni nota, Parisiis, ... 4°.

(Catalog. de La Vallière, n° 12717.)

A. Persii Flacci Satiræ cum glossis Scipionis Ferrarii, absque anni et impressoris indicatione, Ferrariæ, ... 4°.

(Bibl. du Panthéon.)

Cantalycii Clari commentarius in Persium, Francisco Mariæ episcopo Viterbiensi dicatus, circa annum 1472.

A. Persius Flaccus, Ferrariæ, 1474. f°.

A. Persius Flaccus, per Jo. de Westphalio, Lovanii, 1475. f°.

A. Persii Flacci Satiræ cum commentario Fontii, Venetiis, 1480 f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Jo. Britannici, per Mag. Gabrielem Tarvisinum et Paulum filium ejus, Brixiæ, 1481.

A. Persii Flacci Satiræ, per Baptist. de Tortis, Venetiis, 1482. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, Daventriæ, 1482. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Barth. Fontii, per Renaldum de Novimagio, Venetiis, 1482. f°.

A. Persii Flacci Satiræ cum comment. Barth. Fontii, per Bapt. de Tortis, Venetiis, 1484. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, per eumdem, Venetiis, 1485. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Jo. Britannici, per Jacobum Britannicum, Brixiæ, 1486. f°.

(Juvenalis prodiit eodem anno.)

A. Persii Flacci Satiræ, cum commentariis variorum, Venetiis, 1489. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Bernardinum Benalium Bergomensem et Mattheum Capcasam Parmensem, Venetiis, 1491. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Theodor. de Ragazonibus, Venetiis, 1492. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Jo. de Tridino, Venetiis, 1494. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Fontii et Britannici, Venetiis, 1495. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, Venetiis, 1497. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Cornuti, Britannici et Fontii, per Jo. de Tridino, Venetiis, 1499. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, Parisiis, 1500. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ cum comment. Jo. Britannici, Lugduni, 1500. 4°.

A. Persii Flacci Sat. cum comment. Jo. Britannici, Brixiæ, 1500. f°.

XVI SAECULI 1501—1601.

A. Persii Flacci Satiræ, Lipsiæ, 1502. f°.

A. Persii Flacci Sat. cum comment Britannici, Brixiæ, 1503. f°.

P. A. Persii familiaris explanatio cum Jo. Britannici eruditissima interpretatione, ap. Jo. Petit, Parisiis, ... f°.

(Hæc editio nostra est.)

Publ. Aul. Persius, cum comment. Jo. Britannici et Ascensii. *Venundatur Lugduni, a Stephano Gueynard, præfatæ urbis bibliopola et cive, in vico Mercurialiter, vulgariter,* en la rue Merchiere, *prope Sanctum Antonium, solerti opera Johannis de Vingle, anno salutis millesimo quingentesimo VI, ultimâ Julii.* Præfigitur epistola Badii, data ex officina Lugdunensi 1499 ad kal. VI febr. Lugduni, 1506. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Melch. Lotter, Lipsiæ, 1507. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Martin. Herbipolensem, Lipsiæ, 1507. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum familiari explanatione et interpret. Jo. Britannici; præmissæ Beroaldi et Politiani in Persium prælectiones, Lugduni, 1507. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum familiari explanatione

Jo. Britannici, apud J. Petit, Parisiis, 1507. 4°.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persii Flacci Satiræ, cum facili explanatione Jo. Britannici, Lugduni, 1510. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, impressæ forte per J. A. Scinzenzeler, 1515.

A. Persii Flacci Satiræ, Lipsiæ, 1515. 4°.

Castigatissimum Persii Poëma, cum Jo. Bapt. Plautii frugifera interpretatione, necnon cum Cornuti philosophi, Jo. Britann. ac Barthol. Fontii aureis comment. per Joh. Rubeum Vercellensem, Venet. 1516. f°.

Nova commentaria in Persium simul A. Persii Flacci Satiræ, cum ecphrasi et scholiis Murmellii Ruremundensis, ex officina Qentell, Coloniæ, 1517. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum interpret. Jo. Britantannici, Parisiis, 1520. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, eum comment. Jo. Bapt. Plautii, Cornuti, Britannici et Fontii, ap. Bernardinum de Vian, Venetiis, 1520. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, J. Murmellii scholiis illustratæ, absque anni, loci et impressoris nota, ... 8°.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persii Flacci Satiræ, luculentissimâ ecphrasi et scholiis doctissimi viri Jo. Murmellii enarratæ, in ædibus Eucharii Cervicorni, Coloniæ, 1522. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum quinque commentariis et eorum indice amplissimo ac satirarum argumentis Jodoci Badii Ascensii, in ædibus ejusdem, Parisiis, 1523. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Jo. Britannici, et argumentis Badii, *Lutetiæ, secundâ die octobris MDXXV. in vico Carmelitarum, per Nicol. Le Savetier, sub insigne Silvestris Hominis*, Lutetiæ, 1525. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum quinque comment. et

et Johan Scopæ annotationibus, Paris, 1525. f°.
(Bibl. de l'Arsenal.)

A. Persii Flacci Satiræ, cum notis Ael. Ant. Nebrissensis, ap. Rob. Stephanum, Parisiis, 1527. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum notis Ael. Anton. Nebrissensis, Lucronii (in Hispania), 1529. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum scholiis Jo. Murmellii, et epist. Herman. Buschii, ap. Christ. Wechel, Parisiis, 1531. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, Basileæ, 1531. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum schol. Murmellii, ex officina Christiani Wechel, Parisiis, 1538. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ obscurissimæ alioqui lucu-lentissima ecphrasi et schol. Jo. Murmellii illustratæ. Accedunt Des. Erasmi Roterod. annotationes, et Herman. Buschii epistola. Excudebat Jo. Gymnicus, Coloniæ, 1538. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, Antverpiæ, 1541. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, per Nicol. Paris, Trecis. 1542. 8°.

A. Persius cum Plautii, Cornuti, Britannici et Fontii commentariis, August. Vindelicorum, 1544. f°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum notis Murmellii et Erasmi, ap. Wechel, Paris. 1546. 8°.

A. Persius, cum notis Murmellii et Erasmi, apud Wechel, Paris. 1553. 8°.

A. Persius Flaccus, cum Ant. Foquelini comment. Paris. 1555. 4°.

A. Persii Flacci Sat. VI, cum doctissimis cujusdam viri, scil. Turnebi comment. Apud Th. Richardum, Paris. 1555. 4°.
(Bibl. Impér.)

A. Persius Flaccus, ap. Rob. Stephanum, Paris. 1558. 4°.

A. Persius Flaccus, cum comment. A. Cornuti et

Eliæ Vineti Santonis, apud Enguilbertum Marnefium, Pictavis, 1560. 4°.
(Bibl. Impér.)

A. Persius Flaccus, cum iisdem comment. Pictavis, 1563. 4°.

A. Persius Flaccus, Lugduni, 1564. 12.

A. Persius Flaccus, ex recens. et cum notis Th. Pulmanni, ap. Christ. Plantinum, Antverpiæ, 1564. 8°.

A. Persius Flaccus, Latine et Gall. per Guill. Durandum, Paris, 1575. 8°.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persius Flaccus, cum notis variis Theodori Freigii, ap. Petrum Pernam, Basileæ, 1578. 4°.

A. Persius Flaccus, cum indice vocabulorum, Paris. 1579. 4°.

In A. Persium Flaccum notæ Engelberti, Lipsiæ, 1580. 4°.

A. Persius Flaccus, cum paraphrasi Frischlini, notisque Engentini et Foquelini, apud Lecythrum, Basileæ, 1582. 4°.

A. Persius Flaccus, cum versione G. Durandi, Parisiis, 1586. 8°.

A. Persius Flaccus, cum paraphrasi Frischlini, Francofurti, 1587. 8°.

A. Persius Flaccus, per Nicod. Frischlinum, ex vet. cod. fide, paraphrasi luculentâ illustratus, Engentini et Foquelini comment. illustratus, apud Pernam, Basileæ, 1592. 4°.
(Bibl. Impér.)

A. Persius Flaccus, cum paraphrasi et notis Eilhardi Lubini, apud Zachar. Heyns, Amstelodami, 1595. 8°.

A. Persius Flaccus, cum paraphrasi et notis Nicodemi Frischlini, Francofurti, 1596. 8°.

A. Persius Flaccus, cum ecphrasi seu paraphrasi et scholiis Francisci Sanctii Brocensis, Salmanticæ, 1599. 8°.

A. Persius Flaccus, cum paraphrasi Fed. Ceruti, Aug. Vindelicorum, 1599. 4°

XVII SAECULI 1601 — 1701.

A. Persius Flaccus, cum comment. Theod. Marcilii, Jo. Tornorupæi, L. A. Cornuti, et El. Vineti Santonis notæ, ap. Cl. Morellum, Parisiis, 1601. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, cum commentario Eilhardi Lubini et annot. Pulmanni, Amstel. 1602. 8°.
(Bibl. de MM. les Avocats.)

A. Persius Flaccus, in Corpore poëtarum, ap. Samuel. Crispinum, Aurel. Allobrogum, 1603. 4°.

A. Persii Flacci Satiras recensuit et commentario illustravit Isaacus Casaubonus, ap. Henr. Drouart, Parisiis, 1605. 8°.

A. Persius Flaccus, cum notis et paraphrasi Eilhardi Lubini, Hanoviæ, 1607. 8°.

A. Persii Flacci Sat. Liber singularis, apud Fouet, Parisiis, 1607. 8°.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persii Flacci Sat. cum comment. Eilhardi Lubini, Franequerræ, 1607. 8°.
(Catalogue du maréchal d'Estrées.)

A. Persius Flaccus, in Corpore poëtarum, ap. Crisp. Genevæ, 1611. 4°.

A. Persius Flaccus, cum notis Thomæ Farnabii, Londini, 1612. 8°.

A. Persii Flacci Sat. cum commentariis Cornuti, El. Vineti, Jo. Britannici, cumque Phil. Beroaldi oratione in enarratione Persii, Angeli Politiani prælectione in eumdem, P. Pithoei var. lect. et Theod. Marcilii emendationibus et commentario, ap. Cl. Morellum, Parisiis, 1613. 4°.

A. Persii Flacci Satiræ, ex officina Rob. Stephani, Parisiis, 1613. 12.

Eædem, Coloniæ Agrippinæ, 1613. 12.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Marcilii, apud Orry, Parisiis, 1613. 4°.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persius Flaccus, cum notis posthumis Johannis Bondii, Londini, 1614. 8°.

A. Persii Flacci Sat. ex recensione et cum comment. Isaaci Casauboni, apud Henr. Drouart, Parisiis, 1615. 8°.
(Hâc editione usi sumus.)

A. Persius Flaccus, sed expurgatus in editione Chori poëtarum Alexandri Ficheti, Lugduni, 1617. 4°.

In A. Persii Flacci Satiras I et II Asterii Manlii comment. et notæ, Parmæ, 1621. 4°.

A. Persius Flaccus, cum notis posthumis Jo. Bond. Norimbergæ, 1625. 12.

A. Persius Flaccus, cum notis posthumis Jo. Bond. Norimbergæ, 1631. 12.

A. Persius Flaccus, ap. Rob. Stephanum, Parisiis, 1634. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ cum notis J. M. Dilherri, Jenæ, 1635. 12.

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. posthumis Jo. Bond. ap. Ant. Vitray, Paris., 1641. 8°.
(Bibl. Impér.)

A. Persii Flacci Satiræ, cum comment. Jo. Bond. ap. Seb. et Gabr. Cramoisy, Paris., 1644. 8°.
(Hâc editione usi sumus.)

A. Persius Flaccus, Friburgi, 1644. 8°.

A. Persii Flacci Satiræ, ex recensione et cum notis Isaaci Casauboni, Londini, 1647. 8°.
(Catalogue de Falconet)

A. Persii Flacci Satiræ, cum notis Farnabii, Amstel. 1650. 12.

A. Persii Satiræ, cum commentario Davidis Wedderburni Scoti Abredonensis, edente post mortem fratris Alex. Wedderburno, apud Elzevirium, Amstelodami, 1664. 12.

A. Persii Flacci Satiræ, cum ejusdem comment. Elzevir. Amstel. 1668. 12.

A. Persii Flacci Satiræ, Turonibus, 1686. 12.
(Catal. de Falconet.)

A. Persins Flaccus, cum commentario Henrici Scalesii ordinis Fr. Pecc. 3 vol. Neapoli, 1690.

XVIII SAECULI 1701—1800.

A. Persii Flacci Sat. in Mich. Maittarii collectione, T. II, p. 884—889, Londini, 1713. f°.

A. Persii Flacci Sat. cum comment. Wedderburni, ap. Tonson, Londini, 1716. 12.
(Bibl. Impér.)

A. Persius Flaccus, enucleatus, sive comment. in Pers. Amstel. 1764. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

A. Persii Flacci Satiræ, ex officina hered. Vagneri, Bernæ, 1765. 12.
(Bibl. du Panthéon.)

A. Persii Flacci Satiras sex ad fidem optimarum editionum, una cum variis lectionibus codicis Ebneriani edidit Georg. Frid. Sebaldus, tabulisque æneis incidit Jo. Mich. Schmidius, sumptibus Balth. Schmidii heredum, Norimbergæ, 1765. 8°.

VERSIONES PERSII.

GALLICAE.

Les satires de Perse, traduites en vers français, par Abel Foulon, Paris, 1544. 8°.

Les satires de Perse, traduites par Durand, avec le texte en regard, Paris, 1586. 8°.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Les satires de Perse traduites en français, par le président Nicole, Paris, 1656. 12.

Les satires de Perse, traduites par le Sieur Gefrier, Paris, 1658 8°.

Les satires de Perse, traduites par Sylvecane, Lyon, 1697. 8°.

Les satires de Perse, traduites par M. Le Noble, Paris, 1704. 12.

Les satires de Perse, traduites en français, avec des notes, le texte et les figures, Berne, 1765. 8°.

Les satires de Perse, traduites par M. Carron le Gibert, Amsterdam, 1771. 8°.

Les satires de Perse, traduites par M. l'abbé Le Monnier, chez Jombert, Paris, 1771. 8°.

Les satires de Perse, traduites en vers et en prose, pour servir de suite aux satires de Juvénal, avec un discours sur la satire, par M. Dreux du Radier, Paris, 1772. 8°.

Les satires de Perse, avec des remarques et un discours sur Perse, par M. Sélis, Paris, 1775. 8°.

Les satires de Perse, traduites en vers français, par M. Taillade d'Hervillier, Paris, 1776. 8°.

ANGLICAE.

Persius, ex metaphrasi præstantissimorum poëtarum Diepneyi, Drydenii, Creechii et Congrevii, cum notis et dissertatione de natura, origine et progressu satiræ, ...

(Vide Fabricium.)

GERMANICAE.

Joh. Sam. Adami, kays. gekr. Poet, verdeutschter Persius in sechs Satyren, Dresden, 1674. 8°.

Des roemischen Poeten Persii sechs Satyren, in die teutsche Sprache übersetzet, mit nüzlichen Anmerkungen, auch mit den besten Phrasibus und einer accuraten lateinischen Edition versehen von M. Joh. Benj. Dragheim, Rostock, 1725. 8°.

A. Persii Satiren. Aus dem Lateinischen übersetzet und mit Anmerkungen erlæutert, von Joh. Dan.

Heyden. Leipzig, Breitkopf, 1738. 8°.

Die Satiren des Aulus Persius Flaccus, sammt einer erklærenden Uebersetzung, Berlin, Decker, 1775. 8°.

A. Persius Fl. Satiren, Text und Uebersetzung, mit Einleitung und Erlæuterungen von G. G. Fülleborn. Züllichau, Frommann, 1794. 8°.

A. Persius Fl. Satiren, übersetzet von J. A. Nasser. Kiel, Akadem. Buchhandlung, 1807. 8°.

A. Persius Fl. von Fr. Passow. 1r Theil. Text und Uebersetzung; über das Leben und die Schriften des Persius, Aumerkungen zur ersten Satire. Leipzig, leischer, 1808. 8°.

HISPANICAE.

Persius, interprete Diego Lopez Valentino, Burgos, 1609. 8°.

ITALICAE.

Le oscurissime satire di Persio, con la chiarissima spositione di Giovani Antonio Vallone, Neapoli, 1576. 8°.

Persio tradotto in verso sciolto da Francesco Stelluti, in Roma, 1630. 4°.

Le satire di A. Persio, tradotte in verso Toscano da Ant. Mar. Salvini, in Firenza, 1726. 4°.

Hæ sunt editiones quæ Fabricio, Maittario, Sociis Bipontinis, et nobis innotuerunt; inter quas sedes primas occupant Britannicæ, Pithoeanæ, Casaubonianæ et Henniniana 1695, 4°. Multos interpretes habuit Persius. Scilicet, in enm, præter alios, commentati sunt Aelius Ant. Nebrissensis, vulgo de Lobrixa, Hispanus, Murmellius scholæ Lutgerianæ, post Alemariæ, demum Daventriæ professor, Jo. Bapt. Pius, Barth. Fontins Corvini Hungarorum regis familiaris et bibliothecarius, Foquelinus (Foquelin de Chaulny en Vermandois), Tornorupæus, et Wedderburnns Scotus. Sed eos omnes prætergressus est doctissimus et celeberrimus Casaubonus, suâ famâ satis notus.

PROLEGOMENORUM FINIS.

ARGUMENTA SATIRARUM.

PRIMA LEVES CARPIT VATES, MOLLEMQUE NERONEM.
CARPIT AVARITIAE MALA VOTA PRECESQUE SECUNDA.
TERTIA DESIDIAM JUVENUM FASTUSQUE LACESSIT.
IN QUARTA STULTUS REX CENSORESQUE NOTANTUR.
CORNUTUM LAUDANS APERIT PENULTIMA SERVOS.
IN SEXTA HEREDI TAXAT NIMIUM CUMULANTEM.

A. PERSII FLACCI

SATIRAE.

PROLOGUS.

NEC fonte labra prolui caballino:

More dramaticorum, quibuscum magnam affinitatem habet, prologo usus est Persius. Cæteri autem poëtæ Persio vetustiores vel procemio abstinuerunt, vel illud ab opere legitimo non separaverunt, ut in Aeneid. Virgilii videre est. Posterior tamen ætas procemia hujusmodi frequentavit, modo versu, modo solutâ oratione, ut Statius et Martialis, Ausonius interdum, et præsertim Claudianus elegiaco semper carmine. Duplex autem hujus carminis argumentum, sicuti ejusdem duplices sunt partes, versuum ambæ septenorum. Primi septem versus mixtum habent argumentum: de se enim poëta προηγουμένως, obiter vero de æqualibus sibi poëtis, quos traducit: posteriores septem meram continent aliorum poëtarum irrisionem. *Casaubonus.* Perperam igitur hunc prologum ænigma vocat J. Bondius; cùm sit, ut satira prima, jocis salibusque refertus; quod in unoquoque versu interpretando videbitur. A.

1. *Nec fonte labra prolui caballino.*] Sua sic extenuat, ut simul ineptorum hominum, plerorumque etiam Romanorum, quibus, jam inde ab Augusti temporibus, poëtandi studium, familiaris morbus, cacoëthes fuit, obiter fastum retundat, et urbane castiget. —*Nec.... labra prolui.* Jam, inquit, satiras scripturus, vix dum labra admovi Pegaseo fonti, nedum immersis labris ad satietatem hauserim. Eos irridet qui videri volebant totum illum fontem hausisse, et fortasse privatim aliquem tangit, qui tale quid de se νεανικώτερον, sæculi vitio usus, jactaverat. —*Fonte.... caballino.* Summum etiam hæc vox aculeum habet. Poterat enim sic: *nec fonte equino labra mersimus nostra;* maluit autem *caballino*, quòd istud nomen inhonestius sit, et ea vox contemnenti et subsannanti aptior. Καβάλλης enim Græcis, et Latinis *caballus*, non quivis equus dicitur, sed jumentum dossuarium, ταλαεργόν. Sic Seneca, epistolâ LXXXVII: *O quantum erat*

Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconiadasque, pallidamque Pirenen

sæculi decus, imperatorem triumphalem, censorium, et quod super omnia est, Catonem uno caballo esse contentum! Ita verborum delectu satiricam vim auget. Nam, *prolui labra*, jumentorum more, qui dimidium fere caput aquis immergunt. *Caballino*, non *Pegaseo*, quod ad ridiculam poëtarum sui temporis vanitatem retundendam, ut jam diximus, potissimum valet. Hunc autem fontem, de quo loquitur poëta, Hippocrenem esse, ἡ ἵππου κρήνη, montis Heliconis, inde ortum ex ictu ungulæ Pegasi salientis, Bellerophontis equi, e quo bibentes statim poëtas fieri, omnibus vel tironibus notum. Hæc partim ex *Cas.*

2. *Nec in bicipiti somniasse.*] Quemadmodum illi, qui e fonte supra memorato hauserant, fieri poëtæ credebantur; ita et illi qui montes vicinos Heliconem, Cithæronem et Parnassum conscenderent, aut inibi versarentur. Quæ superstitio Homero atque Hesiodo recentior est, ap. quos nil tale quid invenitur. Hesiodus huic fabulæ occasionem forte præbuit, qui sic:

> Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.

ait se factum poëtam, cùm pasceret oves in Helicone; quod insecuta ætas accepit, quasi dixisset, ideo se poëtam evasisse, quòd in Helicone versatus esset; sic Prop. lib. III:

> Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
> Bellerophontei qua fluit humor equi,
> Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum,
> Tantum operis nervis hiscere posse meis.

Ita, Persius poëtam se negat, quia non somniârit in Parnasso. Hoc loco, Ennium tangi quidam volunt, qui dixerit se vidisse in somnio Homerum sibi dicentem: *quòd ejus anima in ipsius esset corpore.* Hæc, ex Casaubono.

3. *Repente.*] Ἐκ τοῦ παραχρῆμα, sine ullo temporis impendio. — *Prodirem. Prodire*, hic, non modo simpliciter προέρχεσθαι, dare se in conspectum, sed existere, vel potius subito *emergere*, ut sol ἀνατέλλων, vel aliquis e machina Deus comicus. Ex eodem.

4. *Heliconiadas.*] Musas habitantes Heliconem, Bœotiæ montem. — *Pallidamque Pirenen.* Fons erat in Acrocorintho monte, juxta urbem Corinthum in Peloponneso. Latini soli poëtæ hunc fontem Musis sacrum dixerunt, nam Græci scriptores, quorum hoc erat pontificium, nihil ejusmodi agnoscunt, neque poëtæ, neque geographi. Immo, hanc Pirenis originem ostendit scriptor quidam Græcus, dicens: Πειρήνη ἐν Κορίνθῳ ἐκ τῶν δακρύων Πειρήνης γυναικός τινος δακρυσάσης τὸν ἑαυτῆς υἱὸν παρ' ἐλπίδα φθειρόμενον: præterea, vetus interpres Persii, qui meminerat Musas in Helicone et illo Phocidis tractu habitare, non dubitavit Pirenen interpretari,

Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces : ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

hoc loco, de fonte Heliconio. At cùm ex omnibus Latinis notum sit Pirenen fontem Musis dicatum, illis assentimur. — *Pallidam.* Sic eam vocat Persius, quia, qui plurimum student, pallidi fiunt ; vel forte ad fabulam de origine fontis Pirenes alludit. C. et A.

5. *Illis remitto.*] Hoc est ambitiosis hominibus, qui non sincero litterarum studio, nec divinæ poëtices intimo sensu adducti Musas colunt ; sed vanâ laudum ambitione, ac perversâ honorum divitiarumque cupiditate. — *Remitto.* Signatum verbum apud bonos scriptores, hac notione, cùm aliquid παραιτούμεθα, et rejicimus vel oblatum. — *Quorum imagines.* Romæ, ut jam vidimus in Juv. comment., in bibliothecis tum publicis, tum privatis, imprimis in Apollinis Palatini biblioth. statuæ, imagines poëtarum non modo solemni instituto dicari, sed et hederâ virenti coronari solebant. Juv. sat. VII.

Ut dignus venias hederis et imagine macra.

— *Lambunt.* Proprie leviter lingua tangunt, quod translatum est a canibus, queis proprium est lambendo bibere. Virg. Aeneid. lib. II, v. 682 :

. . . . Tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.

Hoc loco, cingunt, circumeunt, amplectuntur. C. et *Prateus.*

6. *Hederæ sequaces.*] Quibus poëtæ coronabantur, quod omnibus notum. Hedera autem Baccho dicata, sub cujus tutela etiam poëtæ erant. — *Sequaces.* Leonidas poëta Græcus πολυπλανέα κισσὸν dixit. Virg. quoque et Catullus hederam *errantem.* Hanc quoque antiqui Lyrici, teste Servio, *flexipedem* dixerunt, quòd huc et illuc vagetur. — *Ipse semipaganus.* Sic modeste se appellat, quasi inchoatum poëtam dicas, ut non penitus ἀνείσακτον, ita assistentem adhuc in cortina, et tantum ἀκροθιγῶς ἁψάμενον τοῦ λέβητος. Quæ modestia arrogantiæ poëtarum μουσοπατάκτων sui temporis satirice opponitur. C.

7. *Ad sacra vatum, etc.*] Ad ædem Musis et Apollini ab Augusto dicatam : vide Suet. Oct. cap. 29, et Juv. sat. VII, 37 : eò docti conveniebant scriptaque afferebant sua : hinc Horat. lib. I, epist. 3 :

Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Simpliciter exponit Casaubonus de omnibus, qui poëmata recitabant sua veterum more, aut aliter publicabant ; quod φέρειν εἰς μέσον dicit Plut. περὶ τοῦ ἀκούειν.

V. 5. *Remitto.* Codices antiquiores habent ita ; Cod. noster, *relinquo.*

Quis expedivit psittaco suum ΧΑΙΡΕ,

8. *Quis expedivit.*] Hoc versu, incipit prologi pars secunda. In prima autem, cùm se semipaganum, poëtamque vix inchoatum ferret, ea naturalis lectorum mentibus objectio potuisset innasci: ô Persî, cùm sis semipaganus ac barbarus poëta, quare igitur versus facis? Ad quæ respondet, ut olim Horat. epist. II, 2, 51:

. . . . Paupertas impulit audax,
Ut versus facerem. . . . .

Quod est amara irrisio in poëtas sui temporis, quorum plerique famelici auctores et parasiti erant: nam Persium de se serio egisse vix credas, cùm ipse fuerit et dives, et bullâ ornatus, et poëseos genus minime ad captandum hominum favorem idoneum amplexus fuerit.—*Expedivit.* Idem ac docuit, ut versu sequenti. Sed exquisitius hoc verbum: nam ignorantia et ἀδυναμία est instar vinculi, quo ingenium alligatum est, ut πέδη pes: solvitur autem eo vinculo, cùm docetur; quod significat τὸ *expedivit.* *Psittaco.* Vocis humanæ imitatione complures præditas aves omnibus notum, præsertim psittacos, picas, acanthides, corvos, aliasque, quas numerare non est necesse; unde Porphyrius de abst. anim. ab esu, lib. III, hoc argumento probare nititur, scil. non esse omnino bruta animalia. Εἰ φαίνηται, ait, καὶ ἡμᾶς μιμούμενα, καὶ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν ἐκμανθάνοντα, καὶ συνιέντα τῶν ἐφεςώτων, τίς οὕτως ἀναιδὴς, ὡς μὴ συγχωρεῖν εἶναι λογικὰ διότι αὐτὸς οὐ συνίησιν ὧν λέγουσι· κόρακες γοῦν καὶ κίτται, ἐρίθακοί τε, καὶ ψιττακοὶ, ἀνθρώπους μιμοῦνται, καὶ μέμνηνται ὧν ἂν ἀκούσωσι, καὶ διδασκόμενοι ὑπακούουσι τῷ διδάσκοντι, καὶ πολλοί γε ἐμήνυσαν δι' ὧν ἐδιδάχθησαν καὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας κατὰ τὸν οἶκον. — *Suum* ΧΑΙΡΕ. Ut plurimum docebantur aves salutationis verba; vel singula, χαῖρε, *ave*, *salve*, vel paulo plura, ut κονδῖτον πίω, ap. Simplicium: vel εὖ πράττε, et Ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα, inquit Philostratus; interdum etiam plurium vocum versus aut sententias docebantur, ut illi corvi, qui admirationi fuerunt Augusto ex Actiaca victoria revertenti, quorum alter institutus fuerat dicere: *ave, Cæsar, victor, Imperator:* alter, *ave, victor, Imperator Antoni.* Prior tantum apparuit, alter

V. 8. Post hunc versum recentiores quidam codd. et, postea, editores fere omnes alium inserunt, sic:

Corvos quis olim concavum salutare?

Versum hunc spurium esse minime dubitandum; insulsum præterea, et inutilem, cùm de corvis infra dicturus sit poëta: quapropter illum, consentientibus fere omnibus libris, et codice nostro, a prologo rejecimus. In editione Persiana Jo. Britannici, Paris. apud J. Petit, 1505, hæc glossa inter lineas inseritur: *versus hic a Fonteio, non ab aliis ponitur.*

Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenîque largitor

vero, ut par erat, necatus est: unde Gallicus poëta quidam ad hoc facete dixit:

Princes et grands, fiez-vous aux louanges.

Ad istas forsan alludit aves. C. et A.

9. *Conari.*] Hoc loco, omni ope atque operâ niti, ut imitentur, etc.

10. *Magister artis.... venter.*] *Venter*, hoc est, fames et egestas ingenium largiuntur. Inter scriptores tum Græcos, tum Latinos magna est de boc argumento dissidentia. Alii nempe vires bebetari, et ad extremam imbecillitatem assiduis curis redigi contendunt, ut Plato, qui ullum animal mœstum canere negat, οὐδὲν ζῶον λυπούμενον ᾄδει. Juven. sat. VII, v. 59 et seqq.

. . . . Neque enim cantare sub antro Pierio, etc.

et supra, *anxietate carens animus* non facit poëtam; et D. Chrysostomus de sacerdotio: ἤδη δὲ καὶ φροντίδες συνεχεῖς ἤμβλυναν τὸ τῆς διανοίας ὀξὺ, καὶ μολίβδου βαρύτερον τὸν πτηνὸν ἀπειργάσαντο. Alii contra, paupertatem non modo magistram artium volunt; sed etiam, nt Theocritus addit, solam: Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. E scena est ille versus sententiæ ejusdem: Λιμὸς δὲ πολλῶν γίγνεται διδάσκαλος: et alii permnlti sic censuerunt, quibus et Latini consentiunt, ut Plautus Sticho:

. . . Paupertas fecit ridiculus forem;
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quemque attigit.

Et Horatius, loco præcitato, et Persius, hoc versn, et Manilius, lib. I:

Et labor ingeninm miseris dedit: et sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

His verbis, ait Casaubonus, Manilius qnæstionem solvit. Neque enim opes, neque paupertas aut minuunt ingenium per se, aut acuunt, verum ideo laus hæc panpertati tribuitur, nt mater artinm credatur, qnia *premendo jubet advigilare sibi*, serio animum cogit attendere, atqne ad se ipsum convertit. His addo; calamitates, infortunium, laborem et paupertatem, ut honores, dignitates, volnptates et divitias vim in animos omnino diversam exercere. Iste olim dives, animo carens (nt sæpissime fit), repente panper factus ad imbecillitatem delabitur; quippe quem bonorum suorum atqueopum recordatio in desperationem adducit; bic autem animo forti præditus, laboribus induratus, deliciarum et luxuriæ ignarus, sed quem premit egestas, ut sortem mutet, sibi advigilat, ad nccessitatem omnes ingenii vires convertit, et sæpe sæpius non modo fatis fruitur benignioribus, sed et ultra metas rapido cursn transvolat. En nodus solvitur, apparens inter scriptores oppositio diluitur. Temporum, locorum, animorum diversitas bos iisdem provebit artibns, qnibus alios in profundum immergit. A.

Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas, et poëtrias picas
Cantare credas Pegaseïum melos.

11. *Negatas.... voces.*] Eodem sensu, Manilius, lib. V:

Quin etiam linguas hominum, sensusque docebit
Aërias volucres, novaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ sorte negatas.

— *Artifex sequi.* Hellenismus notissimus. Nihil figurâ istâ frequentius apud poëtas Latinos, præsertim apud Persium. Hic, *artifex sequi* pro, qui docet, cogit, facit *sequi*, etc. C.

12. *Quod si dolosi, etc.*] Dolosum nummum nominat, non tam quòd dolosos homines faciat, quàm quòd ad nefanda, hoc loco, turpia et homine libero indigna perpetranda inliciat. Virg. Aeneid. lib. III, v. 55:

.... Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Sicuti enim ad scelus homines aurum allicit; ita quoque sæpius ad infamiam, turpitudinem, adulationem, et corporis sui nundinationem; quin immo (adeo dulces illius illecebræ), eos aliquando ad grandia ducit. Quæ cùm ita sint, minime mirandum est, cur tam efficax animorum vehiculum, rerumque humanarum vectis potentissimus, hoc loco, *dolosus* dicatur. Hìc, idem valet *dolosus* ac corruptor; quod sic optime reddidit interpres Gallicus *Sélis: l'espoir d'un or séducteur.* A.

13. *Corvos poëtas, etc.*]. Malos poëtas et ineptos. Ad naturam corvorum et picarum respicit, qui, etsi humanas voces imitantur (excellunt enim in eo genere pica et corvus), tamen naturâ sunt voce præditi, non solum ingratâ, sed et infaustâ veteribus habitâ, præsertim corvus, qui cùm κλώζει, glocitat, vel κρώζει, grocitat, vocem videtur habere strangulati. C.

14. *Cantare credas.*] Hoc εἰρωνικῶς dictum. Videbitur Musarum vos dulces audire concentus. — *Pegaseium melos.* Egregium carmen, quale composuerit is, qui ex Hippocrene biberit. *Prateus.*

V. 13. *Poëtrias.* Dimidia pars codd. habet *poëtridas*, utrumque bene se habet. Nonnulli *poëtritas;* male! Codex noster, *poëtridas.*

V. 15 *Melos.* Vet. schol. ita: *in aliis est nectar.* Et reipsa in duobus codd. legimus *nectar.* Ast alii omnes habent *melos:* quam lectionem servavimus auctoritate freti codd. nostrorum et Homeri qui, ut ait Casaubonus, in duobus continuis versibus hymni in Mercurium et corripuit et produxit priorem verbi *melos.* Cod. noster, *melos.*

SATIRAE PRIMAE

ARGUMENTUM.

PRIMA LEVES CARPIT VATES, MOLLEMQUE NERONEM.

In ridiculum ineptumque scribendi et recitandi cacoëthes, ac pene rabiem immutatum fuerat generosum illud eloquentiæ poëseosque studium, quod jam antea, felicissimis Augusti temporibus, Romæ floruerat. Omnes invicem oratores in causis forensibus, neglecto vero et honesto, vanam ostentationem affectabant : inde, plurima illa antitheta, quæ *rasa* noster vocat; inde, crudæ illæ et sine arte redundantes figuræ; debilia illa et exsucta troporum figmenta; inde, obsoleta verba, *ampullas* et *sesquipedalia verba,* quæ Ciceronum et Hortensiorum et Cæsarum excellentissimam artem turpiter deformaverant. Nec minor in Virgiliana et Horatiana lingua tumultus et confusio. Divinorum horumce vatum grandiloquium, dulcis et perjucunda melodia, ad vivum effictæ imagines, atque naturam æmulantes picturæ, comparationes justæ, sapientes et rectæ sententiæ, nervis demum, æstu, simul ac succo pleni, et quasi divinitus afflati numeri, in vanam brevi abierant subtilitatem, in rudes, insolitas, et obsoletas dicendi formas, in descriptiones aut ambitiosas nimium, aut inutiles, aut a veritate prorsus alienas, in argutias futiles, viribus item ac sensu plane carentes, in molles versus et effeminatos, quos *sartaginis ingratum stridorem* lepide dicit Persius. Quòd si ad recitandi modum transieris, eamdem et affectationem in recitante poëta, eumdem naturæ contemptum reperies. Digitos annulis ornatos videbis, capita cirris ornata et cincinnis, aures gemmis distinctas, fauces vellere seu lanâ circumdatas, pexos capillos, togas recentes et splendidas, ad recitandum sedem celsam, libidine et insolenti luxuria scintillantes oculos, gra-

ciles et tenuem sonum edentes voces; in auditoribus, applausus nimios et inconditos, lascivis motibus expressos, et scelestæ recitantis impudicitiæ mire consentaneos : quæ omnia salse admodum et satirice exagitans percurrit Persius, in hac festivissima satira, in qua, sub specie suum de satiris scribendis consilium declarandi, vel potius suas partes contra futiles adversarii cujusdam observationes defendendi, malos sui temporis poëtas, et imprimis Neronem ipsum imperatorem eorum coryphæum carpit atque dilacerat. Istius simile fere argumentum satiræ Horatianæ, lib. II, sat. 1; similiter accedit ad primam nostri Juvenalis : sed diversus utrique fuit tractandi modus. Horatiana satira ad poëtam ipsum, et ad suum in adversarios odium fere tota respicit; et est tamen jocis referta et festiva, atque etiam Persianæ stylo superior : satira Juvenalis ad mores depravatos Romanorum; est gravitatis, et indignationis plena; formam oratoriam præ se fert, ut decebat opus satiricorum principis, publicæ libertatis ac disciplinæ defensoris acerrimi : Persiana autem sapientis et litterarum amantissimi ac philosophiæ alumni opus est, qui corruptum sermonem non minus dolet, quàm mores perditos. Sensus inde rectus, judicium severum, ironia salsa et mordax aliquando, attamen jocosa et temperata, in illa satira potissimum fulgent. Cæterum, si attente perpenderis et ex nostro commentario, et ex nostra dialogi forma et distinctione, non tantopere obscurus videbitur noster, quantopere sibi finxerunt interpretes nonnulli; cùm, si unum exceperis locum (a versu 50 usque ad 53, quem suspicor interpolatum, aut immutatum et truncatum, timore Neronis, a Cornuto, vel a Basso satirarum Persianarum editore primo), omnia æque tibi, inquam, plana et intellectu facillima videbuntur; et, ut spero, luce etiam clariora lucebunt.

SATIRA I.

DE VATIBUS.

PERSIUS, ADVERSARIUS.

PERSIUS.

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!....

ADVERSARIUS.

Quis leget hæc?

PERSIUS.

Min' tu istud ais?

ADVERSARIUS.

Nemo, Hercule.

1. *O curas hominum!...*] Satiras aggressurus, poëta hoc exordio incipit abrupto, et gravitate referto, quo fingit se defixum in contemplatione rerum mundi hujus, eorumque omnium quæ mortales agunt, seque, hæc plusquam vana esse cùm animadvertisset, de futilibus hominum curis satiram scribere instituisse. Similis apud Juven. locus, satirarum initio:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Similis quoque apud Salomonem: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Vix versus iste emphatice pronunciatur, cùm ex adverso surgit nescio quis sui sæculi, tum in factis, tum in scriptis, corruptelæ stolidus admirator, qui inceptum de vanitate rerum humanarum sermonem intercipit, dicens: *quis leget hæc?* Inde, a philosophica contemplatione, et moribus, ad malos poëtas, et ad eorum ineptos sectatores delabitur sermo, qui totus διαλογικῶς legendus est. Interpretes plerique hunc Persii amicum, seu monitorem volunt; ego vero, et morosum adversarium, et ridiculum senem intelligo. Meam sententiam dialogi series et ordo comprobant. C. et A.

2. *Min' tu istud ais?*] Dicuntur hæc a Persio, ob vocem repentinam attonito ejus, quem nesciebat adesse, aut in meditatione totus non cogitabat. C. — *Nemo Hercule.* Romani jurabant per Deos, scil. per Jovem, Herculem, etc.

PERSIUS.

Nemo?

Vel duo, vel....

ADVERSARIUS.

Nemo. Turpe, et miserabile.

PERSIUS.

Quare?

Næ mihi Polydamas, et Troïades Labeonem

Vid. Juven. sat. II, v. 98.—*Nemo?* Hæc vox Persii εἰρωνευομένου, quasi qui auditione rei inopinatæ commoveretur.

3. *Vel duo, vel....*] In Puteano cod. n° 8048, initium versus cum fine præcedentis cohæret: Persio enim hæc tribuuntur, quasi dixisset: *nemo* (ais)? *ah! saltem duo, vel tres, vel aliquot mihi erunt lectores:* sed adversarius non exspectans donec inchoatam sententiam absolverit, interpellat et subjicit: *Nemo. Turpe et miserabile.* Huic assentimur interpretationi, quæ et apta et elegans est.—*Nemo. Turpe et miserabile.* Cæteri interpretes explicant: *turpe et miser.* scil. esse sine lectoribus. Ego vero: quod tu dicis (*ô euras hom.*), est *turpe et miserabile*, tritum, insulsum, pessimum; *cela est mauvais, pitoyable.* Qüæquidem interpretatio et moroso adversario, et stolido elegiorum et ampullarum admiratori apprime convenit. A.

4. *Næ mihi Polydamas, etc.*] Certe, pergit Persius, mollis et ignavus princeps, qualis est Nero (designatus sub nomine Polydamantis), certe, cives effeminati, viles Troiades mibi prætulerint Labeonem, etc. sed, si turbida Roma, etc. — *Polydamas.* Ingeniosissime poëta duos versus Iliad. χ, hoc unico expressit. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: et statim, Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. Sic M. Tull. epist. ad Att. lib. VII, 1: *Aliter sensero? αἰδέομαι non Pompeium modo, sed* Τρῶας, καὶ Τρωάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: *quis? tu ipse scilicet, laudator et scriptorum et factorum meorum.* Polydamas autem Trojanus, Panthi filius, sapientiâ præditus, eadem nocte natus quâ Hector, cujus fuit comes, sed Hector hasta potentissimus, Polydamas autem verbis tantum notus fuit; quod his expressit Homerus:

Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ' ἀγορεύειν
Πανθοΐδης· ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.
Ἕκτορι δ' ἦεν ἑταῖρος, ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο.

V. 2. *Nemo? Vel duo, vel....* Vide supra commentarium.

V. 4. *Troiades.* Omnes nostri codd. tribus exceptis, et quidem infimæ notæ, qui habent *Troiadas*, male! Cod. noster, *vel Troades.*

Prætulerint....

ADVERSARIUS.

Nugæ.

PERSIUS.

Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa

Ἀλλ' ὁ μὲν ἄρ μύθοισιν ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα.
Ὅ σφιν εὔφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.

Alter fuit Polydamas, Antenoris filius, dux sine nomine et fama. Sub Polydamantis nomine Neronem designari non male conjiciunt interpretes. — *Troïades*. Satirice, pro Romani. Quo nomine in femineo genere et mollitiem Romanorum carpit, et ambitionem eorum, qui Trojanam originem affectabant, et se *Trojugenas* vocari jubebant, ut vidimus ap. Juven. sat. I, v. 100, et sat. VIII, v. 181.—*Labeonem*. Attius Labeo, ineptus poëta, ineptior Homeri interpres, qui Iliada et Odysseam transtulit, verbum ex verbo, ridicule satis, quòd verba potius quàm sensum secutus sit. Ejus est ille versus :

Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos. C.

5. *Nugæ.*] Hoc dictum mordaci advers. magis convenit; quasi qui Persium interpellaverit, dicens : ea quæ tu dicis sunt *nugæ*, quæ nihil faciunt ad rem. — *Non, si quid, etc.* Pergit, hoc loco, Persius, sed, *si quid turbida Roma elevet*, si turbida Roma elevet, deprimat, nec improbum ejus judicium castigare, emendare tentem, nec me quæsierim extra. De se locuturus, usurpat secundam personam. Similis color orationis apud Gallos, diceretur enim :

PERSE.

Pourquoi? Sans doute, Polydamas et les fils des Troyens pourront me préférer Labéon; mais....

L'ADVERSAIRE.

Bagatelles!

PERSE.

Quand même Rome, cette ville tumultueuse, vous condamnerait, gardez-vous de souscrire à son jugement; n'entreprenez pas de redresser sa balance infidèle; ne cherchez point hors de vous la regle de votre conduite, car, à Rome, etc. Id dictum pro : *quand même Rome me condamnerait, je ne souscrirais pas, etc. je n'irais pas chercher, etc.*—*Turbida Roma.* Urbs, in qua tumultus et agitatio sedem posuerunt, raró judicio incedit recto; et sæpius cuncta ex animi libidine judicat. A.

6. *Elevet.*] Duo contraria significat; nempe deprimere et erigere, minuere et augere. Metaphora a ponderibus in quibus, ut lanx gravior attollatur, et par alteri fiat, ex ea aliquid detrahitur. Hoc loco, deprimere, infirmare.

Castiges trutina, nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non ?.... ac, si fas dicere! sed fas
Tunc, cùm ad canitiem, et nostrum istud vivere triste

— *Examenve improbum.* Examen est bilancis hasta, filum, lingula, quâ stante, in neutram partem vergente, et sub ansa latente, æquilibrium cognoscitur. C.

7. *Castiges trutina.*] Trutina proprie illud foramen oblongum, intra quod vergit lingula, et in quo foramine æqua examinatio cognoscitur. Hic sumitur pro tota bilance. Hoc loco, Casauboni sententia silentio non prætermittenda, quæ sic se habet : « Quid « sit castigare zygostatis, declarat « interpres antiquus : *castigare est* « *digito libram percutere, ut temperetur, et præ agitatione post* « *æquum conquiescat....* Suspicor « tamen veterem illum grammaticum scripsisse *percurrere :* quod « proprie locum habet in statera, « quæ scapum babet punctis dis« tinctum. Hâc, cùm aliquid ap« pendimus, alterâ manu æqui« pondium per scapum ducimus, « eumque tamdiu percurrimus, « donec steterit examen ἀκλινές ; « quod Latini dicunt, *compescere* « *examen certo puncto.* Id Vitru« vius sic expressit : *æquilibrium* « *in alteram partem scapi per puncta* « *vagari :* libr. X, cap. 8. Etiam « sequentia verba interpretis mira « sunt : *et præ agitatione post æquum* « *conquiescat.* Hoc vult : non prius « agitari desinere, quàm in suo « puncto sacoma fuerit colloca« tum. Ita demum æquato exa« mine quiescit libra. » — *Nec te quæsiveris extra.* Illud est, quod stoici dicebant, non debere studiosum virtutis extra se convertere, ut aliis placcat : satis enim illi esse, si præstaret, ut esset quod cupiebat, videri autem velle, ei curandum non esse : οὐ δεῖ ἔξω στραφῆναι πρὸς τὸ βούλεσθαι ἀρέσαι τινί : Epictet. Enchirid. Sententia autem aurea juxta illud delapsum e cœlo Γνῶθι σεαυτόν, quam sic imitatus noster satiricus:

Nous cherchons hors de nous nos vertus et nos vices.

8. *Nam Romæ quis non ?...*] Ἀποσιώπησις. Quis Romæ non est, nempe corrupti judicii, et indignus cujus rationem habeas, quippe deliciis et luxu perditi, virtutis osores, et honestarum artium, quos, si a principe orsus singulos consideres, omnes pessimos, imperitos, omnes asinos invenies, etc. Hoc enim suâ reticentia vult Persius. — *Ac, si fas dicere!* Hoc interjecto πάθος valde auget, ac summum desiderium libertatis arguit, ad declamandum contra vitia. — *Sed fas.* Significat se in proposito perseverare, scilicet, scribendi satiras. C.

9. *Tunc, cùm ad canitiem.*] Quidquid isti judicaturi sint, inquit, ego tamen nihilominus satiras mihi scribendas judico, quoties ob ocu-

V. 8. *Ac.* Restitui ex omnibus nostris codd. Vox *ah* est recentiorum editorum. Cod. noster, *at.*

Aspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis,
Cùm sapimus patruos; tunc... tunc... ignoscite...

ADVERSARIUS.

Nolo.

PERSIUS.

Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.

los mihi pono, et stultitiam, stoliditatem, vanasque senum curas, vitam tristem et miseram, perversâque laudum cupiditate deformatam, quam nos Romani vivimus vitam, et quæcumque, nos juvenes, *nucibus relictis*, qui a puerilibus nugis ad virorum curas jam transiimus, *quæcumque* ridicula, prava et carentia communi sensu facimus, dum *sapimus patruos*, dum viri severi existimari volumus.—*Canitiem*. Senes intelligit, quibus peculiaris est canities, quæ sæpe sæpius temporis significatio est, non prudentiæ. Πολλὰ χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως. —*Nostrum.... vivere*. Græcum est, τὸ ζῆν ἡμῶν. Cicero, *beate vivere vestrum*. « Primam autem, inquit « Casaubon. personam usurpat « objurgationis molliendæ causâ; « more omnium, qui invehuntur « in vitia et vitiosos.»—*Vivere triste*. Ὁ σκυθρωπὸς βίος, qualis est eorum maxime, *qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt*. Juv. sat. II, v. 3, ad quæ respondent infra, *cùm sapimus patruos*. C.

10. *Nucibus.... relictis*.] Id est, puerilibus ludis ac nugis. Inter puerorum oblectamenta erant nuces. Ea simul cum bulla et prætexta relinquebant, cùm ad virilem ætatem pervenerant.

11. *Cùm sapimus patruos*.] Viri severi æstimari volumus. *Patruus* et *tutor* sæpe idem sonant ac gravis censor et objurgator. Quoniam autem in corrigendis liberis patres mitiores et indulgentiores esse solent; tradi pueri patruis corrigendi consueverunt: illi enim adolescentibus corripiendis austeriores sunt quàm patres: unde illud Horatii notum: *ne sis patruus mihi*, et od. lib. III, 12, 3:

Aut exanimari, metuentes
Patruæ verbera linguæ.

—*Tunc.... tunc....* Oratio abrupta affectui satirico conveniens. — *Ignoscite*. Concludens satiram omnino se scripturum, veniam ironice facti petit.—*Nolo*. Quod uno verbo negat adversarius. C.

12. *Quid faciam?*] Inter saxum et sacrum collocatus, λύκου τῶν ὤτων ἔχει, lupum auribus salse fingit se tenere: sed non diu in illo fluctuat salo; statim enim decernit, et ad priorem mentem redit:

Naturam expellas furcâ, tamen usque
recurret.

Horat. Epist. lib. I, 10, 24.— *Petulanti splene*. Factum se ait a natura cachinnonem et σκωπτικόν; itaque velit, nolitve, oblatâ re ridiculâ, continuo risum sibi oriri. Veteres autem in splene risûs,

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.

ADVERSARIUS.

Scilicet, hæc populo, pexusque togâque recenti,

iracundiæ in felle, amoris in jecore, pudorisque in fronte sedem posuisse omnibus notum.— *Cachinno-onis.* Homo risûs intemperantior, quo verbo solus usus est Persius. C.

13. *Scribimus inclusi.*] Strepitum fugientes. Ait *inclusi,* quia secreto et libero ab arbitris loco scribentibus est opus. Horat. Epist. lib. II, 2, 77:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes.

—*Numeros ille.* Per numeros intelligit versus. — *Hic pede liber, grande aliquid.* Hoc loco, designantur scoptice oratores.—*Pede liber.* A lege metri solutus orator. P.

14. *Grande aliquid.*] Sublime dicendi genus etiam grande dicitur.—*Quod pulmo prælargus anhelet.* Quod cum anhelitu, et non sine labore et vexatione pulmonis aëre et vento distenti recitemus. Videtur autem Persius notare grandiloquentiam affectatam, periodorum ambitum, et ampullatam turgidamque orationem. A.

15. *Scilicet hæc populo, etc.*] Primus interpretum hæc a v. 15, usque ad 21, adversario tribui, non sine causa; nam, ne de istorum loquar versuum in ore Persii discrepantia cum antecedentibus et consequentibus, quæ me semper offendit, quamque nullus interpretum sensisse videtur; ego in his verbis ab enthusiastico et stulto sesquipedalium verborum et ampullarum sectatore cum ingenuitate quadam emphatice pronunciatis, quin et in publice recitantium opera sua poëtarum sumptibus et apparatu quasi delirante vetulo, vim satiricam inesse eo majorem reor, quòd ab ore alieno proficiscuntur, juxta hunc morem satiricis usitatissimum, qui, ut libentius in hominum imbecillitatem bilem effundant, insulsissima et maxime ridicula cuivis tertio tribuunt, ut Horatio sæpe sæpius, Juvenali præsertim in nona satira, hoc loco Persio accidit. Optima igitur fide, et serio simul agit adversarius dicens: *scilicet,* illa, ut supra, *ô curas hominum, etc.* Et infra, *scribimus inclusi, etc.*, id est, *præcepta moralia et Platonica, coram populo, pexus et indutus togâ recenti, recitabis, etc.* Sequitur descriptio satirica apparatûs, quem in recitandis operibus suis adhibebant poëtæ; vocis fractæ et effeminatæ recitantium imago; stultæ admirationis populi, qui non nisi mollibus et lascivis plausum concedebat et favorem, justa et severa reprehensio: quæ omnia, sub specie admirationis stultæ proposita ab adversario, ut supra dixi, ei responsum hoc, v. 22, merentur, *tun' vetule, etc.*—*Scilicet.* Ironicæ interrogationis signum. Gallice, *Oui, sans doute.*—*Hæc.* Id est, satiras, præ-

Et natalitiâ tandem cum sardonyche albus,
Sede leges celsâ, liquido cùm plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.

cepta moralia, ut supra, *ô curas hominum! etc.* A.—*Populo.* Duplex fuit recitatio: domi, amicis convocatis ad emendationem; publice, in auditorio, vel alibi, quàm maximâ fieri poterat coronâ, ad ostentationem. De privatis recitationibus, vid. Horat. lib. I, sat. 4. Plin. lib. VIII, epist. 21. Tull. Cic. ad Att. lib. XII, epist. 4. De publicis recitationibus, vid. Juvenalem, sat. VII, Quintil. de Oratore, etc. — *Pexusque togâque recenti.* Recitaturi elegantiæ studebant. Moris itaque fuit, ut loti prodirent, pexâ comâ, atque barbâ, et candidati: nihilque omitterent, quod aliquam ipsis gratiam et commendationem posset conciliare. C.

16. *Natalitiâ.... cum sardonyche.*] De sardonyche, vid. ad Juven. sat. VI, v. 382; VII, 144; XIII, 139. — *Natalitiâ.* Quam die natali, inter alia munera, missitabant amici et clientes, quamque non nisi in solemnibus assumere solebant. Plaut. in Curculio:

Hic est annulus, quem ego tibi misi natali die.

— *Albus.* Candidatus. Ita erit dictum, *togâque recenti.... albus.*

17. *Sede leges celsâ.*] Veteres dicebant stantes, recitabant sedentes. Pliu. lib. VI, epist. 6. *dicenti mihi sollicite assistit, assidet recitanti.* Sedebant igitur, qui recitabant *sede celsâ*, quam pulpitum vocabant, aliquando quoque cathedram. Juv. VII, 47 et 93. — *Liquido cum plasmate:* Πλάττειν φωνὴν dicitur phonascus, qui arte vocem corrigit, et format in melius: inde πλάσματα, remedia in eam rem, et πλάσις φωνῆς, ac voces πεπλασμέναι, modo in bonam; modo in malam partem accipiuntur. Plutarch. in Cicerone: ἡ φωνὴ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαςος. Deinde, ἡ τε φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν. — *Liquidum plasma.* Ὑγρὸν et ὑγραίνον, vel potius, λειαῖνον; est enim de genere eorum medicamentorum, quæ λεαντικὰ Græci vocant medici. C.

18. *Mobile* (guttur) *collueris.*]

V. 17. *Sede leges celsâ.* Multi codd. et antiqniores habent *legens*, forte, ut ait Casaubonns, « simili errore, nt cùm *quotiens*, *totiens*, et alia scripserunt pro *quoties*, *toties.* » Vet. schol. Pithoei habet quoque *legens.* At male flueret oratio cnm ista lectione, et manca esset phrasis; quapropter *leges* recepimus.

V. 18. *Collueris.* Quidam codd. habent *colluerit.* At male, et sine sensu; nisi supra legeris *leget*, pro *legens*, vel *leges*, ut Britannicus, Jo. Baptista Pins, Murmellius, Aelius Antonius Nebrissensis, et alii. In nostro sensu nostraque personarum distinctione præstant *leges*, et infra *collueris.* Non male cod. Colbert. II, et cod. noster, sup. *legens*, et hoc loco, *colluerit.*

Hìc, neque more probo videas, neque voce serenâ
Ingentes trepidare Titos, cùm carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

Colluere, Græc. γαργαρίζειν et ἀναγαργαρίζειν : unde Galli dicunt, *gargariser*.—*Patranti fractus ocello.* Oculis in lasciviam resolutis, quales sunt, qui κεκλασμένοι Græcis, Horatio *oculi putres*, od. libr. I, 36. Juvenali *oculi in fine trementes*, sat. VII, 241. Eâ enim tempestate, et vox, et oculi, et totus vultus, ut cum effeminata oratione congruerent, studio ad mollitiem et lasciviam componebantur. — *Patranti*. Vet. Schol. « Patratio « est rei Venereæ perfectio, vel « consummatio. Unde et patres « dicti, eo quod patratione filios « procreent. »—*Fractus*. Frangere Latinis est idem ac effeminare, robur virile in muliebrem mollitiem corrumpere, Græcis θρύπτειν, et χλάζειν. C.

19. *Hîc, neque more probo videas.*] *Hîc*, pergit adversarius, cum talibus tuis operibus, non videbis ingentes *Titos*, nostros Romanos *trepidare*, plaudere *more probo (de la belle manière)*, *nec voce serenâ*, nec unanimiter et distincte acclamare : σοφῶς, θείως, *bene*, *recte*, *decenter !* veluti (subauditur) cùm molliuscula carmina, etc. —*Neque more probo.* Poëtas recitantes non minus turpiter audiebant, quàm ipsi fœde ac molliter et scribebant, et pronunciabant. Itaque similes habebant labra lactucas, eratque operculum patella dignissimum. Quæ putidæ acclamationes, adeo luxuria et morum corruptela invaluerant, et in usu frequentissimo venerant, ideoque *probæ* dicebantur ; et a scriptoribus summopere expetebantur, et non nisi iis concedebantur, quorum opera *intrabant lumbum*, sedem voluptatis, et *scalpebant*, titillabant *intima* præcordia, *versu tremulo*, lascivo et obscœno : unde adversarius innuit poëtæ, satiras suas non eas esse, quæ talem apud populum motum ac plausum excitent.— *Voce serenâ*. Si plausus unanimes fiunt, et voce serenâ declarantur, et perspicue audiuntur ; sin autem discordes et in diversas partes distracti, cum tumultu quidem, sed obscuro, et fremitu voces audiuntur ; quod accidit præsertim in theatro, et magnis populorum conventibus. C. et A.

20. *Trepidare.*] Fortiter pedibus et manibus plaudere.—*Titos.* Titi sunt Romani, qui prænomine isto valde gaudebant, et sic hoc loco denotantur : ita quoque, in satira quinta, *Marcus*, pro civis Romanus. Inter prænomina honestissima erant *Marcus* et *Titus*. —*Lumbum.* Qui est vulgo sedes voluptatis. Vid. Juven. sat. VI, v. 314. P.

21. *Scalpuntur ubi intima versu.*] Scalpere, sæpe obscœnâ notione, ut apud Græcos ξύειν, et κνήθειν; hoc loco, titillare, molliter penetrare, Gall. *chatouiller*. — *Intima*. Sunt αἱ ὀρέξεις, *et pars animi,*

PERSIUS.

Tun', vetule, auriculis alienis colligis escam?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe!

ADVERSARIUS.

Quid didicisse, nisi hoc fermentum, et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore, exierit caprificus?

ut loquitur Tullius, *quâ concupiscimus, et quæ voluptate alitur.* — *Tremulo.... versu.* Recte tremulus versus dicitur, ex quo nascitur in audientium animis voluptas quædam titillans, contraria gravitati et constantiæ. C.

22. *Tun', vetule.*] Ergone, quâ es ætate, in id unum incumbis, ut tam infames Romanorum auribus illecebras suppedites? — *Vetule.* In hac voce *vetule* magna emphasis, ut in Juven. sat. XIII, v. 83:

Dic senior bullâ dignissime.

—*Colligis escas?* Auricularum escæ sunt οἱ λόγοι, poëmata vel orationes. Tritissimum est ap. Græcos, εὐωχεῖσθαι λόγοις, et εὐωχίαι καὶ ἑστιάσεις ἀκοῶν, *colligere escas auribus*, ut in Pœnulo Plauti, *oculis epulas dare.* C.

23. *Auriculis, quibus.*] Laboras igitur, ut placeas ineptis laudatoribus; donec eorum adulationibus eo usque satiatus, cogaris dicere, *ohe!* satis, satis laudum! Horat. sat. II, 5:

Importunus amat laudari? donec, ohe, jam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit, urge, et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. A.

—*Cute perditus.* Hæc de scabioso possumus interpretari, vel de eo qui aquâ intercute laboret. Sed convitium corpori dictum, ad animum debet referri, quod in omnibus linguis familiarissimum est. Vani porro et φιλόδοξοι hydrope laborantibus similia patiuntur. Lucilius: *aquam te credo in animo habere intercutem.* Itaque opinio sui, et οἴησις vocatur hydrops. C.

24. *Quid didicisse, etc.*] Quis est finis studiorum, respondet adversarius, si hic non est: scil. ut nostrorum operum alios participes faciamus? A.—*Nisi hoc fermentum.* Scoptice dicuntur pro scientia fermentum, et infra *caprificus;* quia, ut fermentum in massa contineri non potest, quin det significationem sui, eamque fervefaciat, attollat ac tandem rumpat; item *caprificus*, in saxorum commissuris enata, impediri nequit, quominus saxa disjiciat: ita

V. 24. *Quid.* Omnes nostri codd. *quid*, et editi antiquiores libri. Vet. schol. et post hunc Casaubonus, et editt. recent. *quo*, eodem sensu. — *Semel.* Quidam codd. *simul.* Non male quoque: nam, inquit Casaubonus, cum doctrina simul ingeneratur ac crescit in horum animis gloriæ titillatio. At codd. Putean. Colb. et alii complures, *semel:* ita quoque cod. noster.

PERSIUS.

En pallor, seniumque? O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

ADVERSARIUS.

At pulchrum est digito monstrari, et dicier, *hic est*.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse,
Pro nihilo pendas?

PERSIUS.

Ecce inter pocula quærunt

eruditio, in animo levi et inanem gloriam ambiente, habitare non potest, quin attollat illum atque inflet; et, ut caprificus, foras prodire, et agnosci, laudarique ab omnibus cupiat. C.

26. *En pallor.*] In tertia, *hoc est quod palles*. Quintil. VII. Institut. *Nemo exspectet, ut alieno tantum labore sit disertus: vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum.* —*Seniumque.* Pallorem et senium immaturum eruditorum sic describit Aræteus, cap. de affectibus stomachi, dicens: Οἷσιν ὑπεροψίη μὲν διαίτης, ἀδρῆς καὶ ποικίλης, λιμὸς δὲ ἡ τροφὴ, καὶ ὕδωρ ποτὸν, καὶ ἐν ὕπνῳ ἀϋπνίη. Et ibidem, τοῖσδε σὺν τηκεδὼν μὲν τοῦ σκήνεος, ἄχροοι, καὶ ἐν νεότητι γηραλέοι, καὶ ὑπ' ἐννοίης κωφοὶ, ψυχὴν δὲ ἀμειδέες, ἀμείλιχοι. C.

27. *Scire tuum nihil est.*] Ergone, vanam gloriam velut ultimum finem laborum tuorum constituis? D. Augustinus, epist. 56, Dioscorum laudes sectantem perstringit, Persiano hoc ipso loco: *Tune, ô Dioscore, nec Persium tuum respicis contorto versiculo tibi insultantem, etc.* Ibi Persianam sententiam affert, et graviter explicat. A.

28. *At pulchrum est, etc.*] Objectio adversarii ejusdem farinæ. — *Digito monstrari.* δακτυλοδεικτεῖσθαι: sæpe in bonam partem accipitur.

29. *Ten' cirratorum.*] Mos veterum ludimagistrorum erat, ut discipulis suis non eorum tantum scripta prælegerent scriptorum quos vetustas commendaret; sed etiam nobilissimi cujusque æqualium suorum. Nero suos versus per scholas dictari imperasse aiunt; quod et alii velut decorum sibi affectarunt. — *Cirratorum.* Nobilium juvenum quorum cirrati solent esse capilli, id est, cincinnati et contorti. C. et P.

30. *Ecce inter pocula.*] Lepidissimâ ironiâ adversario suo respondet poëta, atque docet non inter res serias, sed inter oblectamenta litteras haberi a plerisque magnatum; ac laudari quidem ab iis poëtas, sed inter pocula et in vino. Inde infert, quanti laudationes istæ fieri debeant, a parum sobriis et madidis profectæ. Mos tamen erat

Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Hîc aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,

apud veteres in conviviis aliquid ex illustribus poëtis atque auctoribus afferre, sed oblectandi sui causâ, non ut accuratius rem tractarent. C. — Hunc autem Persii locum sic imitatus est satiricus noster, sat. III :

De propos en propos, on a parlé de vers.
Là, tous mes sots enflés d'une nouvelle audace
Ont jugé des auteurs en maîtres du Parnasse.
Mais notre hôte sur-tout, pour la justesse et l'art,
Elevait jusqu'au ciel Théophile et Ronsard;
Quand un des campagnards, relevant sa moustache,
Et son feutre à longs poils, ombragé d'un panache,
Impose à tous silence, et d'un ton de docteur,
Morbleu, dit-il, la Serre est un charmant auteur!
La Pucelle est encore une œuvre bien galante, etc.

31. *Romulidæ saturi.*] Romulidas satirice vocat Romanos, quasi qui a Romulo oriundi, eique valde dissimiles essent. Vid. Juv. sat. VI, v. 433.—*Dia.* Generosa, divina. A.

32. *Hyacinthina læna.*] Vestis tricliniaris mollior et coloris exquisiti, quod est argumentum solutorum morum. Satis constat eâ ætate quâ elegantiâ Romani accumberent. In dibapha purpura, et in coccinis, aut hyacinthinis discumbebant. Petron. *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam, Tyria sine dubio, sed jam semel lota.* C.

33. *Rancidulum quiddam.*] *Rancor* est certarum rerum diutius asservatarum corruptus odor. Hoc loco, *rancidulum* designat res ingratas, deformes, vetustate et incuria rudes. — *Balba de nare.* Duriore translatione usus, nari tribuit quod linguæ convenit. Balbuties enim vitium est linguæ peculiare. Sed poëta consulto vitia tria congestim posuit; quòd res rancidas recitet, quòd loquatur balbe, quòd loquatur de nare; et hæc omnia versu isto recte sonant. C.

34. *Phyllidas, Hypsipylas, etc.*] Non Homeri, Virgilii, aut veterum tragicorum carmina; sed elegias, nescio quas, de Phyllidis aut Hypsipylæ infelicibus amoribus, et alia similia, quæ vocat scoptice *ploralia vatum.* Cæterum, duæ Nasonis (quem hic obiter tangere videtur) epistolæ exstant; una Phyllidis ad Demophoontem, altera Hypsipylæ ad Iasonem, quas vide,

V. 32. *Hyacinthina.* Quidam codd. et edd. habent *Ianthina.* Vet. schol. Puteanus, Thuaneus, Colbertini, et alii permulti codd. *Hyacinthina.* Cod. noster, *hyacinthia.*

2.*

Eliquat, ac tenero supplantat verba palato.
Assensêre viri. « Nunc non cinis ille poëtæ
« Felix? non levior cippus nunc imprimet ossa? »
Laudant convivæ. « Nunc non e Manibus illis,
« Nunc non e tumulo, fortunatâque favillâ,
« Nascentur violæ?... »

si placet, heroid. 2 et 6.—*Et plorabile si quid.* Claudian. in Eutrop.

....verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis...... C.

35. *Eliquat.*] Metaphora a metallis petita, quæ naturâ compacta sunt et dura, cùm liquantur autem mollescunt et corrumpuntur: sic isti vocem, quam a natura virilem acceperant, delicatam reddunt et femineam. — *Supplantat verba palato.* Vocem naturalem arte frangit ac corrumpit. Palæstræ verba sunt *supplantare, subnervare*, ὑποσκελίζειν, πτερνίζειν, quæ venuste dicuntur ad ea significanda quæ non ex vera virtute fiunt: sic, *verba supplantare palato*, est non bene nec plane pronuntiare, sed molliter palato illidere. C.—Eodem fere modo, ap. nos delicatuli pro verbo *pigeons*, pronuntiant *pizons*; pro *chirurgien*, *siruzien*, atque sæpe consonam *r* in sermone supplantant: sic, *ma paole*, pro *ma parole, etc.* A.

36. *Assensêre viri.*] Laudant astantes utrumque et carmen et vocem. —*Nunc.... non cinis, etc.* Verba astantium. Quidam volunt hæc verba esse poëtæ. At prior sententia magis arridet, quasi ad denotandam putidam istam in probandis pessimis poëtis laudum farraginem acrior et aptior. A.

37. *Non levior cippus, etc.*] Virgil, eclog. X, 33:

..... O mihi tum quàm molliter ossa
quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!

Sic Juvenalis, sat. VII, v. 207:

Di majorum umbris tenuem, et sine
pondere terram,
Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver, etc.

Ridenda autem est veterum simplicitas, qui amicorum sepulchris cippos et columnas cùm imponerent, optabant tamen iis terram levem, quique inimicis, quibus nullum concedebant saxum, gravem terram, atque, ut pondere urgerentur, vice versâ, optabant. — *Cippus.* Est sepulchri lapis. A.

38. *Laudant convivæ.*] Primo assentiuntur laudanti, mox ipsi laudant. — *Nunc non e Manibus.* Manes, animæ defunctorum, quæ apud veteres pro Diis colebantur.

39. *Nunc non e tumulo.*] Tumulus, hoc loco, sepulchrum, proprie terra tumens: itaque potest esse collis naturalis. — *Fortunatâque favillâ.* Tangit morem antiquorum, apud quos corpora mortuorum cremabantur, quod omnibus notum.

40. *Nascentur violæ.*]Vid. Juven. loco præcit. Hæc autem figmenta

ADVERSARIUS.

Rides (ait), et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse; et cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?

PERSIUS.

Quisquis es, ô modo, quem ex adverso dicere fas est,

poëtica de floribus e tumulis defunctorum nascentibus occasionem forte præbuerunt, ut recte innuit Casaub. iis, qui vitas sanctorum scripserunt, talia fingendi, et pro rebus gestis narrandi.

40. *Rides (ait), et nimis uncis, etc.*] In eodem sensu Horat. sat. lib. I, 6, 5. *Naso suspendis adunco*, pro mordacitati satiricæ nimium servis. Ex voce, *ait*, minime dubium est, quin hæc verba sint non poëtæ, sed alius cujusdam. Quidam interpretes hunc locum de tertio quovis acceperunt: alii eadem a poëta ipso volunt objici, quibus respondet, v. 44. Et ea opinio præcedenti probabilior videtur. Qui autem voluerit hæc a Persio dici, ita locum explicabit: *nascentur violæ?... Rides*, inquiet aliquis, *et n. u. n. ind.* etc. *Quisquis es, ô m. q. ex adv. dicere feci*, pro *fas est:* tunc nomina personarum sunt delenda, et versus 39—44 jungendi: ego vero, et eumdem, adversarium arbitror, et τὸ *ait*, hoc loco, irrepsisse conjicio, vel incuriâ librariorum, vel errore ipsius auctoris, qui non meminerit, vel meminisse noluerit, se ab initio satiræ dialogice locutum esse. Non dubitavi igitur hæc adversario tribuere (quod jam ante me fecerunt interpretes permulti), parum curans illud *ait*, quod parenthesi inclusi. Cæterum, nulla simplicior et aptior quàm nostra dialogi forma, quod recte sentiet, quicumque nostram penitus excusserit personarum distinctionem. A.

42. *Os populi.*] Τὸ διὰ τοῦ ςόματος εἶναι, quod dixit Ennius.... *Volito vivus per ora virûm.* — *Et cedro digna.* Libros eo liquore quem cedrus exsudat linibant; quia res unctæ cedria (sic hunc liquorem vocabant) a tineis et carie non læduntur. Vid Plin. lib. XIII, cap. 13. C.

43. *Nec scombros.*] Scripta inepta, quæ nec vult quisquam emere, nec potest bibliopola vendere, deputantur involvendis variis mercibus, garo, piperi, thuri, etc. — *Scombri.* Pisces, e quibus optimum fiebat garum, sive salsamentum. Vid. Plin. lib. IX, cap. 15. *Prateus.*

44. *Quisquis es, ô modo, etc.*]

V. 40. *Ait.* Ita omnes codices nostri. Vid. supra commentarium.

V. 44. *Fas est.* Hanc lectionem primus revocavi ex omnibus fere codd.

Non ego, cùm scribo, si forte quid aptius exit
(Quando hæc rara avis est), si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam; neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum, et *belle*. Nam *belle* hoc excute totum:
Quid non intus habet? Non est hîc Ilias Accî,

Vid. infra var. lect. Id est: *ô modo, tu qui modo locutus es; quemque fas est*, scil. *fas est, te dicere ex adverso*. A.

45. *Si forte quid aptius exit.*] Singularem modestiam, hoc loco, et infra Persius ostendit.

46. *Quando hæc rara avis.*] Ad Phœnicem avem alludit. Vid. Plin. lib X, cap. 2. Ovid. Metam. XV, 37, et Juven. VI, 165.

47. *Cornea fibra est.*] Cor mihi durum non est, quod laudis amor non tangat. — *Fibra*. Synecdochice, pro corde, cujus extremitates fibræ appellantur. P.

48. *Sed recti finem, etc.*] Landem, inquit, non respuo; sed eam pro fine et ultimo scopo mihi proponere nolo. Omnino sapientem stoicum ex his facile agnoscas. Stoicis enim virtus ipsa pro mercede reputabatur, ab hoc unico præcepto pendebat eorum omnis doctrina. Claudian.

Ipsa quidem virtus pretium sibi.....
Non opis externæ cupiens, non indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque nullis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

49. *Euge tuum, et belle.*] Acclamationes usitatæ, ad quas respondent nostrum *bravo!* A.

50. *Quid non intus habet?*] Scil. inanitatis, adulationis et irrisio-

inter quos Puteanus, 8048, Colbertinus, 8049, Mazarineus, Fauchetianus, 8070, et alii permulti numerantur, veluti aptiorem et solam genuinam (Thuan. tamen I, 8072 et cod. noster habent *feci.*): quid enim vult istud, *quem ex adverso dicere feci, par qui je me suis fait faire ces objections?* Persius autem adversarium alloquitur, et ait: *Quisquis es, ô modo, quem fas est dicere ex adverso; qui que tu sois, tu as le droit sans doute de n'être pas de mon avis: je n'ai pas le droit de t'empêcher de parler autrement; quant à moi, etc.* Nihil novi simplicius et convenientius hac explicatione. Vet. schol. et post eum omnes editi libri,

Quisquis es, ô modo, quem ex adverso dicere *feci*,

id est, finxi, constitui adversarium mihi. Miror Casaubonum, qui aliquot codd. usus est, præsertim Puteano nostro hæc non animadvertisse.

V. 46. *Hæc.* Vet. schol. habet *hoc.* Cæteri omnes et editi et scripti libri *hæc*, certe melius. In nonnullis codd. versus iste vacat, in codd. præsertim 8050 et 8274. Cod. noster, *hæc.*

Ebria veratro: non si qua elegidia crudi
Dictârunt proceres: non quidquid denique lectis

nis. — *Non hic est Ilias Acci.* Expeditu difficillimus iste locus mire interpretes cruciavit; et reipsa, verba *non est hîc Ilias Acci, etc.* usque ad *calidum scis, etc.*, non bene cum aliis concordant, sive illa referas ad poëtam ipsum, sive ad alium quemque: unde hos versus interpolatos, seu transpositos suspicari possis, quos tamen, cùm in omnibus reperiantur libris, interpretari quoquo modo, atque præcedentibus et consequentibus nectere oportet. En igitur, paraphrasi adhibitâ, quæ nobis potior visa est sententia: jam dixit: *nam belle hoc exeute totum; quid non intus habet?* adulationis, scilicet. Istæ plerumque acclamationes, ista elogia, vel turpiter muneribus corrogantur, vel a stultis et ineptis auditoribus conceduntur: his igitur mihi nullo modo opus est: quin immo, ea contemno: nam, nec mihi Ilias recitanda est, ut Accio Labeoni, nec mihi elegidia dictanda sunt, ut proceribus, nec mihi opus scribendum est in lectis citreis; satiras scribo: quod genus profani inaccessum vulgi auribus sapientibus paucissimis tantum, et probis esca reservatur. Tu contra dives esurienti assentatori *calidum scis ponere sumen;* frigore tremulum trito vestimento scis donare comitem; et verum inquis amo: etc.—*Ilias Acci.* De ea vid. sup. v. 4. A.

51. *Ebria veratro.*] Ad quam scribendam multâ potione ellebori Accio opus fuerit. Elleborum autem ad excitandum tardum ingenium erat aptissimum, ex opinione veterum; et notum vel exemplo Carneadis Academici, qui solitus elleboro purgari, quoties cum Zenone stoico res illi erat futura, vel ex Plin. Sec. lib. XXV, cap. 5: *Candidum purgat vomitione, causasque morborum extrahit: quondam terribile, postea tam promiscuum, ut plerique studiorum gratiâ ad providenda acrius quæ commentabantur sumpsitaverint.*—*Veratro.* Veratrum album est elleborum. —*Elegidia.* Diminutivum ab elegia: hæc Galli vocant *chansons de table, inpromptus.* — *Crudi.* Crudum adhuc in stomacho cibum gerentes: qui sensus ad illum potest referri, quem Horat. expressit, epist. lib. II, 1, v. 109:

.... Pueri patresque severi
Fronte comas vincti cœnant, et carmina dictant. C.

52.[1] *Lectis.... citreis.*] Lectos discubitorios, quidam intelligunt; sed, Casaubonus lectulos lucubratorios opulentorum proprios qui, ut Plinius docet, usque inde e Libya materiam lignorum petebant. « M. Mongez a « fait un mémoire sur le bois de « *citrum*, dont les anciens faisaient « des meubles si précieux; bois « que l'on a cru longtemps perdu, « et que M. Olivier, dans ses « voyages en Perse, a probable« ment retrouvé dans les grands

Scribitur in citreis. Calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum tritâ donare lacernâ;
Et verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me.
Quî pote? Vis dicam? Nugaris, cùm tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit;

« genévriers du mont Taurus. » *Feuilleton du Publiciste du 4 juillet* 1808. A.

53. *Scis ponere sumen.*] Laute excipis homines, quorum applausus emas et suffragia. — *Sumen.* Cibus delicatissimus. At vide Juv. sat. XI, 138; XII, v. 73.

54. *Scis comitem horridulum, etc.*] Contra Horat. epist. lib. I, 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum et tritæ munere vestis. P.

55. *Et verum, inquis, amo.*] Quasi verum sentire et dicere queant, quos muneribus corrupisti. Hunc locum illustrat Arrianus, libro tertio: Πρώην, inquit, ἐπαινεθεὶς περιήρχου, καὶ πᾶσιν ἔλεγες, τί σοι ἔδοξα; Θαυμαστὸς, κύριε, τὴν ἐμὴν σοι σωτηρίαν. πῶς δ' εἶπον ἐκεῖνο; Τὸ Ποῖον; Ὅπου διέγραψα τὸν Πᾶνα καὶ τὰς Νύμφας. Ὑπερφυῶς. — *Verùm mihi dicito de me.* Plaut. Mostell. act. I, scen. 3:

Ego verum amo, verum volo mihi dici.

Cod. autem noster, et alii permulti habent *dicito*, non *dicite*.

56. *Quî pote?*] Quo modo id fieri possit, ut veritatem tibi dicant isti? Nam, Horat. lib. I, sat. 2:

. . . . Male verum examinat omnis
Corruptus judex. . . . .

— *Vis dicam?* Scil. ego qui tuis beneficiis non sum corruptus. — *Nugaris.* Inepta scribis, et recitas; quod aliter fieri non potest: nam pinguis et obesus venter subtilem non parturit sensum. *Nugari* autem pro versus facere notissimum est. — *Calve*, ut supra *vetule*. P.

57. *Aqualiculus.*] Diminutivum pro aqualicus et aqualis. Pro ventriculo a medicis aliquando sumitur; quo modo non semel accepit Marcellus Empiricus. Seneca ad Lucilium: *Cùm pervenit cibus in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit.* Hoc loco, significat ventris imam partem. — *Sesquipede.* Uno et dimidio pede. *Sesqui*, in compositione dimidiatum significat; sic, *sesquihora*, hora cum dimidia dicitur. P. et A.

58. *O Jane, etc.*] Hoc versu, et sequentibus, usque ad 63, solerti et poëticâ utitur apostrophe ad sententiam, quam modo exposuit, confirmandam: scilicet, ipsos divites poëtastros palam quidem, et in os landari ab adulatoribus, a tergo autem derideri. Quam sententiam, ἐσχηματισμένως διὰ τοῦ ἐναντίου enuntiat: nam, ut infelicitatem eorum ostendat, beatum prædicat Janum, bifrontem Deum, cui ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω cernenti

Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;
Nec linguæ tantum, sitiat canis Appula quantum.
Vos, ô patricius sanguis, quos vivere jus est

facile sit a fuco eorum sibi cavere, qui coram laudarent, a tergo subsannarent. C.—O felicem, inquit, Janum, quem bifrontem nullus subsannavit! At, vos, ô patricii, queis datum vivere sine oculis in occipitio, cavete ne derideant a tergo iidem, qui a fronte vos prædicant. Cæterum, hæc apostrophe salibus et festivitate plena, post versum 68 melius meo qualicumque judicio flueret, et perciperetur, in hunc modum:

. . . . Calidum scis ponere sumen.
Et verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me.
Quî pote? vis dicam? Nugaris, cùm tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
Quis populi sermo est? Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues. Scit tendere versum,
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno:
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ.
O Jane! a tergo quem nulla ciconia pinsit;
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;
Nec linguæ tautum, sitiat cauis Appula quantum.
Vos, ô patricius sanguis, quos vivere jus est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

A.

— *Quem nulla ciconia pinsit.* Pro generali verbo *subsannare*, poëta tres species subsannationum posuit. Digitus ad modum rostri ciconiæ extensus est primum derisionis signum. P.

59. *Nec manus auriculas.*] Appositis ad tempora pollicibus, alios digitos et reliquam manum movere, eo modo quo asinus movet aures, alterum derisionis genus. P.

60. *Nec linguæ tantum, etc.*] Ordo est: nec (supple cui Jano) tantum linguæ exeritur, quantum exerit canis Appula. *Britannicus.* — *Nec linguæ.* Linguam exertare ad contumeliam, tertium derisionis genus. Divus autem Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum, sic: *Ne credas laudatoribus, qui, cùm te adulationibus suis foverint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*—*Canis Appula.* Apulia fervida est regio; et, ut vocat Horat. *siticulosa.* C. et P.

61. *Patricius sanguis.*] Patriciorum filii et nepotes. Designantur hoc loco quilibet nobiles Romani. Horat. Art. Poët. *Vos ô Pompilius*

V. 61. *Jus est.* Omnes fere codd. et edd. habent *fas est.* Vet. schol. *jus est.* Hanc lect. prætulimus. Colbert. II, quoque *jus est.* Noster cod. *fas est.*

Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ!
Quis populi sermo est? Quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues. Scit tendere versum,
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno:
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ.

sanguis.—*Quos vivere jus est.* Quos natalium humilitas non cogit spe alicujus commodi scribere, et recitare, quibusque oculis post tergum non opus est, etc. C. et P.

62. *Occipiti.*] Occiput, pars capitis posterior, sicut sinciput, anterior.—*Posticæ occurrite sannæ.* Abstinete vos a scribendis malis versibus, atque eo modo posticam derisionem prævertite.—*Posticæ.* quæ fit post.—*Sannæ.* Vid. Juv. sat. VI, v. 306.

63. *Quis populi sermo est?*] Hæc quæstio iterata pendet ab illa quam in ore divitis poëtastri reposuit, v. 55, *verum mihi dicito de me.* Pro se poëta jam respondit his verbis: *vis dicam? Nugaris, etc.* Dives urget, hoc loco: *Quis populi sermo est?*—*Quis enim? nisi, etc.* His, pro adulatore respondet noster satiricus: quis esse possit; nisi ut urbs universa quasi admiratione percita cantet laudes tuas et encomia. Hæc et similia coram te proferet adulator: at enim, a tergo, ridicule! *tunc, vos, ô patricii, posticæ occurrite sannæ!* A.

64. *Ut per leve severos.*] Locutio ab arte fabrili translata: nam, qui marmora aut ligna poliunt, operis levitatem ungue explorant; quod proprie ἐξονυχίζειν dicunt. Sic hæc verba Persii, περιέφρασε Sidonius Apoll. lib. IX, epist. 7: *Tota denique* (loquitur de structurâ orationis) *liquida prorsus et ductilis: veluti eùm crystallinas crustas, aut onychitinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe, si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.* — *Scit tendere versum.* componere, producere. C.

66. *Non secus ac si, etc.*] Altera metaphora a fabris; qui lineam ducturi rectam, et hanc seu cretâ, seu rubricâ notaturi, alterum claudunt oculum, ne radii visuales distrahantur, et aberrent. P.

67. *Sive opus in mores.*] Sive scripserit in *mores.* Hoc verbo, interpretes comœdiam intelligunt, sicuti *luxum* explicant satiram, et *prandia regum*, tragœdiam. —*In prandia regum.* Alludit ad Thyestæ cœnam satis notam. A.

68. *Res grandes.*] Ut supra *grande aliquid.* Ironice.—*Nostro dat Musa poëtæ.* Sunt verba supposititia populi, quæ insano diviti refert adulator.—*Nostro.... poëtæ.* Quidam, hoc loco, Neronem tangi volunt. A.

Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum

69. *Ecce modo heroas, etc.*] Exposita inani grandiloquia in elegidiis, aliisve levibus carminibus, quam tunc omnes, a principe usque ad minimum civem, perverso judicio, sectabantur, ad insaniam illorum transit, qui linguam Græcam dum vix delibârunt, quique vix periti edissere, ut decet, faciliora argumenta, in quibus solent tirones exerceri, qualia sunt descriptio nemoris, laudatio rei rusticæ, *sensus heroas*, id est, heroicum carmen, seu epicum, ambitiose nimis aggredi gestiunt: quam dementiam pari fere modo satiricus noster reprehendit, *Art Poétique, chant, III:*

Un poëme excellent, où tout marche et se suit,
N'est pas de ces travaux qu'un caprice produit.
Il veut du temps, des soins; et ce pénible ouvrage
Jamais d'un écolier ne fut l'apprentissage.
Mais souvent parmi nous un poëte sans art,
Qu'un beau feu quelquefois échauffa par hasard,
Enflant d'un vain orgueil son esprit chimérique,
Fierement prend en main la trompette héroïque.
Sa Muse déréglée, en ses vers vagabonds,
Ne s'éleve jamais que par sauts et par bonds,
Et son feu, dépourvu de sens et de lecture,
S'éteint à chaque pas, faute de nourriture.

Cæterum, nescio quâ ratione inducti Casaubonus, et post hunc interpretes Galli *Le Monnier* et *Sélis*, hæc de juvenibus vix e gymnasio egressis, a Persio dici volunt. Nihil tale legere est vel in superioribus, vel in inferioribus. De iisdem, aut similibus poëtastris Persius loquitur, qui clientûm suorum et adulatorum vanis exclamationibus ebrii subito ad carmen epicum transvolant. Crudos vidimus eos dictantes elegidia, in lectis citreis; populus applausit (sic aiunt adulatores); *ecce modo* nos *videmus eos afferre sensus heroas*, eos nugàri solitos Græce, eos vix peritos, etc. Nihil, ut nobis videtur, hàc interpretatione planius ac lucidius. — *Heroas sensus*. Pro heroos, et forte sic legendum, inquit Casaub. A.

70. *Nugari solitos Græce.*] In scribendo lascivire more Græcorum, aut Græcorum verba poëmatibus suis inspergere atque inserere, ut meliora et concinniora videantur. — *Nec ponere lucum artifices.* Jam vidimus in Juven. sat. I, v. 7:

Nota magis nulli domus est sua quàm mihi lucus
Martis, etc. . . . .

V. 69. *Heroas.* Quidam codd. *heroos;* utrumque bene. *Heroas*, acc. pl. masc. a substantivo *heros-ois ; heroos*, acc. pl. masc. ab adjectivo *herous - a - um*.

Artifices; nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno;
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cùm trepida ante boves dictaturam induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit....

En igitur has descriptiones triviales, quas vix concinnare queunt. — *Lucum.* Pro quovis luco. A.

71. *Rus saturum.*] Rus, sive prædium bonis refertissimum, et quod describere, vel laudare cupientibus, futurum sit benigna materia. — *Ubi corbes.* Explicat pluribus quod voce unicâ significaverat, cùm rus *saturum* vocavit, copias ruris breviter recensens, et loca aliquot indicans, unde ruris encomia duci et late diffundi poterant. Ad copiam hæc spectant, *corbes, focus, porci, fœnum;* quæ singula in rem suam scite transfert, qui rusticam vitam laudare destinat. C.

72. *Fumosa Palilia.*] Pales erat Dea pastorum, cujus festa agebantur 11 Kal. Mai. ad arcendos lupos et morbos a pecore, et ut felix esset et fœcundus pecoris partus. Ovid. Fast. lib. IV. Varro ap. vet. interpret. *Palilia tam privata quàm publica sunt apud rusticos: ut congestis cum fœno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes:* unde, hoc loco, *fumosa* Palilia dicuntur. C. et P.

73. *Unde Remus.*] Quo ex agro prodiit Remus cum fratre, scil. Romulo, et Romam condiderunt, circa Paliliorum diem. Ovid. Fast. IV. — *Sulcoque terens, etc.* Unde tu quoque prodiisti, ô Quintî Cincinnate! qui ex aratro ad dictaturam es evocatus: quod notum omnibus, ex Tit. Liv. lib. III. — *Sulco terens dentalia.* Arans. Nam inter arandum dentale, vel lignum cui vomer inducitur, continuâ aratione atteritur. P. et *Lubinus.*

74. *Trepida.*] Festinans, more Virgilii, inquit Servius. Tit. Liv. loco cit. *Togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jussit.* C.

75. *Et tua aratra domum, etc.*] Δεινῶς hoc dictum: nam quantum illud est, quod aratori lictor publicus ministraverit, ejusque aratra domum retulerit? His autem supra dictis, non male suspicabatur Casaub. allusisse Persium ad aliquem sui temporis poëtam qui, cùm de re rustica carmen aliquod composuisset, forte in eo multa inepte congesserat, ut festa Palis, urbis Romæ originem, Q. Cincinnati historiam, hæc simul intextens corbibus, focis, porcis, etc., quæ

V. 74. *Dictaturam.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus antiquioribus tum scriptis, tum editis libris. Vet. schol. et nonnulli codd. *dictatorem.* Cod. Puteanus quoque *dictatorem.* — Supra, *cùm.* Male cod. noster, *quem.*

ADVERSARIUS.

Euge, poëta!

PERSIUS.

Est, nunc Briseis quem venosus liber Accî,

conjectura mihi satis arridet, quasi noster poëtastris, quos subsannat, hoc loco, insulsam hujus poëtæ fecunditatem etiam concedere noluisset. A.

75. *Euge, poëta!*] Hæc adversario tribui primus interpretum, qui eadem Persio tribuebant, quasi poëtastris ironice acclamasset: *euge, poëta!* Verum, in hoc sensu, dixisset: *euge, poëtæ!* nam de pluribus agitur: *nugari solitos, etc. nec ponere lucum artifices, etc.* Cæterum, satis aliena et ingrata foret in ore Persii ista exclamatio; in ore autem adversarii, idem sonat atque iste versus in ore *Aristi* (Vid. *Moliere*, *Misanthrope*), qui perpetuis aulicorum in absentes maledicis ac mordacibus telis defatigatus, et exasperatus, exclamat:

Poussez ferme, poussez, mes bons amis de cour! A.

76. *Est, nunc Briseis, etc.*] Nunc poëtas et oratores irridet qui, in jactationem eruditionis, voces obsoletas et ab usu remotas usurpabant, simul et translationes verborum duriores. Utrumque errorem Quintilianus in octavæ institutionis procemio, sic reprehendit: *Quid, quòd nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* Et cap. II ejusdem. *Obscuritas etiam fit verbis ab usu remotis: ut si commentarios quis pontificum, et vetustissima fœdera, et exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit non intelligatur: hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire videantur.* — *Briseis liber venosus*, et *Antiopa verrucosa*, duarum tragœdiarum nomina sunt, quarum hanc Pacuvius composuerat, illam Accius. — *Venosus liber.* Scil. deformis, ut sunt homines macri et senes, quibus dedit longa ætas *deformem pro cute pellem:* istis enim venæ exstant, carne senio absumptâ. — *Accî.* Cave ne hunc confundas cum Accio, seu Attio Labeone, de quo supra. Hic, cujus mentio nunc est,

V. 76. *Briseis.* Contra codd. multos et vet. schol. lego cum Casaubono *Briseis*, non *Brisæi*. Briseis notissimum feminæ nomen ex Homero et aliis poëtis, cujus casus maxime tragœdiæ convenire potest. Qui legunt *Brisæi*, volunt esse epitheton Accii, quasi poëta dixisset Accii Baccbiei, furentis; a Baccho, qui Brisæus dictus est; sed id contortum nimis, ac longe petitum. — *Accî.* Hoc loco, ita legendum, non *alti*. Vid. supr. comment. Colbert. II, et Thuaneus I, *Acci.* Cod. noster, *Brisei*, et, hoc loco, *Acci.*

Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, *ærumnis cor luctificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cùm videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? Unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?

poëta vetus fuit tragicus Pacuvii ὁμόχρονος, qnocum fere semper apud scriptores jungitur. Vid. Tull. pro Arch. poët. Macrob. Saturn. lib. I, cap. 7. Val. Max. lib. III, cap. 7, etc. C. et P.

77. *Pacuvius.*] Tragœdorum princeps aliquanto junior Plauto. Ennii ex sorore nepos fuisse dicitur. Duorum horumce poëtarum stylus, teste Quintiliano, lib. X, cap. 1, asper quidem et durus, attamen interlucet sententiis. — *Verrucosa.* Quasi verrucis et tumoribus aspera, præ vetustate, rudis et impolita. P.

78. *Antiopa.*] Titulus tragœdiæ Pacuvianæ, cujus sic meminit Tull. lib. I, de Fin. *Quis Ennii Medeam, et Pacuvii Antiopam contemnat et rejiciat.* — *Aerumnis cor luctificabile fulta.* Verba Pacuvii ex Antiopa, quod est verissimillimum, deprompta. Hunc versum Persius merito notat, tum propter metaphoram impropriam, duram et ineptam, *ærumnis fulta*, pro circumcincta calamitatibus, tum propter manifestam affectationem, quæ inest in epitheto *luctificabile*; quod verbnm, præterea, parum sermoni aptum est et conveniens. Ea autem vocat Horat. *ampullas et sesquipedalia verba.* A.

79. *Hos pueris monitus, etc.*] Cùm igitur videas patres *lippos*, insanos hæc præcipientes pueris, scilicet, ut veteres poëtas sicuti exemplaria sequenda legant atque sectentur. — *Infundere.* Recte: nam puerorum ingenio instar vasorum sunt.

80. *Unde hæc sartago loquendi.*] Misturam hanc vetustarum et damnatarum locutionum vocat sartaginem loquendi, alludens ad stridorem ingratum rerum quæ in sartagine friguntur. « Ut autem « addit Casaub., Persius sartaginem de oratione dixit; sic Eubulus Græcus comicus ferventium patinarum sonum appellavit λάλημα, id est, loquelam.
Λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι,
Πηδῶσι δ' ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις·
« *Sartago*, vox origine Syriaca. »

81. *Unde istud dedecus.*] corruptæ eloquentiæ, cujus facinoris cùm pudere deberet auctores, illi contra de teneris sensiculis et sententiolis vibrantibus sic triumphant, quasi de re bene gesta. C.

82. *Trossulus.*] A Trossulo Tus-

V. 80. *Sartago.* Ita legitur apud codd. et optimas edd. Male igitur, et contra mentem poëtæ, quidam editores proposuerunt *farrago*.

Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire : *Decenter?*
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur. *Bellum hoc!* Bellum hoc? An, Romule, ceves?

corum oppido, sine peditum ope capto, equites Romani *Trossuli* dicti sunt. Sed vulgo ita vocabant τοὺς κομψοὺς καὶ φιλοκάλους, qui cultu et toto vitæ genere cæteris præstare vellent. Varro sesquiulysse: *Nunc emunt Trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum.* — *Subsellia.* Vid. Juven. VII, 45, 86. — *Levis.* Græc. λεῖος, mollis, vulsus ac resinatus. Vid. Juven. sat. II, 12, et alibi. C. et A.

83. *Nilne pudet.*] Hæc ad oratores spectant. In illos invehitur, qui vel reos defensuri, et capitis periculo liberaturi, id genus tenerum et molle dicendi, ne in scholis quidem et auditorio privato ferendum, transferunt in Forum, et veras causas agunt tanquam fictas declamationes. Quo vitio tenebatur potissimnm illa ætas. Vid. Quint. lib. IV, cap. 11. — *Cano.* Vel vere cano, quod auget πάθος; vel atrato et squallido, reorum more, quæ res etiam canitiem solet accelerare. C.

84. *Quin tepidum, etc.*] Quin gloriæ tuæ servias, et id præcipuâ curâ agas, ut plausum vel mediocrem inde feras. — *Tepidum.* Modicum. Reipsa, *decenter*, non pleno ore, ut *euge*, *belle*; sed levi tantum murmure usurpatur. A.

85. *Fur es, ait Pedio.*] Supple, qui accusat eum. — *Pedius quid?* Respondet. — *Pedius.* Blesus sub Nerone a Cyrenensibus accusatus est exspoliasse templum Aesculapii. Tacit. Ann. XIV, damnatusque et a senatu motus est. — *Rasis.* Politis, elaboratis. P.

86. *Librat in antithetis* (crimina).] Velut in contraria lance opponit criminationibus non valida argumenta, sed meras verborum exornationes et figuras, periodorum affectatos numeros, et quasi appensos, homœoteleuta, homœoptota, isocola, aliasque Gorgiæ inventiunculas. Vet. schol. « Antitheta sunt hæc :

Fortia neglecti velabant colla capilli;
Et per neglecti volitabant colla capilli:
Aut quotiens umbrâ porrexi brachia mota,
Aut quotiens umbrâ reduxi brachia mota.

« Antitheta autem ista sunt, quæ « contra se ponuntur : ut, hinc « pudor, illinc petulantia : hinc « pudicitia, illinc stuprum : istinc « fraudatio, illinc fides. » P. et A.

87. *An, Romule, ceves?*] An adhuc vir es? Minime vero; sed mollis et effeminatus. De verbo *cevere*, vid. ad Juv. sat. II, v. 21, et IX, 40. — *Romule.* Pro Romano

V. 86. *Doctas.* Ita omnes nostri codd. Casaubonus mallet *doctus*, rectius forte; at vulgata lectio bene quoque se habet.

Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? Cantas, fractâ cùm te in trabe pictum
Ex humero portes! Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querelâ.

ADVERSARIUS.

Sed numeris decor est, et junctura addita crudis.

populo, cui credebant Romulum præsidere. Similis apud Juven. exclamatio poëtica, sat. II, v. 126:

. . . . O pater Urbis!
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?

A.

88. *Men' moveat.*] Mene ad misericordiam provocet? Quintil. Institut. XI. *Commoveaturne quisquam ejus fortunâ, quem tumidum ac sui jactantem, et ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat? Non: immo, oderit reum verba aucupantem, et anxium de fama ingenii, et cui diserto esse vacet.*

89. *Cantas!*] O Pedì! florido in sermone Indis, cùm tamen mox ob crimina movendus sis! non demens minus, quàm qui portans humeris tabulam sui naufragii cantat hilariter.—*Fracta.... in trabe.* In tabella: nam tabella est trabis fragmentum. De more isto naufragorum, vid. ad Juven. sat. XIV, v. 301, 302. A.

90. *Verum.*] Supple, ploratum plorabit, nec fictum, nec nocte paratum. Horat. in Arte Poët.

. . . . Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi. . . . .

—*Nocte paratum.* Dicitur Dionys. Halicarnass. ἐκ κατασκευῆς λέγειν καὶ μεμηχανευμένα πρὸς ἀπάτην, qualem fuisse aiunt Isæi orationem. Nocte igitur, id est, ante meditatum et arte confictum. C. et P.

91. *Qui me volet incurvasse querelâ.*] *Incurvasse*, eleganter, pro flexisse. Senec. Consol. ad Polybium: *intelliges non magis tibi incurvari licere, quàm illi, si quis modo est, cujus humeris mundus innititur.* C.—Ita satiricus noster, *Art Poëtiq. chant II*, de iis qui ampullatis verbis dolorem suum exprimunt:

Tous ces amas pompeux d'expressions frivoles
Sont d'un déclamateur amoureux de paroles.
Il faut dans la douleur que vous vous abaissiez:
Pour me tirer des pleurs, il faut que vous pleuriez.
Ces grands mots dont alors l'acteur emplit sa bouche,
Ne partent point d'un cœur que sa misere touche.

92. *Sed numeris decor, etc.*] Hunc versum profert adversarius vulgarium poëtarum causam agens. —*Crudis.* Id est, numeris, versibus istis, quos tu crudos, scil. non satis politos vocas. C. et A.

V. 91. *Incurvasse.* Cod. noster, *incurvare.*

(PERSIUS.)

Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attin,*
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin:
Sic, *Costam longo subduximus Apennino.*

ADVERSARIUS.

Arma, virum.... Nonne hoc spumosum et cortice pingui?

93. *Claudere sic versum didicit.*] Ita, sane, respondet Persius, præclare de Musis Romani sunt meriti, qui, non contenti solutam orationem corrupisse, etiam poëtices sacra intima polluerunt, novo hoc versuum rhythmicorum invento, cujusmodi sunt isti:

Berecyntius Attin,
Et qui cærul. dirim. Nerea delphin. C.

95. *Sic, etc.*] Sic nos versum ampullatis et sesquipedalibus verbis claudere docuerunt, in hunc modum:

Costam longo subduximus Apennino.

In duobus primis versibus præcitatis, merito Persius reprehendit ultimas dictiones, eodem modo desinentes, quod recentiores vocant *rime*, quod genus tunc primum, ut videtur, in usu esse cœpit apud malos poëtas solum; nam optimæ notæ Latini poëtæ semper id inventum respuerunt. Vicit tamen, et in linguas quas Latinæ filias vocant introductum, haud minus tunc versibus nostris decoris, quàm suavitatis secum attulit. Damnat, præterea, secundo versu, hanc metaphoram *dirimebat Nerea*: nam nec Latine, nec Græce dici potest dirimere Neptunum, Nerea, pro æquora navibus arare, scindere, etc. tertio versu, arguit affectatam vanitatem poëtæ, *costam subdux. Apenn.* is enim versus ridiculus videtur, et propter costam subductam monti, et propter spondæum penultimum, quo non opus erat: nam non in animo erat poëtæ, ut Apennini longitudo pingeretur. Cæterum, hos versus esse Neronis non male conjiciunt interpretes permulti, ex his Dionis Cassii ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα ἢ Βάκχας, et ex omnibus veteribus glossis. — *Costam subduximus.* Alludit ad Annibalem, qui igne et aceto Alpes perrupit. Plut. vit. Annib. P. et A.

96. *Arma virum, etc.*] Sed tu, objicit adversarius, qui nostros versus, ut nimium affectatæ sonoritatis et enerves, et vere sensuum atque rationis inopes, tantopere fastidis; quid, quæso, censes de Virgiliana Aeneide? Nonne istud quoque proœmium, *Arma virumque*, tibi videbitur spumosum et inflatum. L. — *Cortice*

V. 93. *Berecyntius.* Non *Berecynthius:* Græcis enim, Βερέκυντιος: ita quoque cod. noster. — *Attin.* Ita ex Casaubono reposuimus. Cod. noster, *Atys.* Veteres autem æque dicebant *Attin* et *Attys*, seu *Atys.*

(PERSIUS.)

Ut ramale vetus, prægrandi subere coctum.

(ADVERSARIUS.)

Quidnam igitur tenerum, et laxâ cervice legendum?

(PERSIUS.)

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis :
Et raptum vitulo caput ablatura superbo

pingui. Hoc est, φλοιοῦ μεςὸν, seu φλοιώδες. Sic enim Græci vocant nugatoria, et quæ vitiosa tument magnitudine. C.

97. *Ut ramale vetus.*] Responsio Persii allegorica; metaphoram adversarii continuat. Grandes quidem, inquit, et sublimes sunt Virgilii versus, sed non inflati : immo, velut cocti sunt et maturo judicio perfecti; similes ramo veteri, magno quidem, sed calore solis et ætate suâ cocto et perfectô. C. — *Cocto.* Coctus opponitur crudo. — *Subere.* Suber, arbor crassæ corticis. Plin. lib. XVI, cap. 8. P.

98. *Quidnam igitur tenerum.*] Ecquod ergo carmen tibi tandem probabitur? — *Laxâ cervice.* Allusio ad recitationes quæ fiebant de scripto, quare Græcis recitatores vocantur οἱ ἀναγιγνώσκοντες, qui molliter recitabant, etiam cervicem suo quodam et peculiari modo inflectebant : is quippe mos ac gestus delicatorum et τρυφητῶν. De hoc vitioso more recitantium vid. supra ad v. 17. C.

99. *Torva Mimalloneis, etc.*] Ironice respondet Persius, et festive pro exemplo affert versus Neronis e Bacchis desumptos (vet. schol. « verba Neronis sunt. »), qui et laborant câdem illâ affectatione rhythmi de qua superius est dictum, quorumque tenuis sensus verborum tumori et fragori minime respondet. C. — *Torva.* A terrendo, quasi *terva*. — *Mimalloneis.* Mimas, Ioniæ mons, in quo orgia Bacchi celebrabantur : hinc Bacchantes dictæ Mimallones. Vid Strab. lib. X. — *Cornua.* Tubas. — *Implerunt.* Inflârunt. — *Bombis.* Sonitibus. *Bombus*, proprie sonus, quem edunt apes; quæ vox, hoc loco, non magis conveniens, quàm *torva* pro incurva, inflexa. P.

100. *Et raptum vitulo, etc.*] « Vitulus, inquit Casaubonus, est « Pentheus, propter adjectam vocem *superbo*. » Et addit : « Vel « est ταῦρος ὑβριςής : nam, etiam « apud Euripidem Bacchæ vitulos occidunt vaccas et tauros :
« . . . . Αἱ δὲ νεμομέναις χλόην
« Μόσχοις ἐπῆλθον χειρὸς ἀσιδήρου « μέτα.
« Ἄλλαι δὲ δαμάλας διαφόρουν σπα- « ράγμασι.

V. 97. *Prægrandi.* In notis suis scripsit Casaubon. *vægrandi.*

Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis,
Euion ingeminat : reparabilis assonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summâ delumbe salivâ
Hoc natat in labris; et in udo est Mænas et Attin;
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

« Postea :
« Ταῦροι δ' ὑβρισταὶ κ' εἰς κέρας θυ-
« μούμενοι
« Τὸ πρόσθεν, ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν
« δέμας,
« Μυριάσι χειρῶν ἀγόμενοι νεανίδων.
« Θᾶσσον δὲ διεφοροῦντο σαρκὸς ἔν-
« δυτα
« Ἢ σὺ ξυνάψαις βλέφαρα βασιλείοις
« κόραις.
« Ex his versibus possumus interpretari Neronis verba, *vitulo superbo*. Atque hinc intelligimus Bacchas Neronis ejusdem argumenti fuisse cum Bacchis Euripidis. » Quæ explicatio mihi magis arridet.

101. *Bassaris.*] Bacchi sacerdos. Bassarides dicuntur Bacchæ a Baccho, qui *Bassareus* quoque a genere vestis appellatur. — *Et lyncem Mænas flexura corymbis.* Mænas, furiosa Baccha, cùm *flectere*, regere vellet lyncem fræno ex hedera, seu corymbis intortis ornato. — *Lyncem.* Fingunt poëtæ Bacchi currum a lyncibus trahi. Nero autem fecerat lyncibus vehi Bacchas, tantâque facilitate animal ferum ab illis regi, ut pro frænis essent ipsis hederæ. Nam *flectere* est ἡνιοχεῖν, equum regere, moderari. C.

102. *Euion ingeminat.*] Clamabant Bacchæ ΕΥΟΙ, ΕΥΟΙ, *Euohe! Bacche pater!* unde clamor iste sit ortus omnibus notum. — *Reparabilis.* Quia voces pereuntes reparat repetendo. Auson. *Resonabilis Echo;* atque Calpurnius, eclog. V :

. . . Reparabilis inchoat umbras.

103. *Hæc fierent, etc.*] Persius, ironiâ relictâ, adversus malos poëtas, et præsertim Neronem, eorumque pejora carmina indignans assurgit. B.—*Testiculi vena ulla paterni.* Hoc est, si quid in nobis virilis roboris maneret. Obscœnior metaphora, qua paternum sanguinem, seu potius virtutem et gravitatem intelligit. P.

104. *Summâ delumbe salivâ, etc.*] Sine lumbis, et sine viribus.

105. *In udo est Mænas, et Attin.*] Metaphora petita a coriis et pellibus, quæ aquis diu immersa et madefacta robur amittunt suum et τόνον, fiuntque languida et mollia. *In udo esse* igitur, idem ac molle, femineum, enervatum.—*Mænas* (Bacchas intelligit), *et Attin.* Jam satis aperte declarat se in Neronem invectum fuisse; quod recte probatur ex verbis Dion. Cass. Vid. sup. ad v. 95. C. et L.

106. *Nec pluteum cædit.*] Poëta meditans, sæpius præ ira, non succedente venâ, pluteum cædit, pulsat, ungues arrodit, caput

ADVERSARIUS.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide, sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant.

PERSIUS.

Sonat hîc de nare canina
Littera. Per me equidem sint omnia protinus alba,

scabit; quod omnibus notum: unde non mirum, si exsuccum, enerve et elumbe carmen Neronis est; cùm, sine delectu, sine labore, sine anxietate animi compositum fuerit. — *Nec demorsos sapit ungues.* Quod boni poëtæ solent. Horat. sat. lib. I, 10. L. et P.

107. *Sed quid opus, etc.*] Rationes suas a Persio elusas ægre ferens adversarius minas adhibet. — *Teneras.... auriculas.* Neronis et principum. — *Mordaci.... vero.* Τὸ ἀληθὲς πικρόν, aiunt Græci. — *Radere.* Metaphora a medicis, qui vulnera putrida cultro radunt ac purgant. P.

108. *Vide, sis.*] *Sis*, antiqua locutio pro *si vis*, ut *sodes*, pro *si audes.* — *Ne majorum tibi.... limina frigescant.* Time potentiores, ne ita offensos habeas, ut frigide te excipiant, et ab amicitia simul et a familiaritate sua excludant. Veteres interpretes Britannicus, J. B. Pius, Nebrissensis, Murmellius aliter: vid. *ne limina* majorum fiant tibi *frigida* horrore mortis, fiant tibi *mortifera.* Imitatio Horatiana, sat. lib. II, 1, 60:

. . . . O puer, ut sis
Vitalis metuo, majorum ne quis amicus
Frigore te feriat! A.

109. *Sonat hîc de nare canina littera.*] Hæc Persio tribui, juvante Casaubono, sic: « Non incommode Persio possent hæc verba « tribui: tum autem *hîc* fuerit, « in verbis tuis, mî monitor. (Scil. « sonat in verbis tuis littera ca« nina.) Et sensus erit, intelligo « quid velis: periculum enim præ« sens denuntias, si in proposito « permansero. » — *Littera* canina est *R*; hanc enim canes videntur exprimere, dum, restrictis labiis, *irritatos se* significant, atque hirriunt. Lucilius:

Irritata canis, quod *rr* quam plurima dicat.

— *Sonat hîc de nare canina.* Je pense toujours que Perse donne au portier une narine de chien; parce qu'un portier qui a l'ordre de son maître de vous exclure, se met à gromeler dans sa loge, lorsqu'il vous voit. Sans cette métaphore, l'endroit n'a pas de sens. *Diderot.* Is autem hæc, *Son. hîc de nare can.* adversario tribuebat, ut multi interpretes, et intelligebat de janitore hirriente, et domino suo molestos rejiciente. A.

110. *Per me equidèm sint, etc.*] Concessio ironica, et festivitatis plena, quam felicius etiam imi-

Nil moror: euge, omnes etenim bene miræ eritis res.
Hoc juvat? Hîc, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: PUERI, SACER EST LOCUS; EXTRA
MEJITE. Discedo. Secuit Lucilius Urbem,

tatus est noster satiricus, sat. IX:

Puisque vous le voulez, je vais changer de style.
Je le déclare donc; Quinault est un Virgile:
Pradon comme un soleil en nos ans a paru:
Pelletier écrit mieux qu'Ablancourt ni Patru:
Cotin à ses sermons traînant toute la terre,
Fend les flots d'auditeurs pour aller à sa chaire:
Saufal est le phénix des esprits relevés:
Perrin.... Bon, mon esprit, courage, poursuivez:
Mais ne voyez-vous pas que leur troupe en furie
Va prendre encor ces vers pour une raillerie?

— *Alba.* Id est, approbatione et laude digna. A.

111. *Bene miræ eritis res.*] Ridicula versûs clausula, ridiculum adulatoribus omnia consentiendi consilium apte pingit. P.

112. *Hoc juvat?*] Placetne tibi consilium meum? hoc enim a me petis (Gall. *êtes-vous content?*).— *Hîc, inquis, veto, etc.* Nempe, hoc ais, scil. te velle pro sacro sanctis haberi Neronem ejusque versus; ita ut grande nefas sit eos flocci pendere, non minus, ac si quis juxta muros templi, vel ædis sacræ *faxit oletum*, alvum exoneret. C.

113. *Pinge duos angues.*] Appone igitur duos angues indicium loci Deo vel Genio alicui consecrati. C. — *Duos angues.* Nullum locum, auctore Servio, antiqui putârunt esse sine Genio, qui per anguem sæpe ostendebatur; et templorum muris pingebatur anguis, ut pueri territi picturâ serpentis locum veluti sacrum venerarentur, nec in eo meierent; utque viri effigie symbolicâ numinis moniti, ab omni impuritate abstinerent. Veteres autem tum Græci, tum Romani, sub specie draconum et serpentûm coluisse Deos constat, ex Herodot. lib. I, II, Pausan. Corinth. Virgil. Aeneid. V, v. 82, Aelian. de Animal. cap. 2, 16, 17, Plut. de Isid. et Osir. et aliis. — *Pueri, sacer est locus.* Prohibitionis formula. Calp. eclog. II:

.... Ite procul, sacer est locus, ite profani. C. et P.

114. *Extra mejite.*] Summæ impietatis fuit apud veteres in loco sacro urinam facere; quod tamen per lasciviam et contemptum numinis a multis fieri legimus apud Aristophanem, Juven. et alios. C.

V. 111. *Omnes etenim bene miræ eritis res.* Hanc lectionem revocavi ex omnibus fere codd. Vet. schol. solus, et post eum editores legunt *omnes, omnes bene miræ eritis res.* Non inelegans ista repetitio foret; at nostra lectio convenientior mihi videtur: *Euge*, inquit poëta, *nil moror; etenim*, nam, extemplo, *omnes bene miræ eritis res.* Cod. noster: *Euge, omnes miræ bene per me eritis res.*

Te, Lupe, te, Mutî, et genuinum fregit in illis:
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia, ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?

(ADVERSARIUS.) Nusquam.

—*Discedo.* Abeo igitur: nam mihi temperare vix possem, quin in his satiricam bilem effundam: nam, ut jam dixi, *sum petulanti splene cachinno.* — *Secuit Lucilius Urbem.* Positâ ironiâ, ad prius suum revertitur consilium, exemplo Lucilii et Horatii usus. — *Lucilius.* De eo vid. Juven. sat. I, v. 165. — *Secuit.... Urbem.* Horat. lib. I, sat. 10:

. . Sale multo Urbem defricuit....

et lib. II, sat. 1:

Primores populi arripuit populumque tributim,

et Juven. loco præcitato. P. et A.

115. *Te, Lupe, te, Mutî.*] Nominatim etiam ausus est carpere, inter alios viros, P. Rutilium Lupum consulem, his verbis:

.... Tubulus, si Lucius, inquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius....

et T. Mutium Albutium, potentem virum, his versibus:

Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titii, Annî centurionum,
Præclarorum hominum ac primorum signiferumque
Maluisti dici: Græce ergo prætor Athenis
Id quod maluisti, te, cùm ad me accedi', saluto.
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni', cohorsque,
Χαῖρε: hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.

Cic. de Finibus, lib. I. — *Et genuinum fregit.* Supple dentem: nam, dens genuinus est, qui a genis dependet: sic, non levi morsu illos pupugit.—*In illis.* Enallage personæ, pro in vobis. P. et L.

116. *Omne vafer vitium, etc.*] Exemplum alterum ab Horatio, qui *vafer*, callidus, solers vitia amicorum etiam perstrinxit; ita ut vix se reprehendi intelligant.

117. *Circum præcordia ludit.*] Ὑπαλλαγή, ludendo admittitur circum præcordia. C.

118. *Excusso populum suspendere naso.*] Deridere, subsannare. Notum est atque etiam nunc illud sannæ genus; cùm aliquid contemnentes, caput quatimus sursum versus: quem gestum expressit Persius ex Horat. ipso:

Naso suspendis adunco.

119. *Men' mutire nefas.*] Mihine

V. 119. *Men'*. Quidam legunt *me*: male, et sine auctoritate.

PERSIUS.

Hîc tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle, 120
AURICULAS ASINI MIDA REX HABET. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum tam nil, nullâ tibi vendo

loqui nefas, et carpere pravos hominum mores. — *Mutire.* submissâ voce loqui. — *Nec clam.* Secreto, inter familiares. —*Nec cum scrobe.* Ἀχύρως, pro nec in scrobe. Allusio ad tonsorem Midæ, qui, cùm ei vidisset asininas esse aures, nec palam auderet evulgare, prurienti linguæ ut satisfaceret, terram effodit, et scrobi factæ insusurravit id quod viderat. Ovid. Metam. lib. XI, cap. 4 et 5. — *Nusquam.* Responsio dura adversarii. P.

120. *Hîc tamen infodiam.*] Id est, Hîc, in hoc meo carmine, consignabo, huic chartæ credam; deinde eam occulam, ac quasi humo aggesta obruam, et dicam: *vidi, vidi ipse, etc.* C. — *Vidi, vidi.* Magna emphasis in hac repetitione. A.

121. *Auriculas asini Mida rex habet.*] Cornutus Persii præceptor et amicus, Neronis metu, poëtam impulerat, ut hanc versûs partem *Mida rex habet*, a sede moveret, atque in ejus locum sufficeret, *quis non habet;* quod omnibus notum est. Frustra quidam recentiores critici contra pugnant dicentes; non minus aperte videri notatum Neronem, si attuleris vulgata ab eo scripta, *torva Mimalloneis, Berecyntius Attin, etc.* Sed futilis est eorum contentio: nam, primo, Nero adhuc adolescens, nec tot ac tantis quibus postea sceleribus inquinatus, suos versus reprehendi patienter ferre potuisset; at in auctorem tantæ injuriæ, *Mida rex habet*, juste ac merito sæviisset: secundo, hanc partem versûs fuisse ita scriptam negarent perperam; in antiquissima enim Persii vita, sic se habet; nec paulo aliter ap. Joannem Saresberiensem legitur, libro II, *auriculas asini Midas habet:* tertio, pars phrasis, *quis non habet*, alteri subrogata, præterquam quòd insulsa pene est, præterea, non cum his concordat *vidi, vidi, ipse libelle.* Quid ea phrasis habet saporis et elegantiæ: *vidi, vidi, quis non habet?* unde necesse erit aliud quiddam hoc loco olim fuisse positum. Quid autem et aptius et festivius? *vidi, vidi, ipse, libelle, auriculas asini Mida rex habet.* Nobis ergo cùm eadem, quæ olim Cornuto fuit, causa timoris, Nerone jam pridem defuncto, non esset, hunc locum juxta mentem poëtæ, et, approbante Casaub. qui restitueretur dignum judicavimus. Cuivis lectori, qui nostrum judicium improbaverit, legere licebit cum cæteris:

Vidi, vidi ipse, libelle,
Auriculas asini quis non habet? A.

122. *Hoc ridere meum.*] Male interpres Gall. Juvenalis *Dusaulx*, in suo proœmio, *de satira*, ex fide interpretis *Lemonnier*, Persium arguit, quasi fatuum et ineptum derisorem, propter hæc, *Hoc ego*

Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporatâ lector mihi ferveat aure,

opertum, hoc ridere meum tam nil, nullâ tibi, etc. quasi ista ad id quod supra dixit dicterium, *auriculas asini Mida rex habet*, debeant referri. Injusta est ejus criminatio: nam, per *hoc ego opertum*, et τὸ *ridere meum tam nil*, « satiras « suas eleganter περιφράζει, in« quit Casaubonus, duabus adhi« bitis notis : quod sit carmen « opertum, et ad movendum ri« sum appositum. Quàm belle « hæc naturam ejus generis car« minum aperiunt! » Sic poëta: meas satiras, meam hanc libertatem ridendi, quæ tibi tam viles videntur, quasque nullius pretii apud Romanos fore dixisti, nullâ tibi vendo Iliade, etc.... Quæ quidem sententia nedum insulsa est et inepta; elegans contra fluit, jocisque referta. A.

123. *Iliade.*] Labeonis Accî scilicet.—*Quicumque, etc.* More philosophorum, Persius indicat quales habere cupiat auditores. Scilicet: mea, inquit, scripta legat quicumque assuetus fuerit legendis carminibus Cratini, Eupolidis, Aristophanis, qui vitia Græcorum mordicus carpsere. — *Audaci.... Cratino.* Vere audaci: nam comicorum fuit et liberrimus, et maledicentissimus. Aristoph. vet. schol. Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς ἅτε δὴ κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις αὐστηρὸς ταῖς λοιδορίαις ἐστίν. Οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων. Cratinus antem Eupolide et Aristophane antiquior, natus Athenis, et floruisse ante bellum Peloponnesiacum, et vixisse ad annum centesimum suæ ætatis dicitur. C. et P.

124. *Iratum Eupolidem.*] Is, cùm versibus Alcibiadem lacerâsset, in mare ab eo præcipitatus est. Cic. epist. I ad Att. lib. VI: *Quis non dixit Eupolim, ab Alcibiade navigante in Siciliam, dejectum esse in mare?* — *Prægrandi cum sene.* Aristophane, quem senem vocat ob monendi increpandique partes quas sustinet in fabulis. Hi autem tres fuere veteris comœdiæ scriptores.—*Palles.* Recte, pro studiis adeo incumbis, ut pallorem inde contrahas; quam dictionem nostri acceperunt. *Boileau*, sat. VIII:

Après cela, docteur, va pâlir sur la Bible. C. P. et A.

125. *Si forte aliquid decoctius audis.*] Hæc modeste dicit, ut supra: *si forte quid aptius exit.* Lege, inquit, si forte aliquid est in his meis satiris tuâ attentione dignum.—*Decoctius.* Elaboratum diligentius. L.

126. *Inde vaporatâ.*] Ex lectione Græcorum poëtarum mens lec-

Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit,
Sordidus, et lusco qui poscit dicere, lusce,
Sese aliquem credens, Italo quòd honore supinus
Fregerit heminas Arretî ædilis iniquas;

toris excitata et inflammata, ad meas deinde satiras legendas proclivis et fervida fiat. A.

127. *Non hic, etc.*] Præcedentibus, dixit a quibus legi velit; nunc dicit a quibus nolit. Duo hominum genera a suis satiris legendis excludit; scilicet, ineptos cavillatores, fatuos; deinde scientiarum detrectatores. — *Qui in crepidas, etc.* Isti, ait poëta, qui, vanâ sapientiæ et virilitatis ostentatione, Græcis suam in cultu elegantiam criminis loco objiciunt; cùm ipsi multo magis sint reprehendendi, propter sordes et avaritiam, vel irridendi, propter affectationem ineptam illuviei et neglecti cultûs. — *Crepidæ.* Sunt proprie Græcorum, ut calcei Romanorum; et *crepidas* nominans, totum intelligit Græcorum studium φιλοκαλίας circa cultum. C.

128. *Et lusco qui poscit, etc.*] Apage etiam cachinnones, illos, fatuos, qui naturalia aliis vitia exprobrare gestiunt, quæ tamen nemini probro esse debent. P.

129. *Sese aliquem credens, etc.*] Hi sunt, quos fatuos vocavimus, qui infimo functi honore *se credunt aliquos*, et cæteros superbe respuunt. — *Sese aliquem.* Locutio familiaris et Juvenali. Vid. sat. 1, v. 74. — *Supinus.* Arrogans, et animi vitium ipso corporis gestu palam faciens. Est genus hominum superbia inflatorum, qui ingrediuntur adeo erecto corpore, atque ὑψαύχενες, ut in cœlos oculi eorum non multo secus ferantur ac resupinatorum; quos sic reprehendit Epictet. ap. Arrianum, lib. I, cap. 21. Τί ὑμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι. C.

130. *Fregerit heminas, etc.*] Hoc exemplo dignitatis tam parvæ et honorem elevat, et ridiculam carpit arrogantiam eorum qui illo functi erant. Primo *ædilis;* quæ dignitas infima erat. Secundo, non in Urbe, sed in municipio; quod ad minuendum honorem plurimum valet. Cæterum, ædiles mensuris et ponderibus præfuisse inter alia, et iniqua fregisse omnibus notum, ex Tull. lib. II, de Leg. Juven. sat. X, v. 102, Turneb. lib. XXIX, cap. 20, et aliis. — *Heminas.* Hemina est mensuræ ge-

V. 127. *Graiorum.* Cod. noster, *Gallorum;* et, in margine: *al. Graior.*
V. 128. *Poscit.* XII codd. habent *possit.* Ita vet. schol. at vividior nostra lectio: nam id est *poscit* in hoc versu, quod *gestit* supra, et infra *scit.* Utraque vox vitium denotat et malam consuetudinem. *Un homme qui ne cherche qu'à, etc.* — *Lusce.* Nonnulli editores legunt *luscus.* Quod recte potest explicari; id est, qui *luscus* ipse *gestit, poscit* alios ludificari, et vocare luscos. Cod. noster, *possis* et *lusce.*

Nec qui abaco numeros, et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia, Callirhoën do.

nus, dimidium sextarii continens (litre, 0,30[c]). Hic, pro qualibet mensura. — *Arreti*. Nunc *Arezzo*, Etruriæ oppidum, vasis fictilibus quondam celebre. P.

131. *Nec qui abaco numeros.... scit risisse.*] Hæc ad studii philosophici et scientiarum detrectatores spectant. — *Abaco numeros....* Descriptos in abaco numeros ab arithmeticis. — *Et secto in pulvere metas.* Lineas ductas a geometris in pulvere: nam sic mathematici figuras describebant. In ea occupatione intentus Archimedes, captis Syracusis, a milite Romano misere occisus est. Tit. Liv. lib. XXV. — *Metas.* lineas geometricas. P.

132. *Multum gaudere paratus, etc.*] Iidem abhorrebant a Græcorum disciplinis, et philosophos, qui e Græcia Romam immigrabant, ludibrio habebant.

133. *Si Cynico barbam, etc.*] Cynicum hic pro quovis philosopho nominat. De *cynicis*, vid. ad Juven. sat. XIII, 121, et XIV, 309. — *Barbam.... vellat.* Atrox erat injuria et ludibrium alicui tanquam fatuo et stolido barbam vellere; quod tamen sæpe accidebat philosophis, præsertim Cynicis et Stoicis. Hor. sat. lib. I, 3, sub finem.

. . . . Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coërces,
Urgeris turbâ circum te stante, miserque
Rumperis, et latras magnorum maxime regum. Brit.

— *Nonaria.* Meretrix quæ prostat ab hora nona et a prandio, cùm jam negotiis homines sunt minus occupati. — *Vellat.* Ut Lais Diogeni qui meretricem hanc amavit. Vid. Athæn. lib. XIII.

134. *His mane edictum.*] Forum mane petant, ubi Prætoris edicta excipiant; vacent avaritiæ et fœnori exercendo. — *Callirhoën do.* Hoc loco, laborant interpretes: alii scortum volunt aliquod famosum; alii scenicos ludos et fabulam de Callirhoë tunc temporis exhiberi solitam; alii natationem et deambulationem (allusio ad fontem in Attica regione Callirhoë nominatum). Contendit Marcilius referendum esse ad Neronem, qui populum edicto vocaret, et cantaturum se Callirhoën promitteret, ut sit Persii sensus: tales ego auditores hinc a meis satiris ablego ad audiendos Prætores mane, et post prandia inepta Neronis carmina. Non male hoc, nisi esset mera conjectura ab edicto Neronis de fabula sua in Callirhoën. Nos igitur iis assentimur, qui hæc intelligunt de scorto celebri, ad quod ineptos lectores mittat Persius. A.

SATIRAE SECUNDAE

ARGUMENTUM.

CARPIT AVARITIAE MALA VOTA PRECESQUE SECUNDA.

Idem prorsus est satiræ hujus atque Juvenalis decimæ argumentum. Uterque poëta luculentissimis versibus nobis ostendit quæ fuerit proborum omnium antiquitatis virorum opinio de ratione ac modo Deorum precandorum; et ea quoque fuit Christianorum (vid. Orationem Dominicam); uterque peccata et errores a vulgo hominum in orando committi solitos redarguit; sed Persio propria laus est, quòd paucissimis versibus plura capita doctrinæ hujus, quam vel Plato, vel Juvenalis est complexus; etsi philosophus Aquinas summâ arte homines a votis peragendis deterret suæ ipsorum utilitatis respectu, scilicet exemplis aptissimis et aperte satis periculum atque insaniam votorum declarantibus. Tres autem Persii carminis partes sunt. « Prima, inquit Casaubonus, extra rem est, soli « decori serviens, ideoque brevissima, et quatuor tantum ver« suum, quibus paratur aditus ad tractationem propositæ the« seos (1 — 4). Macrinum enim familiarem suum laudat, quòd « scientiam bene orandi, ac vota faciendi teneret, neque vulgi « erroribus hac in re implicaretur. Ii cujusmodi sint deinceps « explicatur (5 — 30). Secundâ igitur parte de iis præcipue « tractat, qui in votorum materia peccarent; ostenditque alios « res impias a Djis petere solitos, quos quidem gravissime in« crepat: alios non impia quidem Deos poscere, sed frivola, « ipsis sæpe poscentibus non profutura (immo nocitura, ut recte « ac fusius probavit Juvenalis); atque istorum præterea ineptias « tangit, et ritus in precibus concipiendis superstitiosos, et « irrisione satiricâ dignissimos (31 — 44); postremo pugnantia « sibi invicem contraria hominum vota exagitat (45 — 51). »

His subjungit, omnia vota vel impia, vel frivola e falsa de Diis opinione ortum ducere, quam sibi finxerunt homines, cùm animo corrupti, ac moribus depravati, eo impietatis devenere, ut Deos, more hominum, capi donis sibi persuaderent; unde paulatim nundinatio quædam, et, ut Plato vocat, ἐμπορικὴ τέχνη, inter immortales atque mortales fuerit instituta (52—70). Postremis denique his versibus plane aureis, præstantissimum opus absolvit:

Quin damus id superis. . . . .
Compositum jus, fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto?

SATIRA II.

DE BONA MENTE.

HUNC, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci

1. *Macrine.*] Vet. schol. « Alloquitur Plotium Macrinum, « hominem sane eruditum, et paterno se affectu diligentem, qui « in domo Servilii didicerat, a quo « agellum comparaverat, indulto « sibi pretio aliquanto. » — *Diem.* Natalem tuum. Scilicet, mos erat apud veteres natali amicorum die munusculo eos aliquo afficere; et poëtæ quidem, doctique opuscula sua deferebant: hunc morem sequitur Persius erga Macrinum. De die natali, vid. Censorinum. —*Numera meliore lapillo.* Candido nempe res lætæ notabantur, sicut atro res mœstæ et infelices. Mart. epigram. lib. IX, 53:

Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis.

Cæterum, morem illum viguisse primum apud Thracas auctor est Plin. lib. VII, cap. 40. P.—*Meliore.* Non candidiore; nam, alboris non plures erant gradus; sed inter album et nigrum lapidem *melior*, sine dubio, est albus. A.

2. *Qui tibi labentes, etc.*] Qui ævum, quod quotidie labitur, tibi producit, novum annum dando et auspicando. — *Apponit.* *Ponere* et *apponere* verba sunt calculonum, ut apud Græcos τιθέναι et προστιθέναι. — *Candidus.* Dies natalis bonus, propitius. C.

3. *Funde merum Genio.*] Nascenti cuique homini familiaris et specialis addicebatur Genius, seu Δαίμων, qui natalibus præses, deque ejus salute sollicitus, hortabatur interdum ut, omissis curis, corpus et animum laxaret, et vitam laute beateque ageret; unde hæc, *Genio indulgere*, pro sibi indulgere voluptatibusque frui; et *defraudare Genium*, pro voluptatibus abstinere, se victu suo defraudare; et *belligerare cum Genio*, pro sibi cupiditatibusque imperare. Genio libabant, certis diebus, quod patet ex Horat. lib. II, epist. 1:

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis ævi.

et præsertim die natali (Censorinus de die natali); nam, cæteris quidem diebus, quoties hilarius ac lautius se excipiebant, toties Genio mero ac cæsa etiam victima, nempe porco bimes-

V. 2. *Apponit.* Melius quàm *apponet;* ita optimi codices nostri et editiones. Vetus schol. *apponet.* Cod. Mentellianus, n° 8282, *apponat.*

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.

tri, litabant. Horat. lib. III, od. 7:

Cras Genium mero
Curabis, et porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

Cuique genti, præsertim Romanæ, quoque Genius erat peculiaris, ut patet ex Numm. Coustantinianæ familiæ, quibus ex altera parte stat adolescens nudus, dextrâ pateram tenens, sinistrâ cornucopiam, cum hâc inscriptione: GENIO POPVLI ROMANI. A. —*Non tu prece, etc.* O Macrine optime, non tu perinde ac avari injusta vota Diis nuncupas; nec ullam cum iis nundinationem impiam exerces.—*Prece emaci.* Technica locutio, εὐχῇ ἐμπορικῇ, cui opponitur τὸ ἁπλῶς καὶ ἐλευθερίως εὔχεσθαι, oratio simplex et liberalis. Impudens autem et impia est ista cum Diis pactio: si quidem, hoc vel illud mihi largimini, hæc et illa dona rependam vobis. Vid. Plat. in Eutyphrone; eumdem in Alcibiad. Dial. II. C. et P.

4. *Seductis.*] Quasi seorsum ductis et clam, quia palam ejusmodi vota nunquam fiunt: unde *seductis* idem valet quod *corruptis* muneribus; nam nemo, nisi clam et quasi seorsum ductus, corrumpitur. Unde eruditus abbas *Lemonnier*, in sua interpretatione Gallica, dixerat: *qu'on n'oserait demander aux Dieux, qu'après les avoir tirés à l'écart;* at, pro *tirés à l'écart*, reposuit *Diderot*, *séduits;* et infra addidit: j'incline pour *séduits.* Pour proposer un pareil échange aux Dieux, il faudrait les avoir corrompus, séduits par le sacrifice, comme on séduit les juges par des présents. Hujus explicatio nostram non infirmat: nam nemo alium corrumpere potest palam, coram testibus; sed clam, et quasi seorsum eum trahit, *ducit* ad corrumpendum; unde metaphorice *seducit:* bene autem dicitur Gallice *séduit* homo ita corruptus. A.

5. *Tacitâ libabit acerrâ.*] *Acerra* vas est in quo thus ad olendum

V. 5. *Libabit.* « Perperam, inquit Casaubonus, alii libri, *libavit;* non « enim sic Latini loquuntur, verum Græci. Menander apud Athenæum: « τὰ κεχαρυκευμένα μᾶλλον προσεδέξατο, id est, προσδέχεσθαι φιλεῖ; « loquitur enim de communi more. Plutarchus in præceptis nuptialibus: « οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ, τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις « ἱεροῖς, ἀλλ' ἐξελόντες ἔρριψαν περὶ τὸν βωμόν, hoc est, ῥίπτειν εἰώθασι. « Sic Homerus et alii poëtæ, quod alibi notabamus: at Hebræi et Latini « plurimum futuro utuntur. Horatius:

Non hic cuiquam parcet amico.

« Juvenalis:

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. . . . . »

Vet. schol. *libavit;* ita cod. Pithoei, n° 8245, cod. Mazarineus, Putean. minus bene. Cod. noster, *libabit.*

Haud cuivis promptum est, murmurque, humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
« Mens bona, fama, fides! » Hæc clare, et ut audiat hospes;
Illa sibi introrsum, et sub lingua immurmurat: ô si
Ebullit patrui præclarum funus! et, ô si

ponitur. — *Tacita*. Metonymia, pro votis tacite et submissâ voce factis. P.

6. *Murmurque, humilesque susurros.*] Etiam illi quos dixit *tacitâ libare acerrâ*, non penitus tacebant: sed obscuram de more vocem intra dentes edebant, quam vocat hîc Persius *murmur*, *humilesque susurros*. Apud Horat. lib. I, epist. 16, improbus sic improbe precatur:

> Labra movet metuens audiri: pulchra Laverna,
> Da mihi fallere, da justum sanctumque videri;
> Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem. C. et P.

7. *Tollere de templis.*] E votis suis et precibus in templis factis eximere, demere. — *Et aperto vivere voto*. Nullum votum facere, quod nolis esse apertum. Eo spectabat illud veterum Pythagoreorum symbolum, μετὰ φωνῆς εὔχεο. Seneca: *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

8. *Mens bona, etc.*] Supple: utinam mihi contingat. Juv. sat. X, sub finem:

> Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

— *Hæc clare*. Proferuntur; honesta enim sunt vota. — *Hospes*. Vulgo hospes est, qui tecto excipit peregrinum et externum, pariter et qui excipitur. Tull. pro Dejot. *Per dextram istam, quam hospes hospiti porrexisti.* Hoc loco, sumitur pro quovis ingresso in templum et astanti. P.

9. *Sub lingua immurmurat.*] Sic Latini sub *lingua immurmurare*: at Græci ὑπὸ ὀδόντα dicere amant, et post hos Galli, *murmurer entre ses dents.*—*O si!* Optantis est. Utinam patrui mei funus repente se prodat et exeat! id est, utinam repente evanescat, diem supremum obeat patruus meus, cà lege, ut ei præclarum funus faciam!

10. *Ebullit.*] Ἀρχαϊκῶς, pro ebullierit, ut *axim* pro egerim, *comedim* et *edim* pro *edam*, vel *ederim*, et *dedim* pro dederim. Porro *ebullire*, quod proprie in aqua fervente locum habet, ad omnia repentina transferri eleganter solet varie constructum. C.

V. 10. *Ebullit.* Ita vet. schol. Puteani et Pithoei codd. et tres alii; quidam *ebullet*, Mentellianus et alii permulti *ebulliat*, male propter metrum. Cod. noster, *ebullat*.

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri

— *Ebullire* est employé là pour le tumulte et l'effervescence des grands convois. *Diderot.* — *Præclarum funus.* Quod tunc præclarum, et magno cum apparatu libenter facerem. Sic enim in sua imitatione intellexit satiricus noster:

> O que si cet hiver un rhume salutaire,
> Guérissant de tous maux mon avare beau-pere,
> Pouvait bien confessé l'étendre en un cercueil,
> Et remplir sa maison d'un agréable deuil!
> Que mon ame, en ce jour de joie et d'opulence,
> D'un superbe convoi plaindrait peu la dépense! A.

11. *Sub rastro, etc.*] Utinam, inter arandum olla argenti plena crepet mihi sub rastro! Similiter Horat. lib. II, sat 6:

> O si urnam argenti fors quæ mihi monstret!

Mortes autem suorum et inventio thesauri, inter exempla votorum hominis avari jungi solent. — *Seria.* Vas oblongum, testaceum, quod occultatum sit, seu hostium, seu latronum metu. Testa porro terræ infossa non putrescit: ideoque in seriis et ollis thesauros infodiebant veteres; unde fit, sæpe, ut, nostris etiam temporibus, ollas et serias aureorum argenteorum, vel æneorum numismatum veterum plenas in agris quidam reperiant. P. et A.

12. *Hercule* (dextro).] Favente, propitio, ut Horat. loco mox citato, *amico Hercule:* nam thesauris recludendis præsidere credebatur, et a studiosis rei faciendæ fuisse cultum et πλουτοδότην existimatum Græci Latinique auctores testantur; satisque notum est, non minus Herculi quàm Mercurio polluceri a repente ditatis: nam si Mercurius aperto lucro et negociationi; uterque repentino lucro et inexspectato præerant. Plaut. Mostell. *Is vel Herculi conterere quæstum possiet.* C. et P.

13. *Expungam.*] Sensus est: utinam illum mors rapiat, cujus hereditas mihi contingeret; vel potius deleatur e testamento nomen ejus, cui secundus heres succedo. — *Expungam.* Metaphora petita e numeris militum, ut recte censet vet. interpr.: in illis enim militum nomina post missionem aut mortem delebantur; vel e libris rationum: in his autem, ut quodque nomen erat solutum, statim inducebatur, aut ἐχιάζετο. — *Namque est scabiosus.* Impietatem voti ὑποκριτικῶς excusatione vanâ prætendit: nempe, contagioso laborans puer morbo, cur vivat? — *Scabiosus.* Gallice, *malingre, malsain.* Omnia quæ vituperabant scabiosa dicebant: sic sat. IV,

V. 13. *Expungam.* Cod. unus Bibl. Imp. n° 8273, *expugnam.*

Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor.
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.

scabiosum far, et ap. Juven. *scabiosum pomum.*

14. *Nerio jam tertia conditur uxor.*] Honeste satis votum sunm exprimit impium. Neque enim proprie mortem uxori optat, quæ tamen voti summa erat; sed alium beatum prædicans, cni hæc sæpius contigisset fortuna, figurate quid cupiat ostendit. Nerius autem iste morte trium uxorum, ut videtur, ditatus fuerat; at, Nerius-ne sit, de quo Horat., *Nerio scribe decem*, an alius, incertum est æque.—*Conditur.* Jam mortua est et sepulta. C.

15. *Hæc sancte ut poscas.*] Ironice hoc dictum. — *Tiberino in gurgite mergis.* Sacra peractnri, et Deos adituri veteres sese purificabant; et, quantum id fieri poterat, se lavabant aquâ maris, quò respiciebat Euripides dicens:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά,

vel aquâ fluviali sale immisso purgatâ, vel etiam aquâ fontanâ. Philo de sacrificantibus: Οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ ὕδατι περιῤῥαίνονται· θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοὶ. τινὲς δὲ ποταμοῖς· οἱ δὲ κάλπεσιν ἐκ πηγῶν ἀφυόμενοι. Qui antem Diis inferis litabant, aquâ se aspergebant tantum: qui vero Diis superis sacra faciebant, mergebant se, et totos abluebant. Virg. Aeneid. IV:

Attrectare nefas, douec me flumine vivo
Abluero.

Vid. quoque Macrob. Saturn. lib. III, cap. 11. Hunc morem mutuati videntur a Græcis Romanisque veteres Christiani. C. et A.

16. *Mane.*] Mane et Solis ortu Diis superis; vesperi, et Sole cadente, Diis inferis. Vid. interpp. vett. Apollonii in Argonautas, et Pindari in Isthm. od. 4. — *Bis terque.* Alii totum corpus, alii caput tantum mergebant, ut hîc et apud Theopbrastum; alii caput bis mergebant, alii ter, ut hîc, declarat Persius. Solemnes hi erant numeri in sacris, ut patet ex Ovid. Fast. IV, et Virg. ecl. VIII. — *Et noctem flumine purgas.* Noctem, scil. nocturnum concubitum, nocturnas sordes e Venere contractas; de quo genere purgationis vid. ad Spartianum. Cæterum, antiqui noctem ipsam polluere putabant, ut notat Servius. Propert. lib. III, eleg. 9:

Ac primum purâ somnum tibi discute
lymphâ. C. et P.

V. 14. *Conditur.* Hanc lectionem revocavi ex vet. schol. Puteano cod. Pithoeano et aliis vetnstissimis. Nostræ lectioni adversatnr Casanbonus, auctoritate fretns Servii, apud quem *ducitur* idem est ac fertur ad rogum: at, τὸ *jam* satis indicat Nerii tertiam uxorem jam pridem mortuam et elatam esse, ideoque sepulcbro *conditam.* Pene omnes libri, sed recentiores, habent *ducitur.*

Heus age, responde; minimum est quod scire laboro:
De Jove quid sentis? Estne ut præponere cures
Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio. An scilicet hæres?
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,

17. *Heus age, etc.*] Venustissimo dialogismo stultam impietatem eorum reprehendit, qui scelerata vota Diis offerunt. Arguit autem ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον. Nullus quantumvis sceleratus pro tribunali judex sedens vocem illius feret, qui talia a se petat: et Jupiter feret? C.

18. *Præponere.*] Pietate, sanctitate et justitia.

19. *Cuinam?*] Nondum Persius sensum absolverat, cùm volentem sciscitari ab isto, anuon Jovem quovis judice humano potiorem et justiorem putaret, avarus antevertit petitione istâ, *cuinam?* quasi stupefactus hujus interrogationis novitate: excipit autem Persius, *vis Staio:* quasi dixisset: tu ipse a me petis cuinam judici præponi possit Jupiter? Agedum, eligamus nequissimum hominem, *Staium*, verbi gratiâ. — *Staio.* Ex historia famosissimi illius judicii Juniani quam narrat M. Tull. in Verr. ac pro Aul. Cluent. mutuatus est Persius nomen *Staii;* nullus enim unquam illo turpior aut inquinatior fuit judicum consessus. Ex eo numero fuerunt illi tres *Staienus*, *Gutta*, *Bulbus*, quos toties exagitat Cicero. De *Staio* sive *Staieno*, qui in ea causa judex sedit, multa idem Cicero: præcipue, quòd conjugem suam primo, tum fratrem, fratrisque uxorem gravidam sustulerit, Asinium item Larinatem, adolescentem pecuniosum, Romam blanditiis allectum Arullii opera interfecerit, aliisque sceleribus quàm plurimis se contaminaverit. — *An scilicet hæres?* An scilicet dubitas sitne *Staio* Jupiter præferendus, sitne melior judex, sitne aptior pupillis tutor? C.

21. *Hoc igitur, etc.*] Sustine eadem apud hominem perditissimum loqui, et eadem vota nuncupare, quæ apud Jovem confidenter loqueris. Seneca, epist. X. *Nunc quanta dementia est hominum? Turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent; et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* C. — *Jov. aur. impell.* Jovem

V. 19. *Cuiquam?* Ita codex optimus Mazarinens, Mentellianus et alii optimi. Vet. schol. *cuinam?* et ita distinxit Casaub. Pers. *Estne ut præponere cures hunc?* Avar. *Cuinam? Cuinam?* Pers. *Vis Staio.* Ego autem ita distinguo et intelligo: Pers. *Estne ut præponere cures hunc cuiquam?* Avar. *Cuinam?* Pers. *Vis Staio.* Vid. sup. comm. Cod. noster, *cuiquam? Cuinam?*
V. 21. *Igitur.* Codex noster, *ergo.*

Dic agedum Staio. Proh Jupiter! ô bone, clamet,
Jupiter! At sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas, quia, cùm tonat, ocius ilex
Sulphure discutitur sacro, quàm tuque domusque.
An, quia non, fibris ovium Ergennâque jubente,
Triste jaces lucis evitandumque bidental,

ad libitum flectere, exorare.

22. *Proh Jupiter!*] Vox detestantis, ut passim apud comicos.

23. *At sese non clamet Jupiter ipse?*] Conclusio argumenti. Si vel nequissimus infanda tua vota audiens non potest sibi temperare quin exclamet, *proh Jupiter!* an Jupiter ipse non exclamabit, et se ad vindictam excitabit? A.

24. *Ignovisse putas.*] Scilicet putas ignovisse, quia, etc. Hæc sine interrogatione legenda. Vulgi errorem simpliciter refert, quem mox versu sequenti confutat, dicens: an, quia, etc? A.

25. *Sulphure... sacro.*] Sulphur Persius posuit pro fulmine; nam et sulphuris odorem habet fulmen, et lux ejus materia est sulphurea. —*Quam tuque domusque.* Alludere videtur ad hunc Homeri locum de iis quos serior quidem, sed eo gravior Dei vindicta persequitur:

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ γε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν. C.

26. *An, quia, etc.*] Quia non jaces in lucis triste bidental et vitandum, fibris ovium id significantibus, et Ergennâ haruspice jubente; an, idcirco, Jupiter tibi concessit, ut ei impune vellas barbam?—*Fibris ovium.* Extis, intestinis ovium quibus expiaris. —*Ergennâque jubente.* Ergenna, nomen proprium sacerdotis fulgurum conditoris. Vid. ad Juven. sat. VI, 587. P.

27. *Triste jaces lucis, etc.*] Moris erat, ut icti fulmine, quo loco fuerant exstincti, ibi relinquerentur, neque instar aliorum cremarentur; sed, ibidem, in eodem statu quo fuerant reperti sepelirentur: nam nefas erat eos in genua tollere et efferre. Locus ipse sacer habebatur, ac certis cærimoniis, prout libris fulguralibus Tagetis, et aliorum Etruscorum continebatur, sacra eo loci fiebant: neque id semel solum, sed in posterum etiam religiose locus colebatur, aris etiam ibi positis, et reliquo sacrificiorum apparatu. Fulguritum autem Persius dixit *jacere in lucis*, quia locus sacer in quo exstinctus fuerat luco similis erat, cùm intactum maneat quidquid in eo nascitur; propterea, sine dubio, post certum temporis lap-

V. 23. *At.* Vividior quàm *ad*, quæ est lectio vet. schol. Cod. Pithoei alter, Puteanus, quinque alii, et noster, *at:* Mentellianus *ac*, male.

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, quâ tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens divûm matertera, cunis

sum, ipse locus intactus securi fiebat lucus. — *Evitandumque bidental.* Appellat *bidental* ipsum fulguritum, poëticâ licentiâ: nam vulgo ita vocabant locum cui religio propter talem casum accesserat; *quòd in eo bidentibus sacrificarent*, inquit Festus. *Evitandum* dicit, quia, ut Marcellinus ait, lib. XXIII: *hoc modo contacta loca nec calcari fulgurales debere pronuntiant libri.* C.

28. *Stolidam.*] Recte: nam fatui et babæ hominis et abjectissimi foret suam barbam præbere vellendam. De hoc gravi ludibrio vid. sup. sat. I, v. 133. — *Vellere barbam.* Alludit ad factum Dionysii Syracusani satis notum. C.

29. *Aut quidnam est.*] Aut quid mercedis est, quâ tu emeris et conciliaveris tibi aures et patientiam Deorum?

30. *Pulmone et lactibus unctis?*] Numquid pulmone et pinguibus intestinis tibi eorum favorem et veniam comparasti. « Aristotelis « præceptum est, inquit Casaub. « in tert. Rhetoric. quoties vitu« perabis aliquid, ut ex iis, quæ « ad genus idem pertinent, id po« nas quod vilissimum est: quoties « laudare instituas, id quod no« bilissimum: recte igitur hoc « præcepto usus est Persius; nam « ex omnibus quæ Diis offeruntur, « quid vilius pulmone et lacti« bus? » — *Lactibus.* Lactes dicuntur partes intestinæ graciliores, quasi lacte candidiores, et molliores. — *Unctis.* Lautis et pinguibus. P.

31. *Ecce, etc.*] *Ecce* transitionem indicat: nam ad aliud genus votorum transit, quæ etsi non tam damnanda videntur, et potius in infirmitate et imperitia humana originem habent, nihilominus satirâ digna judicantur, veluti supervacua, perniciosa et superstitiosa, qualia illa quæ suscepta pro opibus, potentia, eloquentia, militari gloria, fama, longævitate, forma, etc., miro ordine persequitur Juvenalis, sat. X, quem vide si placet. A. — *Ecce avia.* « Olim (inquit Casaub.) non sta« tim ut erat natus infans aliquis « et tolli jussus, pro vitali et γονίμῳ « partu habebatur; sed aliquam« multi exspectabantur dies, qui « fidem facerent vitalis fœtus.... « Quinto die pro puero sacra fa« cere solebant Romani; et de « partu vitalis esset, necne, Pi« lumni lectum consulebant. Ser« vius: *Varro Pilumnum et Picum« num infantium Deos esse ait, eisque « pro puerpera lectum in atrio sterni, « dum exploretur, an utilis* (lege « forsan *vitalis*) *sit, qui natus est.* « His cærimoniis et aliis peractis, « *lustricum* infantium diem cele« brabant; qui fuit octavus puel« larum, nonus puerorum, auc« toribus Festo, Plutarch. et Ma-

Exemit puerum, frontemque atque uda labella,
Infami digito et lustralibus ante salivis,
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram, supplice voto,

« crob. Ille dies et lustricus voca- « batur, quia lustrabatur infans; « item nominalis, quia nomen illi « indebatur.... illâ igitur die, « puerum lustrabant (quam cæri- « moniam describit hoc loco Per- « sius), nomen illi imponebant, « ac vota pro eo faciebant, » quæ vota refert pariter satiricus noster. — *Matertera.* Μητραδελφὴ, matris soror, quasi mater altera. Conveniebant ad nominalia omnis cognatio. Lustrandi autem partes proprie piatricum muliercularum fuere, quæ erant anus recoctæ, circumferendi, et omnium rituum illorum peritæ. — *Cunis exemit.* Ut præsens sisteretur ad sacra quæ pro ipsius salute, tum aliis Diis Deabusque, tum etiam Deæ Cuninæ fiebant. C.

32. *Frontemque atq; uda labella.*] Egregius is Persii locus de ritibus quibus recens nati lustrabantur. Hinc videmus salivam solitam admoveri ad frontem et labra eorum (idem apud christianos baptismatis die mos exstat), idque digito infami. C.

33. *Infami digito.*] Id est, medio. Cur autem infamis dicatur, vid. ad Juven. sat. X, v. 53. — *Et lustralibus ante salivis.* In expiationibus antiqui non meram solum adhibebant salivam; sed et pulverem sputo turbatum; hoc est, lutum. Petron. *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque signavit.* Salivam autem salutarem ait Plin. lib. XXVIII, cap. 4. Quo in honore apud veteres salivæ ad maleficia et mala cujusque generis arcenda fuerint effectus, confirmat exemplum etiam Christi, qui ad sanandum cæcigenum eâdem ratione, sed specie tantum, usus est. C. et A.

34. *Urentes oculos.*] Id est, enecantes, mortem afferentes. Vid. Plin. lib. VII, cap. 2, item fascinantes: nam fascinum pueris præsertim suis timebant, et salivam solam eo valere credebant, amuleta etiam et res turpiculas ideo pueris appendebant. Hunc veterum errorem de fascinatione, cujus hodie heredes sunt Turcæ, atque etiam apud nos homines rusticani permulti, notat Virg. eclog. III:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. C. et A.

35. *Tunc manibus quatit, etc.*] Post expiationem quam descriptam vidimus, sequebantur preces et vota. Cùm autem vota faciebant, manibus pueros quatere solebant, quasi præsentibus Diis illos offerrent. Homer. De Hectore, Iliad. ζ.

Αὐτὰρ ὅγ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κύσε πῆλέ τε χερσὶν,
Εἶπεν ἐπευξάμενος Διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσιν· C.

V. 33. *Digito.* Cod. 8274 et duo alii, *studio*, male.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex et regina: puellæ
Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota; negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogârit.
Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ.

— *Spem macram*. Id est, infantem de quo tenuis adhuc spes esse potest. *Spes* Latinis familiaris locutio, pro pueritia et juventute: Virgilius: *Nec spes jam restat Iuli.*

36. *Nunc Licini in campos.*] Vota primum facit pro divitiis, quod, quia frequentissimum est, cæteris omnibus præposuerunt Persius et Juven. C.—*Licini.* Casaub. vult intelligi Licinium Stolonem cujus meminit Liv. lib. VII, c. 16; ego vero Licinum Aug. tonsorem et libertum. Vet. schol. « De hoc « non invenustum Varronis epi- « gramma fertur:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: quis putet esse Deos?

De eodem Licino, vid. ad Juvenal. sat. I, 109, X, 223, XIV, 306.—*Crassi.* Cognomine divitis, satis noti. De eo ejusque miserrimo interitu, vid. Juv. sat. X, v. 108. A.

37. *Hunc optent generum.*] Vota pro potentia. — *Puellæ hunc rapiant.* Vota pro forma.

38. *Quidquid calcaverit, etc.*] Vota pro absoluta omnibus numeris felicitate. Claudian. in laude Serenæ:

. . . . . . Quocumque per herbam
Reptares, fluxere rosæ. . . . . . . C.

39. *Ast ego nutrici non mando vota.*] Nolim nutricem id sibi muneris assumere, ut pro puero vota concipiat. Notus est cæcus nutricum in alumnos affectus; sed quoniam a mulierculis abesse solet prudentia, quibus ne liberalis quidem educatio contigit, optant igitur persæpe illæ suis alumnis quæ non sunt vere bona, sed quæ ipsis videntur. Horum porro parentum, de quibus sup. similia esse vota vult Persius istarum nutricularum insanis votis. Senec. epist. LX: *Etiamnum optas quæ tibi optavit nutrix, aut pædagogus, aut mater? Nondum intelligis quantum mali optaverint.* C.

40. *Albata.*] Albis vestibus induti erant qui sacrificabant, vel sacra quædam agebant, vel precabantur, eo quòd ille candor vestis typus sit animi innocentiæ. P.

41. *Poscis opem nervis, etc.*] Damnat temeraria vota eorum, qui sibi suisque votis obstant. Et primo qui corporis vires et sanitatem optant, et crapulâ se enecant; deinde, qui divitias poscunt, et sua incassum dilapidant: uno verbo, sua ipsimet vota contraria vitæ ratione destruunt. Τὰν

V. 36. *Licini.* Nonnulli codd. *Latini*, *Lucini*, *Liclini*, alii corruptius, ut persæpe fit, cùm de propriis nominibus agitur. Cod. noster, *Licini.*

Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa
Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur:
Rem struere exoptas, cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibrâ: da fortunare Penates,
Da pecus, et gregibus fœtum. Quo, pessime, pacto?
Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis, et opimo vincere farto

χεῖρα, inquiunt Græci, ποτιφέροντα δεῖ τὰν τύχαν καλεῖν. — *Nervis.* In qnibns maxime consistit robnr. Inde νευροῦσθαι pro firmari. C. — *Corpusque fidele senectæ.* Corpus firmum et validum usquè ad senectutem. L.

42. *Esto, age.*] Esto: uon improbo boua ista, quæ tu quidem jam inde petis; nam, *orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;* sed, etc. — *Grandes patinæ.* Sumptuosa tua convivia, et escæ nimiæ tuum destruunt votum. — *Tucetaque crassa.* Vet. schol. « *Tuceta* « apud Gallos Cisalpinos bubula « dicitur, condimentis quibus« dam crassis oblita, ac macerata; « et ideo toto auno durat. Solet « etiam porcina eodem jure con« dita servari, aut ad saturarum « jura. Hiuc Plotius Virgilii ami« cus in eadem regione Tucca est « nominatus. » Quæ descriptio haud male conveuit his opsouiis quæ Galli vocant *saucissons.* A.

44. *Rem struere exoptas.*] Rem optas struere; et armenta tna is minutum! bona insanis largitionibus et vauis deperdis! — *Mercuriumque arcessis.* Ut Deuin lucri. vid. sup. v. 12.

45. *Fibrâ.*] *Ut fibris ovium*, sup. v. 26. Hoc loco, pro sacrificiis, holocaustis, etc. — *Da fortunare Penates.* Hæc sunt vota avari, et his respondet poëta, *quo pacto possim?*

47. *Tot tibi cùm, etc.*] Cùm tot majores victimas cædas, nt sunt boves, tauri, juvenci et *junices*, sive δαμάλεις. « Etsi, inquit Casaubonus, in honorem Deo« rum mactari victimæ dicebau« tur; ut plurimum tamen minu« ta quædam (ut hoc loco, omen« ta) Diis adolebaut, cætera con« vivantes absumebant: qua de re « plura ad Athæn. lib. IV. c. 11. » — *Omenta.* Intestina sunt molliora, inquit Festus. Plinius autem, lib. XI, cap. 37, ait esse membranas tenues, quæ ventrem interiorem integunt. — *Liquescunt.* Ob adipem et pinguedinem intestiuis adhærentem. P.

48. *Et tamen hic extis.... vincere.... intendit.*] Quidam persuasi maxima quæque sacrificia in honorem Deornm plurimum apud eos posse, nullis sumptibus parcebaut; unde fiebat sæpe, ut fœdâ hâc nundinatione et κολακείᾳ avitas opes cousumerent; quem errorem

V. 48. *Farto.* Vide ad sequentem paginam commentarium.

Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam, jam; donec deceptus, et exspes,
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi craterras argenti, incusaque pingui

ob oculos merito ponit Persius. C. — *Farto*. Hujus meminit Cato de Re Rust. cap. CXXXIV : *Veteres*, inquit, *struem farris, triticei farrei, fabæ, seminis rapacei, thure et vino additis, ante messem parabant, in porcæ præcidaneæ immolationem, et Jano, Jovi et Junoni sacrificabant; quæ diversarum rerum congeries* fartum *dicebatur*. Hoc loco, magna lectionis varietas exstat. Dimidia pars codd. habet *farto*, altera *ferto;* unde inter criticos magna dissentio : alii inter quos vet. schol. Britannicus, Casaubonus, Schrevelius, etc. legunt *ferto*, et interpretantur sacrificium oblatum ex re qualibet, a *ferendo*. Festus : *Fertum, genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quæ, qui afferebant, struefertarii dicebantur*. Alii, inter quos Lubinus, Johannes Bondius, David Wedderburnus, et interpres Gallicus *Sélis* legunt *farto*, et appellant, ex Catone supra citato, *fartum*, variarum rerum congeriem. Quibus assentitur *Diderot*, in suis emendationibus, aliter tamen *fartum* explicans, et dicens : « C'est *farto* « pour *farcto* qu'il faut : *farcire*, « *fartum, fartor, qui farcimina facit* « *ex secta carne et adipe.* Opération « qui rend à merveille la maniere « dont les viandes ou chairs d'a- « nimaux s'offraient sur les autels: « un lit de petits bâtons, un lit « de graisse coupée, un lit de « chair déchiquetée, et ainsi de « suite. » et infra respondet abbati *Le Monnier* scribenti : *fartum signifie un mélange de blés, de graines, de légumes, de vin, d'encens, etc.* « Cela n'est pas vrai ; car *far-* « *tum* ne vient pas de *far*, mais de « *farcire, fartum;* alors il se dit « des chairs et de la graisse, et « il est propre aux sacrifices de « chair. » Nos autem, etsi Festus scribit *fertum* (quam lectionem corruptam fuisse suspicamur), prætulimus *fartum :* nam veteres unquam dixisse *fertum*, a *ferendo*, merito in dubium adducimus. A.

49. *Jam crescit ager, etc.*] Inquit avarus sibimet illudens. P.

50. *Jam dabitur, jam, jam.*] Lepide et apte repetitur *jam*, ad notandam cupidissimi hominis naturam. L.

51. *Nequicquam fundo, etc.*] Audax metaphora ab animalibus: quasi nummus ultimus relictus in crumenæ fundo, et a sociis destitutus, timore simul ac dolore *suspiret*. L.

52. *Incusaque pingui, etc.*] Hic

V. 52. *Craterras*. « Ita, inquit Casaub. scribunt Latini, et formant *craterra, craterræ*, Dicunt et *crater* cum Græcis; quod huic loco non « convenit. » Omnes nostri codd. omnes editt. priscæ et recentiores habent

Auro dona feram, sudes; et, pectore lævo,
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quòd ovato

error ex eo proficiscitur, quòd Deos similes tibi putas, quòdque illis affectus humanos tribuis : nam, si argentea et aurea dona tibi feram, sudes, etc. inde putas Deos tuis donis pariter gaudere. A. — *Incusa.* Aliave opera auro pingui incrustata. *Ineudere* verbum τῆς τορευτικῆς, pro imprimere cudendo, Græcis ἐμπαίρειν et ἐμπαίειν, quod plane est *ineudere* : unde ἐμπαιστικὴ τέχνη, quæ operibus argenteis signa aurea imprimebat. Senec. epist. V. *Non habemus argentum, in quod solidi auri cælatura deseenderit.* C.

53. *Sudes.*] Lætitiâ : in gravi enim commotione animi, corporis sudor sequitur. — *Peetore lævo.* Excæcato præ avaritia et cupiditate. Virg. Aeneid. II :

. . . . Si mens non læva fuisset.

Snnt qui interpretantur *peetore lævo*, de sinistra parte, in qua situm est cor; minus bene. A.

54. *Exeutias guttas.*] Non ex pectore lævo, ut quidam inepte satis interpretantur; sed cx oculis. Scilicet, cùm pectus tuum lævum excæcatum sit, et cupiditate possidendi, et lætitia inexspectati muneris, *excutias guttas*, elicis lacrymas ex oculis tuis, simpliciter : lacrymaris præ gaudio. — *Lætari prætrepidum eor.* Usitatissimum illud genus locutionis historicæ per infinitivum, quod poëta hîc elegantissime usurpavit. A.

55. *Hine illud subiit.*] Id est, *hinc*, ex eo quod Deos æstimamus vitiis nostris, *illud subiit*, venit in mentem eorum statuas auro et argento decorare. Senec. epist. CXV: *Admirationem nobis parentes auri argentique feeerunt : et teneris infusa eupiditas altius sedit crevitque nobiseum. Deinde totus populus, in alio diseors, in hoc convenit : hoc suspieiunt, hoc suis optant, hoe Diis velut rerum humanarum maximum, cùm grati videri volunt, consecrant.* — *Auro.... ovato.* Anro ex manubiis hostium in Capitolium per ovationem illato. Apud Romanos in more positum erat, ut viri triumphales ex manubiali pecu-

erateras: attamen, Casauboni emendationi arrisimus, eo libentius, quod, hoc loco, non de vasculis tantum agitur, sed de cupis, labris, quæ Varro vocat *eraterras*, nostri, *euves*, *baquets.* Vasculum enim argenteum parvi est pretii hominibus jam divitibus et cupidissimis; at labra argentea aliter apud eos sonant. Ergo : *si tibi eraterras argenti feram ; si je vous apportais des euves, des baquets d'argent, ete.* F. D.

V. 54. *Prætrepidum cor.* Codices nonnulli, et noster cod. *pertrepidum cor.* — *Lætari.* Omnes codd. habent *lætari*, non *lætetur.* Vividior est dictio historica *lætari.* Subauditur *incipit.* Cod. Mazarineus tamen, 3110, *lætatur.*

Perducis facies. Nam, fratres inter ahenos,
Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,

nia Diis pretiosissima dona offerrent. *Ovatio*, minor triumphus, dictus ab ove quæ tunc mactabatur, sicut bos in majori triumpho, quod omnibus notum est. Persius autem appellat *aurum ovatum* quod Ovid. epist. ad Germanic. lib. II, de Ponto, appellat *aurum tropæorum:*

Deque tropæorum quod sol incenderat auro. C. et P.

56. *Perducis facies.*] Inducis, oblinis facies, immo totas ducis, et ex auro solido facis. — *Nam, fratres inter ahenos.* Vet. schol. « Acron tradit, quòd in porticu « Apollinis Palatini fuerunt Da- « naidum effigies, et contra eas, « sub divo, totidem equestres fi- « liorum Aegypti. Ex his autem « statuis quædam dicebantur pos- « tulantibus per somnum dare « oracula. » Illi assentimur; namque hæc non possunt de Castore et Polluce intelligi, ut quidam volunt, propter adhibitum pluralem numerum, versu 58, *præcipui sunto;* quo verbo non usus esset, si de duobus tantum poëta fuisset locutus. A.

57. *Somnia pituitâ.... purgatissima.*] Non omnia reputabantur somnia futuri indicia certa. Ea tantum fide digna erant, quæ post coucoctionem, cùm mens esset ab humoribus libera, eveniebant; quod plerumque fit post primum somnum, circa matutinum tempus. En ea quæ *pituitâ purgatissima somnia* vocat Persius. A.

58. *Sitque illis aurea barba.*] Iis, quos maxime colebant, barbam auream tribuebant Diis, præsertim Jovi, Apollini, Mercurio, etc. Ita, cùm aliquem minorum Deorum præcipuo honore colere, et quasi cum magnis Diis consociare dignum judicavissent, illi barbam auream dabant, quod superstitiosi et avari nostri hoc loco faciunt: *præcipui sunto, sitque illis aurea barba.* A.

59. *Aurum, vasa Numæ, etc.*] Aurum, fons omnium malorum, *impulit*, e templis dejecit vasa illa simplicia et fictilia, quibus utebatur sanctissimus iste rex; aurum *mutat* vestales urnas, etc. — *Vasa Numæ.* Testacea, simplicia, qualia adhibuit Numa Pompilius religiosorum rituum apud Romanos auctor. Cic. Paradox. I. Plin. lib. XXXV, cap. 12, et XXXIII, 12. Sic Voltarius de Romanis, in opusculo, cui titulus, *Défense du Mondain:*

Leur Jupiter, au temps du bon roi Tulle,
Etait de bois, il fut d'or sous Luculle.

— *Saturnia.... æra.* De veteri moneta loquitur, quæ, primis reipublicæ temporibus, ærea fuit. — *Saturnia*, quia ærarium in æde Saturni servabatur. P. et A.

Vestalesque urnas, et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, et cœlestium inanes!
Quid juvat hos templis nostros immittere mores,
Et bona Dìs ex hac sceleratâ ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo:

60. *Vestalesque urnas.*] Urnis aquam ad sacra gestabant Vestales, quod notnm ex historia filiæ Tarpeii, quæ arcem prodidit Sabinis. — *Et Tuscum fictile.* Fictilibus enim Tuscia nobilis fnit: ibi enim plastice exercebatur, et optima fictilia condebantur. Primum certe rudia et artis expertia fuere illa vasa, de quibus hoc loco loquitnr, deinde perpolita adeoque elegantia, et opere et forma, ut nunc, apud nos, antiquariis, pictoribus ac sculptoribus gratissima et exquisitissima videantur. A.

61. *O curvæ in terris, etc.!*] Exclamatio divinam spirans sapientiam, quam cum præcedentibus jungi vult Casaubonus, ita nt sit ἐπιφώνημα. Alii vero seqnentibus aptant.

62. *Quid juvat hos templis nostros immittere mores.*] Epiphonemati subjicit increpationem; semper autem sibi similis noster philosophus: qnem ante docnimus omnia dicta factaque hominum ad finem suum exigere. Ita hic objurgationem suam ab eo capite derivat: stultum esse probans frustra Diis pretiosa dona offerre, qui divitiis nec capiantur neque utantur. *Quid juvat?* id est, in quem finem hoc facimus? quòd corruptelam morum nostrorum inferimus in res religionis: nam, quia luxuria et avaritia animos nostros occupant, ideo sic erga Deos nos gerimus, qnasi et illi essent luxuriosi et avari. Præclare Arbiter. *Ipse senatus recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: et ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque pecuniâ exorat.* C.

63. *Et bona Dìs, etc.*] Et judicare ea bona esse Diis grata et accepta, quæ sceleratæ huic *pulpæ* sint grata? — *Pulpâ.* Pulpa in fructibus substantia mollis ac tenera; quæ inter pellem et nucleum reperitur, ac sæpe sæpius non sine voluptate aliqua manducatur. In animantibus, caro sine ossibus, a palpitando dicta, mollis enim est ac tremula. Hic, pro carne accipitur, quæ luxu ac deliciis profluit; in eodem plane sensu, quo in sacris libris *caro* poni solet. — *Sceleratâ.* Quia per flagitia et scelera gratificantur ci voluptuarii. C. et A.

64. *Hæc.*] Scilicet caro hæc mollis, mollities nostra. — *Casiam dissolvit olivo.* Pretiosissima erant unguenta, quæ ex casia oleo mixta conficiebantur: oleum autem aptissimum suscipiendis odoribus

V. 62. *Hos.* Ita codd. optimi et noster. Vet. schol. et editores, *hoc.*

Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat; vitio tamen utitur: at vos
Dicite, pontifices, in sanctis quid facit aurum?

atque servandis; unde frequentissime usurpatur ab unguentariis. —Recte *corrupto:* quidquid enim desiit esse quod fuit, *corruptum* dicitur. Notat autem, hoc loco, luxum prodigiosum Romanorum, qui ubique, et in omni tempore unguentis utebantur, iisque tantopere gaudebant, ut jam non linirentur tantum, sed et perfunderentur toto corpore, vestigiaque etiam pedum tingerent, quidam etiam biberent. Vid. Plin. lib. XIII, cap. 3. C. et A.

65. *Hæc Calabrum vellus.*] Tarentinam lanam, quæ est optima. — *Coxit.* Infecit, tinxit. — *Vitiato murice.* Murex genus conchylii ex quo liquor elicitur tingendis expeditus vestibus, colore purpureo. — *Vitiato.* Quia cùm lanicium inficitur, alienum colorem vitiat. Horat. lib. II, sat. 1, v. 57:

Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta. P. et L.

66. *Hæc baccham conchæ rasisse.*] Eadem jubet sibi margaritas quæri. *Baccam autem conchæ radere*, Græcis τὸν μαργαρίτην χωρίζειν ἀπὸ τοῦ κόγχου. Vid. Athæn. lib. III. *Baccham* vocat propter similitudinem cum fructibus lauri uniones et margaritas, quas nucleos Plin. et infimæ Latinitatis scriptores *perulos* (Galli *perles*) vocant. C. —*Stringere venas.* Jussit conflari in unam massam pulverem auri et argenti e venis terræ et fodinis erutum. Nempe quod effossum est aurum puteorum scrobibus, aut in ruina montium fuit repertum, tunditur, lavatur, uritur, mollitur in pulverem, qui deinde igni excoctus in massas redigitur: unde, *stringere venas, etc.*, pulverem aureum in massam conflare, adhibito fornace et igne. A.

68. *Vitio tamen utitur.*] Peccatum, hoc loco, minus est, quia vitio suo fruitur, et ex eo utilitatem quamdam percipit..

69. *Dicite pontifices.*] Recte pontifices compellat, penes quos omnium sacrorum cura, et a quibus sacerdotum collegia pendebant. — *In sanctis quid facit aurum?* Sanctis pro sacrificiis et omnibus actis religiosis. Aurum vero

V. 65. *Hæc.* Pro *et*, ex cod. nostro; et aliis permultis.

V. 69. *In sanctis.* Vet. schol. cod. Mentellianus, Puteani cod. et nonnulli legunt *in sancto.* Colbert. Thuan. Mazarin. in *Sco;* alii, *in sacris;* quidam in *templo*, seu *in templis*, et ea lectio glossam redolet: nos vero, in tanta codicum dissensione, *in sanctis* prætulimus; quippe quæ lectio reperitur apud Lampridium in Alexandro, ubi citatur versus Persii. Cod. noster, *in sacro.*

Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine pupæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago?
Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto?

adeo sanctimoniam nullam adjecit rebus Deo consecratis, ut contra templa quædam antiquitas habuerit, in quæ aurum inferre erat nefas. Itaque ædem ingressuri, aurum ponebant, inquit Plutarch. in Politic. præcept. C.

70. *Nempe hoc, etc.*] Id est, nihil. Nam affectûs et venerationis magnitudinem pretium rei consecratæ indicant. — *Veneri donatæ a virgine pupæ.* Virgines pubertatem consecutæ pupas, ut ephebi bullas, insignia vel instrumenta vitæ anteactæ Diis consecrare solebant. *Pupa* est πλαγγὼν, unde *planguncula*, apud Cicer. ad Atticum. Has icnnculas coroplathi e gypso conficiebant, in gratiam puerorum. Ἀνδριαντάρια vocabant Græci, sed usitatius κόρας, (Gallis nunc *poupées*). C.

71. *Quin damus, etc.*] Jam supra ostendit Persius vitium; hìc indicat quod rectum est. — *De magna lance.* Alludit ad morem libationum in patellam, quæ fiebant in mensa de iis quæ ibi erant apposita. Sic Casaub. Ego vero Prateo morem gerens, sic: allusio est ad veterum morem, apud quos ex acerra pauperes, e lance seu patera largiore divites libabant. Vid. initium hujus sat. ad verbum *acerrâ*. A.

72. *Messalæ lippa propago.*] Proverbium est Græcum: ἡρώων παῖδες λῶβαι; quod sæpissime evenit. Tangit autem, hoc loco, Persius, nequissimum et nebulonem filium illustrissimi viri M. Valerii Corvini Messalæ, qui olim inter alios proscriptus, postea singulari fato amicitia Augusti floruit, cujusque nomen et bonam famam occupant veterum monumenta. C. — *Lippa propago.* Lippus proprie dicitur qui morbo oculorum laborat; at, cùm hic morbus plerumque dissolutorum in juventute morum sit indicium, persæpe pro dissoluto homine vel fatuo accipitur: eodem fere sensu sup. sat. I, v. 93, *Patres infundere lippos.* A.

73. *Compositum jus, fasque animi.*] Paraphrasis indicans virtutem numeris omnibus suis absolutam. Τὸ εὔτακτον τῆς ψυχῆς πρὸς τά θεῖά τε καὶ ἀνθρώπινα δίκαια, animum bene comparatum ad divina et humana jura. — *Sanctosque recessus mentis.* D. Paulus: τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων. C.

74. *Incoctum.*] Imbutum, pridem assuetum. *Incoquere* autem verbum tinctorum, de dibaphis et saturioribus coloribus, quibus ubi semel fuerit imbutus pannus numquam mutat. — *Generoso...*

V. 73. *Animi.* Omnes codd. Ita. Vet. schol. *animo*.

Hæc cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

honesto. Virtute quasi naturali et ingenitâ. P.

75. *Hæc cedo, ut admoveam, etc.*] Sensus est: si hæc quæ dixi præstiteris, solâ quidem molâ Dii placabuntur, id est, facile tibi obsequentur, et preces tuas exaudient. — *Cedo.* Verbum defectivum apud comicos usitatissimum; id est, *da.* — *Et farre litabo.* Et leviore munusculo placabo Deos.— *Litare* enim non simpliciter sacrificare; sed, sacrificio, quod petitur, obtinere. Quo circa, soli probi viri *litare* dicuntur proprie; *sacrificare*, quilibet, etiam improbi. Tit. Liv. lib. XXXVIII, cap. 20. *Postero die sacrificio facto, cùm primis hostiis litasset.* Et Plautus in Persa: *Tum Jupiter faciat, ut semper sacrificem, nec unquam litem.* —*Farre.* De hac voce, vid. apud Juven. sat. IX, v. 122. Demum hanc satiram ita concludit ut Porphyrius, περὶ ἀποχῆς, lib. II: Τὸ δαιμόνιον μᾶλλον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος, ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει. C. et P.

SATIRAE TERTIAE
ARGUMENTUM.

TERTIA DESIDIAM JUVENUM FASTUSQUE LACESSIT.

In ea satira stoico philosopho dignissima, Persius segnitiem et desidiam juvenum sui temporis carpit, qui studia litterarum negligenter tractabant, et philosophiam contemptui habebant. Et, primo, discipulum alloquitur, eique exprobrat, quòd, alto jam sole, vix de libris cogitet, *stertens adhuc* (1—). Deinde vanas ejus excusationes irridet; atque jam a pueritia egressnm, tanquam si in cunis esset, ad *mammam tatamque* remittit (7—23): et, quia plerique Romanorum, quo nobiliores essent, eo minorem studiis operam dabant, ostendit eos frustra majorum gloria aut divitiis inniti, si ad morem *discincti Nattæ* viverent. Nattam multo magis excusandum, si in sordibus volutaret, quippe qui liberali institutione destitutus esset (24—34); illos vero ad grandia natos, et philosophiæ præceptis jam imbntos, olim conscientiæ pœnas daturos, cùm, posthabito virtntis cultu, ferox ingenium dira libido moverit, eosqne in profundum immerserit (35—43). Sibi puero evenisse non diffitetur, ut ludo atque nugis plus æquo dederit, sed culpa præceptoris ac parentum suorum; iis contra, jam grandioribus, jamque Zenonis atqne Pythagoræ scholæ addictis, indignum et contra ordinem fore, si oscitarent hesternum, et toto sterterent die, ferarum aut jumentorum more (44—61). Remedium, addit, frustra olim quæres: *venienti occurrite morbo.* Inde totius doctrinæ Stoicorum summam divinis undecim versibus complectitur:

> Discite, ô miseri, et causas cognoscite rerum!
> Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
> Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, et unde?
> Quis modus argento; quid fas optare; quid asper

Utile nummus habet; patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re
Disce; nec invideas, etc. . . . .

(62—76): et, quia plurimi inter Romanos philosophiam aspernabantur, et Græculos tristes ærumnososque vocabant illius studiosos, eorum stultitiam remordet, arguitque istos non minus esse insanos, quàm ægrotum, qui medicum a se vocatum repellit, minis atque conviciis remedia excipiens (77—106). Inde colligit, philosophiæ præcepta esse animi remedia omnibus et præcipue juvenibus proposita, et omni morbo convenientia; quæ qui respuit, frustra se sanum profitetur: nam statim, occasione data, aut Veneris stimulis agitatus, opumve siti æstuans, gulâ percitus, aut timore perculsus, aut furore actus dicet, facietque

. . . . quod ipse
Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

SATIRA III.

IN DESIDIOSOS.

Nempe hæc assidue ? Jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas :
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.

1. *Nempe hæc, etc.*] Vet. schol. « Hanc satiram poëta ex Lucilii « libro quarto transtulit, casti« gantis divitum luxuriam et vi« tia. » Introducitur ergo philosophus juvenes sibi in disciplinam datos excitans, et post longam patientiam irascens illis, quòd serius pro more suo surgerent. — *Hæc.* Scil. hæc eadem ages, et in clarum diem stertes ? — *Mane.* Adverb. pro nomine positum. Est vero *clarum mane* sol altus, clarior factus et διαυγέστερος, discussis nubibus, quæ fere orientem obumbrant. C. et P.

2. *Et angustas extendit lumine rimas.*] Hypallage. Non enim rimæ extenduntur, vel dilatantur lumine solis ; sed lumen ipsum extenditur, transmittente sole radios suos per rimas. C.

3. *Stertimus.*] Tu stertis. Apta autem objurgationi prima persona pro secunda. — *Indomitum quod despumare.... sufficiat.* Scilicet : adeo longum tempus dormis, quod sufficiat concoquendo etiam acerrimo vino. — *Indomitum.... Falernum.* Falernum *indomitum* poëtis vocari solet. De hoc vino vid. Juven. sat. XIII, v. 216. — *Despumare.* Proprie fervescere, fermentari, spumas agere, active hoc loco etiam digerere, concoquere in stomacho, quod Galli apte dicunt, *cuver son vin.* C. et A.

4. *Quintâ dum linea tangitur umbrâ.*] Dum, in solari horologio, gnomon quintæ lineæ umbram facit. Dies naturalis, ut est omnibus notum, apud Romanos in duodecim horas dividebatur : scil. sex erant ante meridiem horæ, et totidem post. Ita, incipiente primâ horâ ad ortum solis, quinta ad nostram undecimam recideret ; quo tempore prandere multis erat consuetum. Quod autem spectat ad horologia solaria, illorumque antiquitatem, horum primus inventor, si Plinio fides adhibenda, fuit Anaximenes Milesius ; etsi Anaximandro hujus magistro tribuunt Diogen. Laërt. lib. II, et Vitruvius. Romæ vero illorum

V. 1. *Hæc.* Quidam codd. et editiones nonnullæ habent *hoc :* at parvi interest. Noster cod. habet *hoc.* Item edit. Aldina 1535.

V. 2. *Extendit.* Cod. noster inter lineas habet *ostendit.*

En quid agis? Siccas insana canicula messes
Jamdudum coquit; et patulâ pecus omne sub ulmo est
(Unus ait comitum).

ADOLESCENS.

Verumne? Itane? Ocius adsit
Huc aliquis!.... Nemon'?

PHILOSOPHUS.

Turgescit vitrea bilis.

usus esse cœpit, bello Punico primo, ut habet Plin. lib. II, cap. 76. Antiquiora tamen ea esse constat ex sacris codd. lib. IV Reg. cap. 20, ubi de horologio Achaz, et de sole per decem lineas retrogrediente. P.

5. *Insana canicula.*] Non ipsum quidem Canis sidus, sed sol potius coquit messes et omnia adurit. Canicula autem constellatio, quæ dum sol in Leone est, oritur. Plin. lib. II, cap. 40. Unde ab Horatio, *vesani stella Leonis.* Insana Persio dicitur, quia morbos ob æstum procreat, et canes in rabiem agit. P.

6. *Patulâ pecus.*] Rustica meridiei descriptio. Virg. eclog. II:

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant. C.

7. *Unus ait comitum.*] Hæc ad præcedentia sunt referenda, non ad sequentia. Romæ, magnates soliti philosophos domi alere, quorum privatâ curâ liberi ipsorum instituebantur: Athenis vero aut Rhodi, aut quocumque loco, studiorum causâ, mitterentur juvenes, apud philosophos fere divertebant. Cùm autem, hâc satirâ, non de iis agatur, qui in pueritia primas litteras sub pædagogo discerent, sed de illis, qui operâ philosophi cujusdam studiis philosophiæ imbuerentur; per vocem, *unus comitum,* intelligo (contra Casauboni sententiam) philosophum ipsum adolescenti a parentibus suis additum comitem. In eodem sensu acceperunt Martial. lib. XI, epigr. 40, et Digest. XV, de injuria. Et nostra interpretatio prævaluit apud recentiores. *Diderot* tamen, in observationibus suis ad interpretationem abbatis *Le Monnier*, inquit: « Je « ne suis pas de cet avis; mais n'im« porte. Je fais rapporter l'*unus « ait comitum,* à *verumne, itane.* » A. — *Verumne? Itane?* Inquit stupefactus quasi adolescens, quod audit de alto jam sole, veluti hoc tum primum ei accidisset. — *Ocius adsit.* Pergit idem, quasi paratus jacturam temporis diligentia sarcire, et vocat famulos. C.

8. *Turgescit vitrea bilis.*] Irascitur, inquit philosophus, *Vitream* autem vocat *bilem*, ὑαλώδην χολὴν et ὑαλῶδες φλέγμα, quòd revera splendeat bilis ac στίλβει, eodemque sit colore ac vitrum. Horat.

Jussit quod splendida bilis. C.

ADOLESCENS.

Findor.....

PHILOSOPHUS.

Ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber, et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quòd pendeat humor,

9. *Findor.*] Ῥήγνυμαι τῷ χόλῳ καὶ λακῶ. Rumpor, disrumpor iracundiâ, inquit adolescens; et quia ad laborem non sponte suâ trahitur, ideo iracundiam suam in famulos exonerat. C. et P. — *Ut Arcadiæ, etc.* Adolescentem irridens subdit doctor : *ut Arcadiæ, etc.* In Arcadia autem, multi magnique asini. — *Rudere.* Proprium est equis *hinnire*, bovibus *mugire*, asinis autem *rudere*. A.

10. *Bicolor positis membrana capillis.*] Membranâ utebantur pueri in ludis, non ceris et stylo; quæ ratio scribendi expeditior erat, ut observat Quintilian. lib. X, cap. 3. Vide Juven. sat. VII, v. 23. — *Bicolor*, quia pars membranæ *interior*, quæ spectat carnem, est albida; et pars *exterior* in qua apparent *capilli*, id est, *pili*, est modo nigricans, modo flavescens. F. D.

11. *Inque manus chartæ.*] Repertus chartæ usus sub Alexandro, teste Varrone. — *Arundo.* Veteres arundine pingebant. Persius, variatis nominibus, arundinem, calamum, fistulam, vocat. P.

12. *Tunc queritur.*] Desidiam in surgendo et mollitiem notavit; nunc lentitudinem in studendo, et ἀποπροθυμίαν carpit. Per ista autem quæ fieri vulgo solent a pueris apud magistrum, intelligi debent omnia quæ prætexere moris est juventuti dissolutæ, et studia litterarum fastidienti; ad quæ respondent magistri per hoc triviale proverbium gallicum : *un mauvais ouvrier ne trouve jamais de bons outils.* A. — *Crassus.... quòd pendeat humor.* Non fluat atramentum e calamo, et quasi pendulum hæreat, ob nimiam crassitiem. C. et P.

V. 9. *Findor.... Ut, etc.* Ita vet. schol. edit. Aldina, 1535, omnes codd. antiquiores, et cod. noster. At tres codd. posterioris sæculi, et nonnullæ editt. priscæ XV sæculi legunt, *finditur Archadiæ, etc.;* ut sint verba magistri irridentis. Hoc sensu, verba *finditur Arcad.* jungenda sunt superioribus, *turgescit vitrea bilis;* et est sensus : Juvenis : *Ocius adsit huc aliquis!.... Nemon'?* Magister: *Turgescit vitrea bilis : finditur : Arcadiæ pecuaria rudere credas.* Non male finit ista lectio. — *Credas.* Ita vet. schol. cod. n° 8050, et tres alii. Cæteri, et cod. noster, *dicas.*

V. 12 et 14. *Queritur.* Vet. schol. et Colbertini duo, I et II, habent *querimur :* ita et tres alii; quam lectionem recepit Casaubonus. Cæteri omnes *queritur.* Utrumque bene se habet. Cod. noster, *queritur.*

Nigra quòd infusâ vanescat sepia lymphâ;
Dilutas queritur geminet quòd fistula guttas.
O miser! inque dies, ultra miser! huccine rerum
Venimus? At cur non potius, teneroque palumbo,
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas?

13. *Nigra quòd infusa, etc.*] Modo querebatur quòd atramentum nimis spissum esset; jam dicit dilutius esse propter infusam aquam, et scripturam non apparere. — *Sepia.* Metonymia. « Sepiam, inquit vet. schol. pro atramento « a colore posuit : quamvis non « ex ea, ut Afri, sed ex fuligine « cæteri conficiant atramentum. »

14. *Dilutas queritur.*] Non alia est querela, sed effectus præcedentis. Addit quòd, propter effusam aquam, adeo liquidum factum sit atramentum, ut papyrum maculet, uberius effluens quàm par sit. — *Geminat* autem guttas calamus, cùm liquidius et uberius fluit. — *Fistula.* Ὁ δόναξ, ὁ κάλαμος, idem ac calamus. C. et A.

15. *Huccine rerum venimus?*] Eone recidit spes quam de te parentes et magistri conceperant? inquit philosophus.

16. *Teneroque palumbo.*] Nôrunt omnes quanta cum sedulitate ali debeat palumbus, qui naturâ suâ mollis et delicatus est. Palumbos impenso studio viri et feminæ olim alebant; quod ex Theophrasti caracteribus, ex Athæneo, et aliis constat. Persius autem, hoc loco, mollem institutionem et voluptuariam denotat, qualis ea est quam πλουσιακὴν ἀγωγὴν M. Antoninus appellat, initio librorum suôrum. C.

17. *Et similis regum pueris.*] Qui deliciis et imperio innutriti omnia ad libidinem suam fieri volunt, nec grave quidquam suscipiunt ac molestum : ideoque veteres de corrupto aut de intemperante dicebant, *est similis regum pueris.* Dio Chrysostomus in una earum, quas pro se habuit: πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως διαφερούσης οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην τῶν παίδων τῶν βασιλέων. — *Pappare minutum poscis.* Cur non minutos et teneros cibos more puerorum poscis? — *Pappare* cibum infantium vocabant (quem nostri dicunt *de la bouillie*, vel *de la panade*). Cato de liberis educand. *Cùm cibum ac potionem buas ac papas dicunt*, et *matrem mammam*, *et patrem tatam. Pappare* quoque pro cibum poscere, atque etiam pro edere. Plaut. in Epidic.

Ep. Novo liberto opus est quod pappet.
Pe. Dabitur : præbebo cibum. . . C.

18. *Iratus mammæ.*] Hoc est, matri, vel nutrici. — *Mamma* La-

V. 16. *Palumbo.* Ita codd. permulti. Alii *columbo.* At parvi interest.

ADOLESCENS.

An tali studeam calamo?

PHILOSOPHUS.

Cui verba? Quid istas
Succinis ambages? Tibi luditur: effluis, amens!
Contemnêre. Sonat vitium percussa, maligne

tinis, ut μάμμα Græcis, et *maman* Gallis. Mart. lib. I, ep. 101:

Mammas atque tatas habet Afra; sed ipsa tatarum
Dici et mammarum maxima mamma potest.

—*Lallare recusas.* Dormire nolunt, cùm sive mater, sive nutrix provocat ad somnum cantillando. Proprie *lallare* infinit. pro nomine substant. Næniæ quas iratis infantibus canunt nutrices, ut eos demulceant. Græcis λαλίαι, Gallis *la, la.* Nec mirum, si apud Græcos πάππας, μάμμα, λαλίαι, apud Latinos, *mamma, tata, lallare*, apud Gallos, *papa, maman, la, la,* et alia similia verba, apud cæteras gentes, ab infantibus pronuntiantur; simplices enim sunt soni, naturæ et organo vix inchoato accommodati. A.

19. *An tali studeam calamo?*] Objurgatus adolescens, cùm culpam agnoscere deberet, vanas potius suæ ignaviæ excusationes quæritat. — *Cui verba.* Reponit philosophus: putasne te mihi verba dare posse? C. et P.

20. *Tibi luditur.*] Tua ibi res agitur. Tibi, non mihi tempus irrevocabile perit. —*Effluis amens.* Ipse te perdis. Comparat juvenem mollitie depravatum, cum vase fictili, multis modis corrupto et rimoso. C.

21. *Contemnêre.*] Hoc ab Horatio desumptum, lib. II, sat. 3, v. 13:

Invidiam placare paras, virtute relictâ?
Contemnêre miser. . . . .

Eadem sententia apud Epictet. Enchirid. Λήσεις σεαυτὸν οὐ προκόψας, ἀλλ' ἰδιώτης διατελέσεις. — *Sonat vitium percussa.* Vasis fictilis vitia describere pergit. Sensus est: sicut tinnitu rauco et absurdo cognoscitur vasis defectus, cùm digito percutitur: sic, tu, cùm a me ad meliora incitaris, et quasi tangeris, exhibes animi vitium et pravam affectionem. « Notabilis, « inquit Casaub. in his verbis « (*sonat vitium percussa*, et infra,

V. 20. *Effluis.* Ita legendum cum codicibus, non *et fluis*, cum vet. schol. et duobus codd. « Hoc, inquit Casaubonus, accipiendum ἁπλῶς, « de eo qui sit moribus depravatis, et voluptatibus diffluat: nam ita Græci « Latinique loquuntur. Passim legas in Cicerone, *liquescere*, *effluere mollitie;* et *liquefacere voluptatibus;* quod est Græc. τήκειν: inde *fluidi*, οἱ ἡδονικοί, ap. Senecam, et id genus plurima. » Cod. Colbert. n° 8049, *et fillus amens*, male, propter metrum. Edit. Aldina, 1535, *effluis.*

Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es: nunc, nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rotâ. Sed rure paterno

« *maligne respondet fidelia*), est « ταυτολογία; nisi eam commen- « daret, nedum excusaret, quòd « dicuntur hæc ab irato: amant « vero irati sæpius idem repetere, « βαττολογοῦντες ἅμα καὶ ταυτολο- « γοῦντες. » — *Sonat vitium.* Σαθρὸν φθέγγεσθαι, absurdum sonum edere, cui opponitur, ὑγιὲς φθέγγεσθαι, clarum sonare. — *Maligne respondet.* Testa sonum edit parvum, ut est sonus vitiosi vasis. Eleganter dicitur testa percussa *maligne respondere.* C.

22. *Viridi non cocta.... limo.*] Ex crudo, non satis cocto, vel e crudo et viridi limo facta. — *Fidelia.* Vas Samium, ad usus plurimos, ut scribit Marcellus. L.

23. *Udum et molle lutum es.*] Perstat et in eadem allegoria ab arte figulina. *Lutum* est argilla fictilibus apta, sed adhuc rudis. Sic allegorice denotatur eâ voce indoles juvenis melioris cultûs capax, sed nondum exculta. — *Nunc, nunc properandus.* Apte iteratur vox *nunc*, id est, modo, et sine mora: nam eâ es ætate capiendis disciplinis habiliore. Gregor. Naz. de educatione sua, parentum curâ:

Τοῖς μὲν ἐγὼν ἀπαλὴν πλάσθην φρένα,
καὶ νεόπηκτος
Οἷα τυρὸς ταλάρου λάμβανον αἶψα
τύπον.

Idem, alio carmine:

Ὅσσοις ἤθεα κεδνὰ διαπλάσσουσιν
ἄριστοι,
Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἐειδόμενον ταλάροισι. C.

24. *Fingendus sine fine rotâ.*] Eamdem allegoriam producit. — *Fingere*, sicut et Græcis πλάττειν, de institutione usurpatur. Sil. Italic. lib. IV:

Atque his præformat dictis fingitque
monendo. C.

— Τὸ *sine fine*, idem atque sine intermissione, et continuâ operâ. « Pulcherrima, inquit Casaub. εἰ- « κὼν (scil. *nunc, nunc properan-* « *dus, et acri fingendus sine fine* « *rotâ*), quod fateantur, vel oso- « res hujus viri divini; sed quæ « non per omnia respondeat: nam « argilla cùm infecta manet, caret « culpâ; homo non plane, qui a « natura igniculos omnium vir- « tutum accepit, quos nisi ex- « citet, et illuc eat quo melior na- « tura eum ducit, vituperatione « dignissimus est. » Errat, meâ sententia, Casaub. cùm dicit: *nam argilla cùm infecta manet, caret culpâ.* Hoc loco, agitur de argilla jam præparata, et aquâ dilutâ, udâ et molli, atque etiam igne coctâ, ad quam perficiendam nihil aliud restat, nisi ut rotâ limetur, et ad usum apta efficiatur; quæ, si in hoc statu infecta remaneret, id est, non fingenda esset rotâ figuli, prope inutilis, vel vegetationi, diutius staret: porro, omnibus notum, terram aquâ dilutam aliquid de sua virtute amittere. Ergo quod inutile est, non

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum:
Quid metuas? cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quòd Tusco ramum millesime ducis,

caret culpâ: materia quæcumque ab institutione prima deterrita, deformata, aut in vanum elaborata vitiosa est. Ita censent stoici. Justa igitur in nostro sensu erit, et ab omni parte, eximia illa Persii comparatio. A. — *Sed rure paterno*. Prolepsis. At, inquies, quid opus me laboribus ac vigiliis fatigare, cùm possim beatam ac tranquillam vitam agere, partis etsi mediocribus contentus divitiis. P.

25. *Est tibi far modicum.*] Sufficiens fortuna, licet modica. — *Purum et sine labe salinum*. Partæ sunt mihi opes virtute meorum majorum: quas non metuo, ne quis casus auferat; sunt enim bonis artibus quæsitæ. Vet. poëta:

Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum.

Alio etiam sensu, hæc possent accipi. Scil. est mihi salinum (pro supellectili qualibet) mundum et nitidum. Sed potior videtur sententia prior. A.

26. *Cultrixque foci secura patella est.*] Hæc superioribus jungenda. — *Patella*, vas e quo libationes Diis Laribus ad focum ferebantur: *secura*, quia domesticos Deos religiose colens præsidium ab iis et patrocinium sibi pollicetur. — *Cultrixque foci*, quia Lares in foco colebantur. P.

27. *Hoc satis?*] Inquit stoicus doctor. Nonne tria bonorum genera sunt; animi, corporis, fortunæ? an, qui duobus tantum ultimis fruatur, priore relicto, vere felix possit dici? Tune igitur adeo amens, ut fortunæ munera ad beate vivendum tibi esse satis putes? Stoici ad finem omnia referunt. Quare *satis esse* idem est, hoc loco, ac *summum bonum*. — *Pulmonem rumpere ventis*. Id est, inflari, fastosus, turgidus, et superbus fieri ob natales tuos. Ventos appellat quod usitatius dicunt spiritus: Græci φύσημα et ὄγκον. Sic spiritum quoque illum quem anhelando ducimus, ventum vocant optimi scriptores Latini. C.

28. *Stemmate quòd Tusco, etc.*] Eo quòd per mille generationes originem ducas, ex aliqua vetusta et nobili familia Etruriæ. De verbo *stemma*, vid. ad Juven. sat. VIII, v. 1. — *Tusco*. Quia antiquissimarum familiarum pars maxima ex Etruria venerant. — *Ramum.... ducis*. Lineam nempe successionis. Isidor. lib. IX, c. 6. Solent advocati stemmata, sive ramusculos facere in genere, cùm gradus cognationum partiuntur.

V. 26. *Patella est. Est* vacat in cod. nostro, et in duobus aliis: ita in ed. v. Britan. et Aldina; et, reipsa, salvo sensu, potest rejici.

Censoremque tuum vel quòd, trabeate, salutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus, et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere nattæ?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum

29. *Censoremque tuum, etc.*] Vel eone tibi places, quòd ortus ex genere equest. censorem tuum (supple parentem) salutas? In transvectione, equites trabeati censorem præteribant ac salutabant. —*Trabeate.* Trabeâ indute. Trabea insigne proprium consulibus et magistratibus, sed potissimum equitibus. De hoc vestis genere, vid. ad Juven. sat. VIII, v. 258.

30. *Ad populum phaleras.*] Hæc verba plane accommodata ad propositum: agit enim contra equitem Romanum. Phaleræ autem sunt equestria ornamenta. Sensus ergo est: si nihil habes, quo glorieris, præter *phaleras*, scilicet, bona corporis aut fortunæ; abi, et populo tua illa bona jactato, populo qui, ait Horat. lib. I, sat. 6, v. 15:

. . . . Stultus, honores
Sæpe dat indignis, et famæ servit ineptus,
Et stupet in titulis, et imaginibus. . . .

— *Ego te intus, et in cute novi.* Ego enim novi quàm sis *introrsum turpis, nequicquam pelle decorus.* C.

31. *Non pudet ad morem, etc.*] Nihilne te pudet generis tui nobilitatem inhonestâ inquinare vitâ? — *Discincti.... nattæ.*] Ita Casaub. « Nattæ semper in membranis, et ita in Pinariorum « nummis, qui hoc cognomen tu« lerunt. Proprie sic vocabant qui « sordidas artes exercebant, ut « fullones, et βυρσοδέψας. Origo « vocis Græca, ut sciunt eruditi. « Postea ad animum transtulere, « et vitæ dissolutæ homines atque « inhonestæ ita dixerunt, qualis « fere vita est pullatæ turbæ, et « eorum quos *discinctos* Latini, « Græci ἐκλύτους vocant.... Zonæ « enim usus apud veteres indi« cium faciebat emendatæ et so« briæ vitæ. » Eodem modo interpretatur Turneb. Advers. lib. XXIII, cap. 23, præterquam quòd, pro *nattæ*, legit *naetæ*, a νάκος, pellis cum suo pilo: quasi veteres his designari voluissent hominem pellibus cum pilis pro vestibus indutum, ideoque *naetam*, hominem ex infima plebe. Ex his colligi potest nomen *nattæ* in mente poëtæ fuisse non proprium cuivis Romano, sed commune omnibus qui dissolutam viverent vitam. Ideo per *n* minusculum illud scribendum judicavi. A.

32. *Sed stupet hic vitio.*] In pari-

V. 29. *Censoremque.* Vet. schol. Codd. Mazarineus, Puteanus, Fauchetii, Colbert. II, 8049, et tres alii, *censoremve.* Casaubonus *censoremne;* quæ lectio apud nullum cod. invenitur: ego vero *censoremque* præfero; quo enim, ut ait Casaub. duplex disjunctiva? Cod. noster, *censoremque.*

V. *Nattæ. Naetæ* pro *nattæ* habent nonnulli, et cod. noster.

Pingue; caret culpâ; nescit quid perdat; et alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
Magne pater Divûm! sævos punire tyrannos

tate vitiorum non par est utrinsque, scil. nobilis infamis et nattæ conditio. Quia hic (natta) sensum fere uullum habet suæ infamiæ; ille vero se iu gurgite vitiorum immersum sentit, et ubi tandem penitus vitiis succubuerit, seræ penitentiæ pœuas uon effugiet. Ex his clarum, *nattam* quem vocat Persius, eum esse quem ἀκόλαστον philosophi dicunt, sive intemperatum; juvenem esse quem iidem ἀκρατῆ et incontinentem. Uterque eorum malus; sed multum inter se discrepant. — *Et fibris increvit, etc.* Scilicet, crassa pinguedo præcordia ejus occupavit, ideoque ἐπαχύνθη ἡ καρδία αὐτοῦ, καὶ ἀναίσθητος ἐγένετο, pinguedo, crassities vitiorum, ei sensum ademit. Iu pinguibus sensum obtusiorem esse quàm iu aliis, omuibus notum est. — *Fibris.* Pro præcordiis. — *Opimum pingue.* Valet *pinguedo*, *pinguis.* C. et P.

33. *Caret culpâ.*] Quia οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς οὐδ' ἄκων μάκαρ. In eodem sensu Juveu. sat. II, v. 15:

. . . . Verius ergo,
Et magis ingeuue Peribomius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
Dat veniam, etc. . . . . C.

34. *Non bullit.*] Emergit. Illud a suis stoicis mutuatus est Persius, ut M. Tullius de Finibus, ab iisdem: *ut qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si longe non absunt a summo, ut jam jamque possint emergere, quàm si etiam tunc essent in profundo. Diderot* aliter explicat *bullit.* « Je persiste, inquit ille, « c'est se débattre; *ebullit patruum* « *funus* (sup. sat. II, v. 10), même « signification. Ici *bullit* est em- « ployé pour *tumultuari.* » A.

35. *Magne pater Divûm.*] Postquàm præcedentibus ostendit eos esse solum commiseratione et contemptu dignos *nattas*, qui ignorantiâ virtutis peccant, ideoque *stupent in vitio*; in eos acriter invehitur, qui, cognitâ virtute, eam deseruerunt, et hâc sublimi et eloquentissimâ prece propositum absolvit. Interpretes quidam hunc locum eximium quidem, sed alienum et pene ridiculum judicarunt; cùm in hac satira de juvenibus adhuc litterarum studio incumbentibus agatur. At, si, ut satis verisimile est, Nero menti poëtæ fuerit obversatus; si, ut interp. Gall. *Sélis* recte innuit, sub persona hujus adolescentis in hac satira introducti, Neronem adhuc juvenem designari et tangi voluerit, cui et desidiam, et fastum, et vanam ostentationem, dissolutosque mores, et ad sævitiam atque scelera maxima jam propensum animum exprobraverit, tecte quidem, sed aliis, qui jam tyrannum *in cute noverant*, clare et aperte satis; nihil illâ novem versuum serie et

Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabescantque relictâ.
Anne magis siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis

vividius, et ad rem aptius: quæ cùm jam a litteratis oratio illa eximia censeatur; tunc demum si ea, quam supra memoravi, fuerit poëtæ mens, digna sane videbitur, quæ inter satiricæ artis excellentissima specimina, et philosophiæ gravissima argumenta, censeatur atque numeretur. A.

36. *Haud aliâ ratione.*] Haud aliter quàm flagello conscientiæ, et metu qui eam necessario sequitur. Vid. ad hæc satiram fere integram XIII Juven. nostri. P.

37. *Moverit ingenium.*] Impulerit ad aliquod atrox facinus. — *Ferventi tincta veneno.* Animi enim venenum inhumanitas et crudelitas est. P.

38. *Virtutem videant, etc.*] Commentario non eget pulcherrima item et fulminea nostri poëtæ imprecatio. A.

39. *Anne magis, etc.*] Ordo est: anne inclusi in æneo Phalaridis tauro magis gemuerunt; anne gladius cervici Damoclis assentatoris pendens eum magis exterruit, quàm si infelix peccator intra se dicat: *imus, imus præcipites*, et palleat intus tantorum ac tot scelerum conscientiâ agitatus, quæ ne uxori quidem committere audeat? — *Gemuerunt æra juvenci.* Metonymia, pro gemuerunt homines inclusi in tauro æreo. « Operæ autem pretium est notare, in « hoc versu, *anne mag. sic. gem.* « *æra juvenci, m, m; g, g, j; s, c;* « et *erunt, æra.* An forte hæc omnia? an, ex consilio? aut doctis « auribus, ignara mente? Nonne « gemitus isti Siculi musice sonant? » Ita doctissimus Eques Henricus *Croft*, in suis ad me missis litteris. A

40. *Auratis pendens, etc.*] Suspensus a laqueari gladius, setâ equinâ, et imminens capiti Damoclis apud Dionysium Siciliæ tyrannum. Nota historia ex Cic. Tusc. Quæst. V. Macrob. ad Somn. Scip. lib. I, cap. 10. Sic Horat. lib. III, od. 1, quem in animo habuisse videtur Persius:

Districtus ensis cui super impiâ
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent. . . . . . . A.

V. 36. *Libido.* Cod. noster, *cupido.* Ita et tres alii; minus bene.

V. 38. *Virtutem videant.* Duo codd. *virtutem ut videant.* Duo quoque, *virtuti invideant.* Cod. noster, *virtutem videant.* Item edit. Aldina, 1535.

V. 40. *Et magis.* Cod. Colbert. I, 8055, *aut magis;* Thuanens, *an magis:* cæteri, *et magis.* Ita quoque cod. noster, et ed. Aldina.

Purpureas subter cervices terruit, imus,
Imus præcipites! quàm si sibi dicat; et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituro verba Catoni
Dicere, non sano multum laudanda magistro,

41. *Purpureas subter cervices.*] Jussu Dionysii, Damocles regio amictu fuerat ornatus, et, ut testantur veteres, Tyrii muricis conchyliato indutu ditatus.

42. *Intus palleat.*] « Mira locutio, inquit Casaub. nam, pallor « intus esse non potest; sed unum « verbum duorum loco posuit: « intus timeat, et foris palleat. »

43. *Quod proxima nesciat uxor.*] Juven. sat. III, v. 49:

. . . . . . Conscius, et cui fervens
Aestuat occultis animus, semperque tacendis.

— *Quod.* Et intus palleat, propter hoc flagitium quod, etc. A.

44. *Sæpe oculos memini, etc.*] Ego puer, pueriles olim excusationes quærebam, ut studia laboremque detrectarem; at, tu, qui puerilia deposuisti, et sapientiæ præcepta jam delibasti, stertis adhuc? etc. —*Oculos.... tangebam.... olivo.* Ungebam, ut lippitudine laborare viderentur, aut alio morbo; ut parentes nimium confidentes a lectione me removerent. P.

45. *Grandia si nollem, etc.*] Ne memoriter ediscitas cogerer declamationes quasdam recitare pueris familiares, ficta themata, in quibus apud moriturum Catonem verba facerem, et cum eo examinarem, satiusne illi foret vitam sibi eripere, quàm in manus Cæsaris incidere. Vide Juven. sat. I, v. 15. A.

46. *Non sano multum laudanda magistro.*] Quæ certe laudanda essent a magistro male sano, qui puero ficte et affectate recitanti applauderet, et puerilem operam magnâ ambitione laudaret coram

V. 44. *Tangebam.* Ita omnes nostri codd. Pithoei codice excepto et vet. schol. qui habent *tingebam.* At nota ipsius vet. schol. huic repugnat lectioni; et ea est nota: *oculi oleo tacti perturbantur ad tempus:* quapropter, annuente Casaubono, priori arrisimus. Cod. quoque noster, *tangebam.*

V. 45. *Si nollem morituro verba Catoni dicere.* Ita vet. schol. et tres codd. Alii, ed. Ald. et noster, *si nollem morituri verba Catonis discere;* et interpretantur: ne memoriter discere cogerer declamationes fictas in quibus verba Catonis morientis exprimerentur, verba nimirum laudanda a magistro insano. Utrumque bene, etsi diverso sensu.

V. 46. *Non sano.* Codd. multi, et noster, *et insano.* Item ed. Ald. Nonnulli, *Ab insano.* Vet. schol. et Schrevel. *non sano;* quam lectionem recepimus.

Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Jure : etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustæ collo non fallier orcæ;

parentibus et cognatis, ut eis sic adulando, majorem quæstum ac mercedem expiscaretur. P.

47. *Quæ pater adductis.*] Declamabant pueri sextâ quâque die, præsente patre, qui amicos et cognatos adducebat, ad audiendum filium. Vid. Quintil. lib. II, cap. 7, et X, cap. 5. — *Sudans.* Ἀγωνιῶν. Explicat Statius in epicedio patris sui :

Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris! Heu quali confusus gaudia fletu!
Vota piosque metus inter, lætumque pudorem. P. et C.

48. *Jure.*] Si non omnino recte, at saltem convenienter vitæ quam agebam, et fini quem ob oculos habebam: quippe, puer, summum bonum non aliud agnoscebam præter ludum et jocum, serias curas nugis postponens. — *Quid dexter senio ferret.* Puerilem lasciviam ab aliquot lusionibus describit. Prima erat κυβεία; quem lusum fuisse celeberrimum permulti apud veteres testantur, imprimis istud Lysandri dictum : Τοὺς μὲν παῖδας τοῖς ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾷν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις. Plut. in vit. Lysand. Ad hunc lusum spectat *senionis* et *caniculæ* mentio : nam, ut quisque, talis jactatis, *senionem* (le nombre six) miserat, vincebat : sin *canem* (l'as) vincebatur : ideo senionem *ferre* dicit Persius, hoc est, lucrum conciliare : at canem *radere*, id est, illato damno, rem minuere. Antiquissimus autem talorum lusus, et tali cujusque forma huic nostræ similis, ac distinctio per puncta, a numero 1, usque ad 6. Sed ludendi modus æque incertus. Ad hæc fusius Adrian. Turneb. Advers. lib. V, cap. 6, et XXVII, cap. 3. C. et A.

49. *Damnosa canicula.*] Caniculam (l'as) damnosam vocat, quòd, quantum lucri *senio* (qui ideo dexter dicitur), tantum damni canicula ferret. P.

50. *Angustæ collo non fallier orcæ.*] *Orcam*, Græcis ὄρχην, proprie vocabant vas modicæ capacitatis. Hoc loco, describitur ludus nucum, quo maxime pueri delectabantur : nam in terra vasculum quoddam defigebant, in quod mediocri distantes intervallo, pueri nuces jaciebant: unde Ovid. de Nuce :

Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur,
In quod missa levi nux cadit una manu.

V. 48. *summum.* Codd. Mazarineus, Colbert. 8055, Fauchet. et tres alii *summo;* et significat: *jure : etenim* id *erat summo voto, scire quid,* etc.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens, braccatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polentâ;

De hoc ludi genere vide quoque Pollucem, lib. IX, cap. 7, quamdam hæc lusio similitudinem habere videtur cum illa, quam nostri dicunt *la fossette*, qua luditur cum globulis, seu nucleis. A.

51. *Neu quis callidior buxum torquere.*] Turbo, Græcis βέμβηξ, Gall. *le sabot*, lusio alia puerilis satis nota: vid. Virg. Aen. VII, v. 379.

52. *Haud tibi inexpertum.*] Ego puer et ætati meæ et proposito meo, etsi malo, convenienter agebam: tu vero, qui nec jam puer es, quique es imbutus stoicorum præceptis divinis, ignorationem certe recti prætexere non potes. — *Curvos deprendere mores.* Curvi dicuntur mores, qui ad rectæ rationis obrussam non sunt exacti. Contra κατορθώματα stoicis, recte facta. Sic apud Senecam et Plin. *curva* corrigere, pro censorem agere. C.

53. *Braccatis.... Medis.*] *Braccatus*, a bracca, genere vestis, quâ utebantur Galli, Scythæ, Medi, aliæque barbaræ gentes. — *Porticus.* Illa porticus Athenis erat, et στοὰ vocabatur; unde Stoici nominati. Ea quoque dicebatur ποικίλη, ob picturæ varietatem. In parietibus enim illius depicti erant Persæ et Medi cum Xerxe et Dario regibus superati a Miltiade, Leonida et Themistocle. Vid. Laërtium, et alios. P.

54. *Insomnis quibus.*] Scis, inquit, illa quæ docentur in porticu, et *quibus juventus insomnis invigilat.* Aliter: operam jam multam in studio philosophiæ posuisti sub stoico magistro, imbutusque es ejus disciplina. Duabus notis hîc distinguit hanc Ἑλληνικὴν ἀγωγὴν scholæ stoicæ, scil. diligentiâ in studiis, et tenuitate cultûs. — *Detonsa.* Qui disciplinæ stoicorum se dabant, habitum quoque assumebant sectæ convenientem. Non alebant comam, sed strictim tondebant, unde hîc *detonsa juventus;* pro stratis, grabatulum et pellem habebant; ante lucanum tempus invigilabant, ideoque *insomnis* dicitur. C.

55. *Siliquis et grandi pasta polentâ.*] Alia nota Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς, victus tenuis: puta, *polenta*, panis secundus, et siliquæ leguminum, quæ sunt pecoris immundi potius quàm hominum. Horatius

V. 54. *Et detonsa.* Cod. noster et edit. Aldina, *indetonsa.* Ita et Britannici codd. et interpretantur: *indetonsa*, i. non tonsa, more veterum, scil. negligens circa cultum corporis. Non male certe, et forte melius.

V. 55. *Pasta.* Cod. Fauchet. 8070, *parta:* male.

Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem :
Stertis adhuc! laxumque caput, compage solutâ,

qnoque extremam frugalitatem eâ voce expressit :

... Vivunt siliquis, et pane secundo.

—*Siliquis.* Proprie est operculum seu folliculus leguminum.—*Polenta.* Pultis genus, quam ex hordei farina conficiebant, ut apparet ex Plin. lib. XVIII, cap. 7 : hoc loco, pro quovis alimento vili et communi. C.

56. *Et tibi quæ Samios, etc.*] Et littera, quæ dividit ramos Samios, ostendit tibi, etc. hoc est, Pythagoræ etiam præcepta delibasti.—*Littera.* Nempe Y, per cujus dextrum cornu angustum, arduum virtutis iter, per sinistrum latius, vitiorum facilem viam Pythagoras designabat. Vid. Laërt. vit. Pyth. Virgil. epigram. de littera Y :

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.

—*Samios.... ramos.* Rami litteræ dicuntur Samii, ob Pythagoram oriundum e Samo insula maris Aegæi. Hujus autem formam dicitur Palamedes e gruum volatu finxisse. Philostrat. lib. IV. P.

57. *Dextro monstravit limite callem.*] Imitatio Virgiliana :

Nam via virtutis dextram petit ardua callem.

58. *Stertis adhuc!*] Interpres Gallicus *Le Monnier*, in suis ad Persium notis, nostrum poëtam excurrisse et vagatum esse dicebat, cui respondit interpres *Sélis*, brevi et justâ satiræ analysi, quam ad commodum lectoris, hoc loco, in Latinum sermonem vertere nequaquam inutile erit. *Tu*, inquit ab initio sat. Persius : *Tu, jam sole dudum lucente, stertis adhuc!... Pigritiam fugito: neu vanas tuæ culpæ excusationes prætende.... At tibi far modicum est, et sine labe salinum*, id est, *honesta satis et ampla fortuna.... Hoc satis? vitiis obrutus es,.. Ego quoque tui similis, in pueritia, studia, virtutem nugis et puerilibus oblectamentis postponebam: ast ego puer eram, ignarus et imperitus; atque, proh dolor! mihi pædagogus male sanus, mihi parentes imbecilles erant... Tu vero, jam prope vir factus; tu, jam nec discipulus, cui contigit feliciter, ut doctores magistros haberes; tu, qui stoicorum et pythagoricorum etiam principia, necnon documenta delibasti..... stertis adhuc!....* Ex hac simplici explicatione ordinis sermonis ac seriei, judicet lector, an tanta sit adhibenda fides iis, qui vagabundum, obscurum, febricitantemque poëtam Persium perpetuo dicunt A.—*Laxumque caput, etc.* Pluribus verbis describit Persius, quem unâ voce, ἔκλυτον Græci, *dissolutum* Latini vocant. Ex omnibus vitiis nullum est quod corpus æque corrumpat, quàm Veneris et cibi

V. 56. *Deduxit.* Cod. noster, tres alii, et edit. Aldina, *diduxit.*

Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testâque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

potusque nimietas. Quare iis notis poëta complectitur quæ proprie homini temulento conveniant; scil. *laxum caput*, *compaginem* nervorum *solutam*, *oscitare hesternum*, *malas undique dissutas*. C.

59. *Oscitat hesternum.*] Exhalat crapulam veterem, ait Seneca. Plato, κραιπαλᾷ ἐκ τῆς προτεραίας. C.

60. *Est aliquid quo tendis?*] Omnium officiorum vitæ radix, secundum philosophos, atque imprimis stoicos, est finis cognitio. A notitia enim finis proveniunt κατορθώματα, ut, ab ejusdem ignorantia, peccata omnia erroresque omnes. Senec. epist. LXXI: *Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de vita nemo.* Hunc finem ultimum Græci philosophi non solum τὸ ἀγαθὸν et τέλος vocant, sed et σκοπὸν, a sagittariis vocem mutuati, ut docet Aristot. Nicomach. I. Ἆρ' οὖν, inquit, καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις τοῦ τέλους μεγάλην ἔχει ῥοπήν· καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος. Græcam dictionem noster exprimit, cùm ait: *Est aliquid quo tendis?* Boni igitur doctoris munus præstat hîc stoicus. Discipulum primo ignaviæ accusavit et objurgavit, nunc fontem culpæ aperit, et aptam morbo medicinam facit. C.

61. *An passim sequeris corvos?*] *Testâ lutove* corvos sequi stulti, et frustra laborantis est: quod qui tentat, hoc Græco proverbio notatur, τὰ πετόμενα διώκει.

62. *Securus quo pes ferat.*] More eorum, inquit Sen. de Tranq. An. *qui sine proposito vagantur, quærentes negotia: qui, non quæ destinaverunt agunt, sed in quæ incurrerunt.* — *Atque ex tempore vivis.* Per hoc, *ex tempore vivere*, non intelligit, in quærendis vitæ præsidiis ultra præsentem diem cogitationes suas non extendere; sed quod Græci dicunt αὐτοσχεδιάζειν τὸν βίον, vivere tumultuarie, sine proposito et ultimo fine; probare et aggredi modo hoc, modo illud. C.

63. *Helleborum frustra.*] Causam morbi aperuit; nunc sanationem indicaturus, per hortatiunculam incipit, ut sine mora faciant morbo medicinam, ne fiat morbus temporis tractu insanabilis. — *Helleborum.* Pharmaca noxios humores purgantia. De hoc fusius Plin. lib. XXV, cap. 5, A. Gell. lib. XVII, cap. 15. — *Cutis ægra tumebit.* Non hydropisim solum intelligit; sed confirmatam longo usu ἕξιν κακίας. Commune est

Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite, ô miseri! et causas cognoscite rerum:
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo

enim morbis omnibus qui foras prodünt, ut φλεγμονῇ cutem intendant ac tumorem exciteut. C.

65. *Et quid opus, etc.*] Eos obiter ridet, qui dum sani essent, neglectâ valetudinis curâ, ægri postea nihilnon medicis promittunt; puta, auri et argenti montes, quasi esset in eorum potestate fata extrema morari. Similiter Epictet. apud Arrian. lib. III, cap. cui titulus: Πῶς δεῖ φέρειν τὰς νόσους, ait: Τί κολακεύεις τὸν ἰατρόν; Τί λέγεις, ἐὰν θέλῃς, Κύριε, καλῶς ἕξω; Τί παρέχεις αὐτῷ ἀφορμὴν τοῦ ἐπᾶραι ὀφρῦν; — *Cratero.* Augusti medico celebri, ut conjicere est ex Horat. lib. II, sat. 3:

. . . Craterum dixisse putato. C. et P.

66. *Discite, ô miseri, etc.*] D. Augustinus, de Civit. Dei, lib. II, cap. 6, hunc locum integrum affert, qui certe exhibet velut enchiridion philosophiæ moralis. Hæc sunt illa summa ac præcipua sapientiæ capita, paucis versibus, eleganter æque ac præcise a nostro poëta stoico indicata. Quid sit homo; in quem finem a Deo sit creatus; quis rerum ordo? etc. — *Causas cognoscite rerum.* Hæc potius cum Casaub. ad causas peculiares eorum quæ homini cuique eveniunt, causas τῶν φευκτῶν καὶ αἱρετῶν, rerum expetendarum et vitandarum, respicere putarem, quàm ad causas physicas et naturales in universum. A.

67. et 68. *Quid sumus.*] Primum et præcipuum ethicæ præceptum, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, Juven. sat. XI, v. 27. Ex hac enim cognitione pendet omnis sapientiæ principium et consummatio. Simplicius: Τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ τοῦ Θεοῦ παράγγελμα καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας καὶ εὐζωΐας. Quid ergo homo est? Platoni in Phædro, φυτὸν est οὐράνιον οὐκ ἔγγειον· ἐν τῶν κτημάτων τοῦ Θεοῦ. Stoicorum est illud scitum: τὸν ἄνθρωπον οὐσιῶσθαι κατὰ τὴν λογικὴν ζωὴν, σώματι δὲ χρῆσθαι ὡς ὀργάνῳ. Summaque illorum doctrinæ hæc est, *esse hominis*, idque adeo omne per quod homo censeatur, in animo et rectâ ratione situm esse. Hanc esse illius τὸ πᾶν: corpus vero et cætera omnia, pro instrumentis vitæ istius habenda. Sed rursus, *quid est homo?* Senec. Consol. ad Marciam: *Imbecillum corpus et fragile, nudum, suâpte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* Spectat eodem sapientissimum illud M. Antonini monitum: Τοῦ ὅλου αἰῶνος, καὶ τῆς ὅλης οὐσίας συνεχῶς φαντασία, καὶ ὅτι πάντα τὰ κατὰ μέρος (ἐν οἷς καὶ ἄνθρωπός ἐστι), ὡς μὲν πρὸς οὐσίαν κεγχραμίς· ὡς δὲ πρὸς χρόνον τρυ-

V. 66. *Discite, ô miseri.* Male Juvencius, *discite, vos miseri.—O miseri:* ô longum et aspiratum; ideoque vocalis antecedens sæpe non eliditur. F. D.

V. 67. *Et.* Cod. noster, *aut.* Ita et v. ed. Brit. et edit. Aldina, 1535.

Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, et unde;

πάνου περιστροφή. De corporis ac naturæ humanæ fragilitate vere ista: quid dicemus, si depravationem animi spectemus? Hoc nempe quod Chrysostomus, Μάθωμεν, ait, τίνες ἐσμὲν, καὶ ἀρκεῖ τοῦτο εἰς ταπεινοφροσύνης ὑπόθεσιν. Et ita est: neque fieri potest, ut superbiâ, vel arrogantiâ tumeat, cui fuerit aliquando curæ, hoc serio cogitare, QVID SVMVS. C.— *Et quidnam victuri.* Hæc etiam quæstio cohæret cum præcedenti: nam qui nescit ad quem finem creatus sit, ipse quid sit ignorat. Ὁ μὴ εἰδὼς πρὸς ὅ τι πέφυκεν, οὐκ οἶδ' ὅς τις ἐστίν. M. Antonin. De hoc permultas habemus sapientium veterum et præclaras sententias; alii hominem natum dicunt ad mundum contemplandum et imitandum; M. Tull. de Nat. D. lib. II. Aristoteles ad intelligendum et agendum; quidam generaliter, ad cognitionem rerum: sed Stoici optime, ad contemplanda et enarranda opera Dei. Τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν ὁ Θεὸς αὑτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὑτοῦ· καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. Arr. lib. I, cap. 6. Non minus sancte et humaniter iidem Stoici dicebant: *hominem in adjutorium mutuum esse generatum.* — *Victuri.* Hoc est, in vita acturi; nam *vivere* secundum Stoicos, quid aliud nisi agere? C.—*Ordo quis datus.* Etsi, de ordine illo admirabili, quo maximus rerum opifex sapientiam, potentiam providentiamque suam hominibus manifestam præbuit, hæc quoque intelligi queunt; attamen, ut Casaub. nobisque visum est, satius foret, si eadem interpretaremur de *fato* et *lege* necessariâ cuique nascenti homini impositâ; scil. ut, cùm quæque in ordine miro sint compositæ, ipse suum quoque servet ordinem, neminem lædat, suum cuique tribuat, etc. item, animi bona bonis aliis corporis ac fortunæ, utili ac jucundo anteponendum existimet honestum. Senec. Epist. CVII. *Sic vivamus, sic loquamur: paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit. At contra pusillus ac degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deos quàm se....* In mente autem Stoicorum *ordinem*, aut *rerum ordinem* idem esse ac fatum, nullo modo ex his Senecæ dubitare possumus: *Causa pendet ex causa; privata, publica longus ordo rerum trahit.* Vid. lib. cui titulus: *Quare bonis viris mala accidant.* Idem Natural. Quæst. lib. II: *sic ordinem rerum fati æterna series rotat, cujùs hæc prima lex est, stare decreto.* Ita *fati ordo* est illa εἱμ-

V. 68. *Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, et unde.* Vet. schol. Fauchetii cod. et quatuor alii, *metæ qua.* Thuan. *Quis datur, aut metæ qua mollis flexus, et unde:* non mala hæc lectio, et forte priori anteponenda. Et est sensus: *quis ordo datur? qua mollis flexus metæ suscipiendus est?* et *unde* proficiscendum? Cod. noster, *quàm.* Nostra edit. Ald. habet *quàm.* —*Unde.* Male Pratcus, *undæ*, ut sit similitudo a naumachia.

Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
Utile nummus habet; patriæ, carisque propinquis

πλοκὴ τῶν αἰτίων. M. Ant. lib. X: est quoque illa Chrysippi σύνταξις, ordinata compositio. Vid. A. G. lib. VI, cap. 2. Hoc igitur modo, auctoris nostri verba interpretemur: *disce: quis ordo datus*, hoc est, disce fatorum certâ lege (et imprimis voluntate Dei, cui in mente etiam stoicorum fatum subjectum), disce omnia fieri, cui volens lubensque acquiescit sapiens. C. et A. — *Aut metæ quàm mollis flexus.* Quàm lubricus vitæ cursus, in quibusdam circumstantiis, quàmque difficilis adeo sit metæ flexus, id est, ad vitæ terminum, mortem scil. optimam, sine casu, dexter et felix accessus. Aliter: disce quàm sit difficile et lubricum inter tot ac tanta repugnacula vitæ cursum dirigere, et ad vitæ finem optatum pervenire. Metaphora petita a ludis Circensibus, in quibus decertanti cuique solerter meta flectenda; ne, si propius accederet, frangeretur, sin vero longius a scopo recederet, ab antagonistis superaretur. — *Et unde.* Id est, quo loco, quo tempore cursus vitæ incipiendus et instituendus, ut et commode teneri possit, nec ad finem impingatur. Aliter hæc, *aut metæ quàm mollis flexus et unde*, Britan. J. Baptista Pius et Casaubonus interpretantur, ut sit sensus: « Aut quàm brevis sit hæc « vita, quàmque in propinquo « mors illi immineat: et quidem, « ex causis sexcentis, *meta* est finis... « *flectere metum*, addit idem Casaub. ut Græci, κάμπτειν τὴν « νύσσαν, de spatiis vitæ solet « usurpari: unde *flexus ætatis* ap. « M. Tull et *maturitas indeflexa* « Plin. Panegyric. — *Et unde.* Scilicet, inquiunt iidem interpp. « unde mors? Nempe a natura; « quia lex naturæ est, ut quicquid nascitur et denascatur. » Hæc explicatio nobis longius petita, nec præcedentibus apta visa est atque conveniens; priori ergo arrisimus. Cæterum, hæc: *aut metæ quàm mollis flexus, et unde*, a ludis circensibus petuntur, de quibus diserte et facundius disseruit Tornorupæus, in suo ad A. Persii Flacci satiras commentario, p. 40 — 53. A.

69. *Quis modus argento.*] Nempe quærendo. Modus autem pecuniæ quærendæ, secundum stoicos, est optimus ac legitimus qui naturæ conveniat. Natura autem facilis est, et parvo contenta; hominum vero aviditas sine fine caret. — *Quid fas optare.* Vid. præcedentem satiram de Votis, et Juven. sat. X. — *Quid asper utile nummus habet.* Quo modo divitiis utendum sit. — *Asper.* Epitheton est rei nuper signatæ, nam signi impressio recens exasperat argentum aurumque. Virgilius:

Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.

70. *Patriæ carisque propinquis.*] Non nobis solis natos esse, sed patriæ primo, deinde parentibus, postremo nobis.

Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Jussit; et humana qua parte locatus es in re.

71. *Quem te Deus esse jussit.*] Supra, v. 67, *quid sumus....* Sed aliud est: nam ibi natura hominis proponebatur inquirenda; hîc personæ qualitas: ibi, περὶ φύσεως agebatur, hic, περὶ σχέσεως; etsi vox illa σχέσις, varie sumitur apud auctores, sæpe tamen est relatio unius ad alterum, cujusmodi σχέσεσι, circumscribuntur singulæ personæ. Ita certe accipiunt stoici, cùm docent, plerumque officia ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖσθαι, hoc est, dirigi hujusmodi conditionibus ac qualitatibus quæ sunt in uno quoque homine. Hæc quoque, *quem te Deus esse jussit*, spectant ad officia, quæ ex duobus exstare scribit Senec. lib. II, de Benef. quæ Epicteto ap. Arrian. lib. II, dicuntur partim φυσικαὶ, partim ἐπίθετοι σχέσεις. Ita ergo accipe poëtæ verba, *quem te, etc.* hoc est, ποίαις σχέσεσί σε περιέβαλε καὶ ἐνέδησε, φυσικαῖς τε καὶ ἐπιθέτοις, quibus relationibus seu naturalibus, seu pactitiis ad societatem te alligavit, quæ tibi officia imposuit. Puta: si pater es, disce quæ sint officia tibi erga liberos imposita; si filius, erga parentes; si civis, erga rempublicam; si subjectus, erga principem; si sacerdos, si magistratus, si miles, si mercator, etc. disce quæ sint tibi officia exequenda. Idem vult poëta noster cum Epicteto, cujus hæc verba sunt in Enchiridio: Τὰ καθήκοντα ὡς ἐπίπαν ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖται. Πατήρ ἐστιν; ὑπαγορεύεται (ὁ υἱὸς), ἐπιμελεῖσθαι, παραχωρεῖν ἁπάντων, ἀνέχεσθαι λοιδοροῦντος, παίοντος. — *Deus.* Dicit *Deus*, non *Dii:* nam etsi stoici palam loquentes, seu profitentes, sæpe Deos Deorumque nomina in ore haberent; attamen, in explicandis suæ scholæ decretis, *Deum* unum prodebant causam efficientem et moderatorem hujus universi, sicut notum est ex M. Tull. Senec. Laërt. de Zenone. M. Aurel. Ant. Epict. etc. C.

72. *Et humana qua parte locatus es in re.*] *Humana res* humani generis est societas. Homo igitur, quatenus homo est, habet σχέσιν, et naturalem conjunctionem cum hominibus. Sed illud generale officium astringitur postea aliis, ut stoici ipsi dicunt, orbibus minoribus; qui eo expressius intelliguntur, quo patent angustius: unde fit, ut plures privatas caritates curent, quam publicam civitatem, aut regni utilitatem; multo minus iidem ad universam societatem cogitationes suas referant. Stoici vero corrigendi hujus erroris gratia, unde multa in vitam peccata manarent, soliti suos non tantum ad universæ *rei humanæ*, ut hic Persius, contemplationem hortari; sed etiam ad totius rerum universitatis. Quippe omne hoc unum esse, cujus pars, imo membrum, homines sunt: singulas autem civitates esse quasi totidem universi domos. M. Antonin. sæpe sæpius hunc cujusque hominis nexum

Disce! nec invideas, quòd mu[lta] fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,

et conjunctionem cum universo mundo inculcat, ut initio lib. II: δεῖ δὲ ἤδη ποτὲ αἴσθεσθαι τίνος κόσμου μέρος εἶ, καὶ τίνος διοικοῦντος τὸν κόσμον ἀπόῤῥοια ὑπέστης. Et lib. X: εἴτε ἄτομοι εἴτε φύσεις, πρῶτον κείσθω ὅτι μέρος εἰμὶ τοῦ ὅλου ὑπὸ φύσεως διοικουμένου· ἔπειτα ὅτι ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη. Hujus deinde persuasionis, quod simus pars universi, fructum duplicem subjicit: prior est animus æquus adversus omnes casus: τούτου γὰρ μεμνημένος, ait, καθότι μὲν μέρος εἰμὶ, οὐδὲν δυσαρεστήσω τῶν ἐκ τοῦ ὅλου ἀπονεμομένων. posterior fructus est amor proximi, et omnes juvandi studium: καθόσον δὲ ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη, οὐδὲν πράξω ἀκοινώνητον. Μᾶλλον δὲ στοχάσομαι τῶν ὁμογενῶν, καὶ πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον πᾶσαν ὁρμὴν ἐμαυτοῦ ἄξω, καὶ ἀπὸ τοὐναντίου ἀνάξω. Similiter Seneca, epist. XCV: *Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus magni corporis.* Ex his supra memoratis, Persii locum hunc, *et humanâ quâ parte locatus es in re*, ita interpretor: disce qua in parte totius universi locatus a Deo fueris, et quâ conditione: scilicet, ut, miles in statione positus, societatis utilitati commodisque invigiles, nec ab ea discedas Dei imperatoris injussu. M. Antonin. cap. XI: οὐ δέχῃ τὸ νῦν τῇ τῶν ὅλων φύσει εὔκαιρον, ἄνθρωπος τεταγμένος πρὸς τὸ γενέσθαι δι' ὅτου δὴ τὸ κοινῇ συμφερον. C. et A.

73. *Nec invideas.*] Ultimum præceptum, ut quisque contentus suâ sorte vivat, neque ea vera bona esse putet, quæ vulgo tanta contentione quæruntur. Illa igitur ne optes, neque doleas, si uberior copia horum bonorum aliis sit quàm tibi. — *Quòd multa fidelia, etc.* Ex omnibus litteratis Romanis, soli fere oratores erant qui rem facerent. Causidicis nempe donari solitæ vini lagenæ et salsamenta, ut patet ex Juvenale ipso, sat. VII, v. 119 et seqq. Ejusmodi sunt munuscula, quorum hic meminit Persius, *fidelia* vini, *piper*, *pernæ* et *orca mænæ*. Itaque dum noster invidiam discipulo vetat suo, simul et avaritiam carpit causidicorum et patronorum, qui contra legem Cinciam, in captandis undique donis avidissimi erant. — *Fidelia.* Vid. sup. v. 22. — *Putet.* Putrescat, vel putere incipiat, ob nimiam copiam. C. et P.

74. *In locuplete penu.*] Divitis advocati. — *Penu.* Metonym. pro cella penuaria, in qua conditur et asservatur *penus*. — *Defensis pinguibus Umbris.* Eo nomine, quòd defenderit Umbros, patronus aut advocatus. — *Pinguibus.* Nempe Umbri et opulentissimi et antiquissimi erant populi Italiæ.

V. 73. *Nec. Neque* pro *nec* habent codd. permulti: at parvi interest.

Et piper et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quòd primâ nondum defecerit orcâ.
Hîc aliquis de gente hircosa centurionum

75. *Marsi monumenta elientis.*] Marsi, Apuliæ populi. Plinius, lib. III, cap. 11. In eorum regione et silvis apri erant complures, hinc pernas ab iis dono mitti patronis snis ait Persius. P.

76. *Mænaque, etc.*] Piscis marinus exiguus. Hoc loco, pro pisce quolibet. — *Quòd primâ nondum defecerit oreâ.* Vid. sup. v. 50.

77. *Hîc aliquis de gente, etc.*] Hactenus de præstantia et utilitate philosophiæ, et de ejusdem ad vitam beatam nccessitate disseruit, tanquam de re nota et constante; ita enim discipuli sui segnitiem excussit. Nunc, quia permulti Romæ, præsertim inter juvenes et militares viros, philosophiæ studium aspernabantur, atque a moribus Romanis alienum dictitabant, eorum insanam objectionem antevertit atque diluit, hoc modo. Unum inducit aliquem agrestium et opicorum, qui ad studia rei militaris, non philosophiæ, Romanos se applicare debere jactitabant; et ridiculo, quale conveniat hircoso centurioni, in philosophos convicio, efficit primum, ne quid ponderis apud discipulum suum hujus voces habeant; deinde istum centurionem, et alios qui talia jactarent, comparat ægroto cuidam insano medici consilia respuenti, et ad mortem intempestiva curenti pertinacia; quod quidem evenire necesse erit cuilibet aspernanti philosophiæ præcepta, quæ sunt animi vera et sola remedia. En ea sine dubio quæ ab his ducenda erit conclusio. Sed auctoris mentem obscurat comparationis omissa penitus altera pars. Solam enim protasim posuit, apodosim reliquit auditori supplendam; quod quidem eo facilius est, quòd morbi appellatio communis est corporis animique vitiis. Ita, crgo, ad totius hujus præstantissimæ satiræ intelligentiam, mecnm, lector, inchoatam pridem (vid. notas ad v. 58) analysim repctas, et continues nccesse admodum videtur.... *Stertis adhuc? laxumque caput, etc.... Est aliquid quo tendis? an passim sequeris corvos?.... Frustra remedium quæsieris, eùm jam morbus iuvaluerit.... Venienti occurre morbo.... Disce causas rerum. Quid sumus, etc.* (Sequitur admirandum totius stoicorum philosophiæ moralis compendium undecim versibus inclusum).... *Hîc aliquis centurio hircosus, vel huic similis dicet: Quod satis est, sapio mihi: non ego curo esse quod Arcesilas; etc.... Huic sermoni impio suffragatur populus.... Ego autem respondeo: « Tu qui tibi sapiens videris « et sanus; hunc ægrotum vide. Faucibus ejus exsuperat gravis halitus:*

V. 76. *Defecerit.* Male cod. Fauchet. et edit. Aldina 1535, *Defecerat.*

Dicat: quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,
Murmura cùm secum, et rabiosa silentia rodunt,

« *urget morbus: inspice, ait medico.* « *Medicus quietem præcipit. Tertiâ* « *tamen nocte, cùm jam febris paululum cessavit, ægrotus, resistente* « *medico, poscit vinum, it lavatum;* « *sibi denique sanus satis videtur.* « *Quid plura? Inde mortes, inde* « *funera.* » *Itane*, repetit centurio, *male sanus et æger sum? Ideoque, si tuæ comparationis mentem cepi, stultus et vitiosus? Tange miser venas... Nil calet hîc...* « *Certe*, respondet poëta, « *nunc nihil, admodum nihil; sed,* « *dic mihi, sodes, visa est si forte* « *pecunia; si tibi candida vicini* « *subrisit puella.... cor tibi rite salit? Tibine et tuis cupiditatibus im-* « *peras? minime certe.... Ergo sanus* « *non es. Dicis facisque quod ipse* « *non sani esse hominis, non sanus* « *juret Orestes. Desine tandem nos-* « *tram philosophiam floccipendere,* « *quæ sola fortem, liberum, atque* « *etiam regem hominem et velit et* « *possit efficere: Tu quoque hæc* « *adolescens accipe, et surge!* » A. — *De gente hircosa centurionum.* Centurionum *hircosam gentem* (quæ hircum olet) nominat, illuviem eorum et δυσχέρειαν notans, quâ viri fortes videri vellent. De his, vide Juvenalem, sat. XIV, v. 194. C.

78. *Quod satis est, sapio mihi.*] Exoticos mores, et transmarinam sapientiam respuo. Cive Romano nemo vivit in orbe melius. C.

79. *Arcesilas.*] Crantoris discipulus et Academiam celebravit, et contra Zenonem de omnibus dubitandum affirmavit. M. Tull. in Quæst. Acad. — *Ærumnosique Solones.* Solones in plurali numero pro sapientibus posuit. — *Ærumnosos* eos vocat propter indefessa studia eorum, et vigilias continuas. C et P.

80. *Obstipo capite.*] Id est, rigido collo et cervice, et in humerum capite inclinato, quod attenti et cogitabundi signum est. Suet. in Tiber. *Incedebat cervice rigidâ et obstipâ.* — *Et figentes lumine terram.* Oculos demittere modestæ ac studiosæ juventutis signum. Ita enim a pædagogis instituebantur. Plut. Τοὺς παῖδας διδάσκουσιν οἱ παιδαγωγοὶ κεκυφότας ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν. Inde docti ex hac consuetudine ab infantia pene contracta, et ex meditatione perpetua atque extasi, oculos dejiciunt, et tenent immotos, ideoque dicuntur terram cernere. C. et L.

81. *Murmura cùm secum.... rodunt.*] Multi inter meditandum murmure cogitationem agitare solent, ut ait Quint. lib. X, cap. 3.

V. 78. *Quod satis est, sapio mihi.* Ita omnes nostri codd. et editt. priscæ quas consului. Ita quoque cod. noster. Recentiores: *quod sapio, satis est mihi.* Utrumque bene.

V. 79. *Solones.* Multi codd. habent *salones.*

Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia: *Gigni*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quòd palles? cur quis non prandeat, hoc est?
His populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris

— *Et rabiosa silentia.* Silentium primo studiosi hominis et meditantis nota est: ideo autem rabiosa dicit, quia de plebe si quis meditantem philosophum viderit, atque ejus gestus aliquando ridiculos, hunc vesanum aut rabiosum existimabit. P.

82. *Atque exporrecto, etc.*] Ita fit murmur labiorum motitatione, ut videantur verba singula pensitari. P.

83. *Aegroti veteris meditantes somnia.*] Sic per contemptum placita philosophica vocat. Lactant. ex vet. poët. sic habet:

Postremo nemo ægrotus quidquam somniat,
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

84. *De nihilo nihil, etc.*] Axioma physicorum vulgatissimum. Vide Lucret. lib. I. Et M. Antonin. IV: Οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχεται, ὥσπερ μηδ' εἰς τὸ οὐκ ὂν ἀπέρχεται. C.

85. *Hoc est quòd palles?*] Senec. epist. XLVIII, de puerilibus logicorum ineptiis: *Hoc est quòd tristes docemus et pallidi?* C. — *Cur quis non prandeat, hoc est.* Adeoque semel in die cibum capiat; quod contra communem erat Romanorum consuetudinem: intra enim quintam et sextam horam, corporis sustentandi causâ, cibum capere solebant, quæ comessatio prandium nominabatur. A.

86. *His populus ridet.*] Apud veteres *ridet* idem quod arridet, assentitur et plaudit. Aliter sentit eruditiss. typographus noster, cujus nota hæc est: — « *His populus ridet. Ridet* ne peut pas, je « crois, signifier *assentitur;* car « il ferait un contresens avec la « suite, *ingeminat.... cachinnos.* « C'est une espece de réponse à « ces mots: *la belle raison pour se* « *passer de dîner!* aussi le peuple « se moque d'eux; ils font pouffer « de rire les jeunes gens. » F. D. — *Torosa.* Tori, nervi: hinc, torosus significat robustum et corpulentum; et, hoc loco, *torosa juventus* accipi debet pro juventute militiæ dedita et hircosa gente centurionum.

87. *Tremulos naso crispante cachinnos.*] Egregia μυκτηρισμοῦ, vel soluti risûs descriptio.

88. *Inspice, nescio quid, etc.*]

V. 85. *Hoc est, quòd palles.* Cod. Thuaneus: *hoc est cur palles;* item duo alii. « At, inquit Casaub. minus eleganter et perperam. » Codices nonnulli, *quid.* Edit. Aldin. *quod.* Ita quoque cod. noster.

Faucibus exsuperat gravis halitus: inspice, sodes,
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modice sitiente lagenâ,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles! Nihil est. Videas tamen istud

Respondet doctor stoicus centurioni et hircosæ genti, ostendens a similitudine hominem philosophiæ repugnantem esse ægroto similem medici consiliis resistenti; sed vide quæ notavimus, v. 77. — *Nescio quid trepidat pectus.* Cordis palpitatio et halitus gravis, symptomata sunt gravioris morbi. — *Et ægris faucibus.* Non aliter ægræ fauces, quàm ob respirandi difficultatem, quidquid nonnulli sentiant. C. et P.

90. *Qui dicit medico.*] Ægrotus scilicet, qui medicum accersiverat, eique dixerat: inspice: cur male habeo? accipit mandatum requiescendi, et a cibo et potu temperandi. — *Jussus requiescere.* Senec. de Ira, lib. III: *Initia morborum quies curat.* P.

91. *Compositas vidit nox currere venas.*] Metonym. id est, cùm jam, tertiâ nocte, vidit venas et arterias pulsare æquabiliter. — *Compositas.* Κατὰ τὴν φύσιν ἐχούσας: ita sæpe compositum dicitur, quod convenienter naturæ se habet. — *Currere.* Vulgus etiam medicorum venas dicebant *currere*, pro pulsare. C.

92. *De majore domo.*] Contra valetudinem bis peccat. Primo vinum bibit ante lavationem, quod in salubribus præceptis vetitum erat; deinde, balneis utitur. In utroque casu, ægrorum intemperantiam passim medici veteres accusant. — *De majore domo.* Petit ab aliquo divite amico, sibi loturo, vina Surrentina, in mediocri lagena, id est, vini Surrentini pauxillum. — *Modice sitiente lagenâ.* Metaphora, pro vase mediocris capacitatis. Vina enim exquisitissima modice largiebantur. C. et P.

93. *Lenia.... Surrentina.*] Vina vetera et matura, convalescentibus optima, quippe quæ post annum vicesimum quintum biberentur. Plin. et medici Græci. — *Surrentina.* Surrentini colles salubris vini feraces, prope Surrentum, Campaniæ urbem maritimam. P.

94. *Heus, bone, tu palles!*] Inquit medicus. — *Nihil est.* Respondet ægrotus. Hunc locum sic non

V. 89. *Exsuperat.* Ita vet. schol. codd. Mazarin. Fauchet. et tres alii. Cæteri, quibus assentiuntur cod. noster et edit. Aldin. *exuberat.* Nonnulli editi libri *exsudat.* Præferenda videtur lectio prior.

V. 93. *Rogavit.* Codd. 8050 et 8055, *rogabit.* Britann. *rogaris.* Cæteri, *rogavit.* Ita quoque cod. noster, et edit. Ald. 1535.

Quidquid id est; surgit tacite tibi lutea pellis.
At tu deterius palles : ne sis mihi tutor :
Jampridem hunc sepeli : tu restas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulphureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem

male imitatus est satiricus noster, epist. III :

Qu'avez-vous?—Je n'ai rien.—Mais. —
Je n'ai rien, vous dis-je,
Répondra ce malade à se taire obstiné.
Mais cependant voilà tout son corps
gangrené;
Et la fièvre demain se rendant la plus
forte,
Un bénitier aux pieds, va l'étendre à
la porte. A.

— *Videas tamen.* Instat medicus.

95. *Surgit tibi lutea pellis.*] Pallida cutis. Luteus color, pallidus et albus passim confundnntur a poëtis; et sunt signa gravis morbi. C.

96. *At tu deterius palles.*] Respondet ægrotus pertinax medico. Alii volunt hæc dici a medico, non ab ægroto, inter quos doctiss. Eques *Croft*, sup. citatus, not. 39, cujus nota hæc est : « Verba, ut opinor, « medici, non ægroti. *Heus! bone,* « *tu palles!* — *Nihil est.* — *At tu de-* « *terius palles* (dum loquor crescit « morbus); *videas tamen istud.* — « *Ne sis mihi tutor* (ne dicas id), etc.» Non male certe, et forte melius. A. — *Ne sis mihi tutor.* Jam pupillus non sum, disciplinâ tuâ non egeo. — *Tutor*, ut patruus : vid. sup. sat. I, v. 11. P.

97. *Jam pridem hunc sepeli.*] Tutorem olim tui similem habui, sed eum jam pridem mortuum gaudeo. — *Tu restas.* Ut sis mihi tutor alter, atque mihi leges imponas. — *Perge, tacebo.* Nihil amplius præcipio, inquit medicus. Bibe, lava, Genio indulge, abscedo. P.

98. *Turgidus hic epulis.*] Contempto igitur plane medici consilio, ille se cibis ingurgitat, et satur balnea intrat : sed mox suæ dat pœnas intemperantiæ. — *Albo ventre.* Albus, aut albidus color proprius otio marcescentis et voluptatibus diffluentis. Dio Chrysost. in IV de Regn. Λευκὸς ἰδεῖν, ἐντρυφερὸς, αἰθρίας καὶ πόνων ἄπειρος. Horat. lib. II, sat. 2, *pinguem vitiis albumque.* — *Lavatur.* Quod ægro periculosum. Cornel. Cels. lib. III, cap. 21. Plin. lib. I, epist. 8. C. et P.

99. *Gutture sulphureas lente exhalante mephites.*] Senec. epist. 95. *Quàm fœdi atque pestilentes ructus sunt! quantum fastidium sui, exhalantibus crapulam veterem! Scias putrescere sumpta, non concoqui.* — *Sulphureas.... mephites.* Servio *Mephitis* est Dea fœtoris. Proprie est putor sulphureus e locis sulphuratis, vel ex aquis corruptis ascendens. Hic ponitur pro halitu ægri graveolente proveniente ex stomachi cruditate. P.

100. *Sed tremor.*] ex febris horrore, et ex irritatione morbi. —

V. 100. *Trientem.* Ita omnes codd. ita quoque omnes editiones priscæ.

Excutit e manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris;

Inter vina. læsis nervis. Senec. epist. 95. Sic intemperantiæ pingit effectus : *Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor; et miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, et semper quasi in ebrietate titubatio.* Cave autem ne hæc, *sed tremor, etc.* intelligas, ut quidam interpretes, quasi in balneis bibisset ægrotus. Etsi Romæ in balneis Thermopolium erat, teste Vitruv. lib. V, cap. 10. Plaut. Rudent. act. II, scen. 6; nihil tamen hoc loco indicat nostrum auctorem huc spectasse; cùm contra ex sequentibus videatur illum tremorem, dentium crepitationem, etc. funestos fuisse effectus alterius cœnæ immodicæ post lavationem intempestive sumptæ. Ita igitur hæc, *inter vina*, accipienda nobis videntur pro cœna ipsa fere semper post balneum acta. — *Calidumque trientem.* Vid. infra vár. lect. Triens autem vini mensura continens tertiam partem sextarii (litre, 0-2003, 25150). Porro calida aqua mixta vino in deliciis erat apud Romanos. Vid. Just. Lips. Elector. lib. I, cap. 4. A.

101. *Dentes crepuere retecti.*] In febris rigore crepant dentes, et strident allisi. — *Retecti.* Retractis sane labiis, quod etiam violentioris febris signum est. P.

102. *Uncta cadunt, etc.*] Et lau-

Casaubonus solus legit, *triental*, fide codicis Puteani. At si Puteano nostro, 8048, ut videtur, usus est, non potuit legere *triental:* nam altera pars satiræ III, a versu 37 vacat; item initium satiræ IV: et difficile crediderim alterum codicem fuisse Puteanum nobis incognitum; et vice versa, alterum soli Casaubono cognitum, cùm omnes codd. bibliothecæ hujus in Regiam transierint. Subtiliter satis distinxit Casaubonus idem *triental* a *triente. Triens,* inquit, est mensura ipsa, *triental* poculum mensuræ capax. Similiter *quadrantal* appellaverunt Romani vas *quadrantis* capax. Non male: sed nulla alia auctoritate: nam iste *quadrantal* forte ejusdem est fariuæ ac *triental*, quod solus finxit Casaubonus. Apud nos, et, credo, apud omnes, idem nomen est, et mensuræ, et vasi: recte enim dicimus, *pinte, litre, chopine, demi-litre, etc.* pro mensura, et pro vase quo mensura continetur. *Il a bu une pinte de vin, il a laissé tomber la pinte par terre.* Futilis est igitur Casauboni distinctio; nec impedit, quominus lectionem codd. retineamus. Consensus tot codicum nobis est lex quam violare, si non omnino nefas est, at saltem leve et inconveniens. Consentanea codicum plurium lectio ex diversis exemplaribus ductorum, et non interrupta traditione ad nos usque servatorum, plus valet, ut jam diximus in Juvenale, quam virorum vel doctissimorum emendationes et conjectanea.

V. 102. *Tunc.* Cod. noster, *tum.* Britannici cod. et vet. ed. et tres alii, *hinc.* Non male certe.

Hinc tuba, candelæ; tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit; at illum

ta opsonia, frustra semiesa, necdum digesta, et per vomitum rejecta, cadunt a labris solutis. — *Pulmentaria uncta.* Pro cibis delicatissimis. Sic in Pseudolo Plauti.

Pulmento utor magis unctiusculo.

Ap. Catonem *uncta brassica.* — *Laxis.... labris.* Pendulis et languidis.

103. *Hinc tuba.*] Morbum ex intemperantia natum sequitur mors, quam poëta indicat funebris pompæ descriptione. « Describit autem, inquit Casaub. « ὕςερον πρότερον Ὁμηρικῶς nam « tuba ad ἐκφορὰν spectat. » Ritus olim observari soliti, cùm quis mortuus esset, erant isti. Simul atque animam quis efflaverat, *conclamabatur*, id est, tota familia tollebat ejulatum et fletum. Cadaver deinde e cubili, in quo jacuerat, extractum humi deponebatur. Calidâ ablutum ungebatur. Lecto ferali *componebatur* ornatum et paratum. Collocabatur in vestibulo domûs, adhibito custode; et per aliquot dies *complorabatur*, *næniam* dicentibus amicis et propinquis. Denique ad tumulum *efferebatur*, et in sepulchro *condebatur*. — *Tuba.* Jul. Pollux, lib. VIII, cap. 1, ait tubarum sonitu convocari amicos defuncti, ut videant nullâ vi eum externâ, sed morte suâ obiisse. Tuba adhibebatur in funeribus nobilium; tibia vero in funeribus plebeiorum et puerorum, teste Servio ad Aeneid. lib. V, v. 138, et Matthæo Evangelist. cap. 9. — *Candelæ.* Funalia, cerei, lumina, quæ, ut etiam nunc, sic et olim adhibebantur, tum collocatis ad limen, tum elatis ad sepulchrum, immo et in ipsis conditoriis. — *Tandemque beatulus.* Qui corollis ornatus, pretiosis vestibus indutus, et alto compositus lecto, beatus existimatur et dives. Alii melius hæc ad eam vulgi opinionem de mortuorum beatitudine volunt spectare. Hoc autem diminutivo *beatulus*, se ironice locutum Persius ostendit. — *Alto lecto.* Tenuiorum humiles lecti erant, sublimes vero divitum. P. et A.

104. *Compositus.*] Latini mortuum *componere* (Gr. περιςέλλειν) dicebant, cùm ejus cadaver, probe lotum atque unctum, linteis involutum (quod ἐντυλίττειν tres Evangelistæ dixerunt), corollis cæterisque ornamentis additis, lecto ferali aptabant. Ovid. in lib. IX Metamorph.

..... Peream precor ipsa toroque
Mortua componar.........

Sæpe autem, apud Græcos et Latinos, verba περιςέλλειν, et *componere* totum apparatum funebrem et funus universum indicant. Horat. *Omnes composui.* — *Crasso.... amomo.* Amomum, frutex exiguus exquisitis serviens unguentis. Dioscorid. lib. I, cap. 14. Plin. lib. XII, cap. 13. C. et P.

105. *In portam.*] *Porta* Latinis

Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram;
Nil calet hîc: summosque pedes attinge, manusque;

vulgo est porta Urbis; hîc vero est janua domûs. Ad ostium enim admovebatur cadaver, versis in portam pedibus, qui mos antiquissimus, ut patet ex hoc Homeri loco. Iliad. τ:

Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος....

Etiam nunc exstat apud nos. Plin. lib. VII, cap. 8: *ritu naturæ, capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.* Istius autem προθέσεως, seu collocationis et expositionis tempus legitimum trium fuisse dierum innuit Plato in XII leg. Τὰς δὲ προθέσεις πρότερον μὲν μὴ μακρότερον χρόνον ἔνδον γίγνεσθαι τοῦ δηλοῦντος τόν τε οὐ τεθνεῶτα, καὶ τὸν ὄντως τεθνηκότα. Εἴη δ' ἂν σχεδὸν, ὡς τ' ἀνθρώπινα, μέτρον ἔχουσα, τριταία πρὸς τὸ μνῆμα ἐκφορά. C.

106. *Hesterni.... subiere Quirites.*] Patroni sui feretrum novi liberti subiere. Cùm erant plures testamento manumissi, partim lectum gestabant, partim ad latus procedebant, omnes *capite induto*, hoc est, pileati, quod erat signum receptæ nuper libertatis. Interdum tamen viri nobilissimi etiam alieno lecto funebri humeros subjiciebant; ut patet ex Val. Max. lib. IV, cap. 1, de Scipionis Afr. funere et aliis. — *Hesterni Quirites.* Servi recens libertate donati. C.

107. *Tange, miser, venas.*] Jam centurio hircosus adversus philosophum insurgit, et ait: Ita igitur me male sanum et ægrum nuncupas? atque, si tuæ comparationis mentem penitus cepcrim, insanum et stultum, quia tuis philosophis non morem gero? — *Tange, miser, venas, etc.* Lubinus hæc ab adolescente discipulo voluit dici, sed extra sensum, et contra ratiocinandi leges. Alii melius hæc quidem ab eodem centurione, sed quasi poëtæ mentem non intellexisset, et reipsa se ab eo corpore ægrotum vocari credidisset. His non assentior: quippe non eo stoliditatis centurionem devenisse arbitror, ut ita aberrasset. Eum igitur et comparationis scopum sensisse, et eamdem ironice comparationem protulisse conjicio. At, vide totius satiræ eam quam in duobus notis v. 58 et 77 analysim dedimus. — *Miser.* Hic non in eodem, quo vulgo, sensu accipiendum; sed *miser* significat pessimum, impolitum philosophum; vel potius, Gall. *homme à tristes chimeres*, ut recte sensit interp. *Sélis.* A. — *Tange.... venas, et pone, etc.* Explora pulsum, σφυγμὸν arteriæ et cordis motionem. Julian. in Misopog. πρόσαγε τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα. C.

108. *Nil calet hîc.*] Immodicus ibi calor nullus est, adeoque fatendum me non laborare febrî. — *Summosque pedes.* Hoc quoque in arte medicorum, e summarum manuum vel extremorum pedum calore aut frigore judicium de valetudine facere.

Non frigent. Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est, algente catino,
Durum olus, et populi cribro decussa farina;

109. *Visa est si forte pecunia.*] Respondet philosophus. Te valentem ac robustum corpore fateor; te etiam, hac ipsa hora, nullo modo animo laborare: sed numquid semper animo perinde vales? Exploremus igitur; et in te superbo misophilosopho periculum faciamus. Annon aliquando, immo sæpissime, occasione oblatâ, avaritiâ, libidine, mollitie, timore, iracundiâ laboras? verbi causa: *si forte tibi visa est pecunia, etc.* et statim Persius ea vitia supra memorata percurrit, quibus inserviunt facilius qui philosophiæ præceptis non fuerunt illustrati. — *Visa est si forte pecunia.* Objectum movet potentiam, ut aiunt philosophi. P. et A.

110. *Subrisit molle.*] Propert. Risit et arguto quiddam promisit ocello.

111. *Cor tibi rite salit.*] « Cordis, « inquit Casaub. duplex motus, « alter ἀπροαίρετος, alter ἐκ προαι« ρέσεως: prior valetudinis dat in« dicium, posterior affectûs et « voluntatis.... Hinc periti me« dici, non morbos solum cor« poris, sed et perturbationes ani« mi e cordis motu divinant, « quas Philo appellat τῆς ψυχῆς « παλμώδεις νόσους: quod a se « factum sagaciter in Boëthi uxo« re testis Galenus. Nota etiam « Erasistrati medici similis soler« tia in conjiciendo cujus morbi « æger esset Antiochus Seleuci « regis filius. » Sensus igitur est: cùm pecuniæ lucrandæ, aut explendæ libidinis offertur occasio, an rite, et ex ratione ardescis, inhias? — *Positum est algente catino.* Ad frugalitatis periculum faciendum provocat. Quod si, inquit, vilior quis cibus et male conditus tibi apponatur? — *Algente catino.* Veteres ferventibus cibis mirifice delectabantur. Ideo algentem catinum dixit, eo ipso vilitatem apparatûs designans. C.

112. *Durum olus.*] Infra sat. VI, v. 69. — *Et populi cribro decus. far.* Ἄρτος οὐ λιπτῷ κοσκίνῳ σηθεὶς, inquit Galenus. *Populi cribrum* quod Plinius appellat farinarium. Farina non omnino furfure succreta panem facit secundarium, quo plebeii vescuntur; ut quæ cribro subtili sericeo, pollinario decussa fuerit primarium ac candidum. Hæc igitur pro pane secundario vili accipienda. Hic, Casaub. refert Ammiani lepidissimum epigramma quod miserrimam cœnam qualis est ea nunc proposita ita describit:

Ὡς κῆπον τεθυκὼς, δεῖπνον παρέθηκιν Απελλῆς,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα.
Ἦν ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλις, θρίδακες, πράσα, βολβοὶ,

V. 110. *Subrisit.* Cod. noster, *surrisit.*

Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta:
Alges, cùm excussit membris timor albus aristas:
Nunc, face suppositâ, fervescit sanguis, et irâ
Scintillant oculi; dicisque, facisque quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Ὤκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον, ἀσπάραγος.
Δείσας δ' ἐκ τούτων μὴ καὶ χόρτον παραθῇ μοι,
Δειπνήσας θέρμους ἡμιβρεχεῖς ἔφυγον. A.

113. *Tentemus fauces.*] Experiamur, an his contentus fueris? — *Tenero latet ulcus in ore.* Tunc apostema causaberis, quod duriori cibo non sit exasperandum; et mollitiem tuam certe pudendam prodes, et gulosum te ostendes. P. Aliter explicat eruditus vir *Chardon de la Rochette*, cujus nota est: Je ne crois pas que ce soit le sens de ce passage. *On vient de vous servir*, dit le médecin, *des légumes durs et du pain bis. Mais auparavant voyons votre gorge. Oh! j'y aperçois un ulcère en suppuration, qu'il ne convient pas d'excorier avec un légume grossier.* Il me semble que c'est le véritable sens de cette phrase. Videat lector. A.

114. *Quod haud deceat, etc.*] Sed revera quia non te decet esca eadem qua populus uti. Mollitiei argumentum. — *Beta.* Herba nullius pretii et saporis.

115. *Alges, cùm excussit, etc.*] Alius morbus animi, timor. Alges, inquit, hoc est, algere te fingis, ut timorem dissimules. — *Excussit*, pro erexit, ὤρθωσε. Nihil enim aliud est horror quàm erectio pilorum ex contractione cutis. — *Aristas.* Μεταφορικῶς, pilos: nam aristæ proprie sunt aculei spicarum, dictæ quòd cito arescant. C.

116. *Nunc face suppositâ.*] Alias, datâ occasione, velut suppositâ face, ira inflammaris; et dixeras, *nil calet hîc.* — *Fervescit sanguis.* Ira autem vere est fervor sanguinis. Iamblichus in Protreptico: Τὸ ὀξὺ τῆς ψυχῆς, ὅπερ θυμὸν καλοῦμεν, λογισμοῦ καὶ φροντίσεως ἐςέρηται. Ζεῖ γὰρ ὁ θυμὸς ὥσπερ λέβης πυρὶ θαλπόμενος. C.

117. *Scintillant oculi.*] Homerus: Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. Cic. Verr. VII. *Ardebant oculi, et ex toto corpore crudelitas emicabat.* — *Dicisque facisque.* Ergo vos, ô centurio! cæterique huic similes, qui philosophiam respuitis; noscite vos tandem. Si quales sitis hactenus ignoravistis, contemplamini vos in hoc speculo quadriplici: videte vos in prima facie ultra modum exilientes spe lucri et luxuriæ; in secunda molles et delicatulos; in tertia laxos et timidos; in quarta denique iracundos usque ad furorem. Quod si sanari renuitis, ut æger supra dictus, et philosophiam animi medicum repellitis, dicam ego vobis: *pergite*, in profundum vos mergite, *tacebo, discedam.* A.

SATIRAE QUARTAE

ARGUMENTUM.

IN QUARTA STULTUS REX, CENSORESQUE NOTANTUR.

Prima Persii satira fuit in malos ineptosque poëtas scripta, et imprimis in Neronem eorum coryphæum: hâc autem quartâ, politicam principis aggreditur. Porro tres partes sunt satiræ hujus: primâ, reprehendit Neronem, quòd nondum XX annos natus, et tanto impar oneri, quòdque domesticis tantum vitiis clarus, paucis admodum immixtis bonis (nondum enim totus innotuerat Nero), sed inani majorum suorum gloriâ tumens, rempublicam susceperit gubernandam; haud minus, hâc in re, insanus, quàm pannucia Baucis,

Cùm bene discincto cantaverit ocima vernæ

(1—22). Secundâ vero, versibus plane aureis, ostendit fieri non posse, ut vitia cujusque diu lateant, imprimis viri potentis, nec non principis; cùm ita sit a natura comparatum, ut omnes in vitia aliena libenter inquirant, suorum securi: nam,

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto. Sic novimus: ilia subter
Vulnus habes, etc. . . . .

(23—43). Tertiâ tandem, ad Neronem redit, eumque hortatur, ne sibi aliisque fucum faciat; animumque a pessimis adulatoribus avertens, in se descendat, et ipse consideret,

Quàm sit sibi curta supellex,

id est, quàm imparatus sit iis artibus, quarum notitia requiritur ad bene feliciterque rempublicam administrandam (44—52).

Tecte tamen et obiter, sub persona Alcibiadis, Neronem, aliosque depravatissimos juvenes, quos ille in consilium suum

vocaret, Persius tetigit. Eodem consilio, abstinuit ab iis, quæ personam principis essent denotatura; ita ut, si quis maledicens nomen ipsius deferret, probabili excusatione se posset defendere, quasi, exercendi tantum styli causâ, petitum e Platone Alcib. I et II, hoc argumentum esset.

SATIRA IV.

DE MALIS PRINCIPIBUS.

REM populi tractas (barbatum hoc crede magistrum
Dicere sorbitio tollit quem dira cicutæ)!
Quo fretus? Dic, ô magni pupille Pericli!

1. *Rem populi tractas.*] Neronem imperatorem satirico sale defricaturus, quòd ille vix e pueritia egressus, experientiâ atque virtutibus egens, quin immo, jam mollitie et vitiis obrutus, rempublicam gubernare auderet, poëta argumentum sumit ex Platonis dialogo cui titulus Alcibiad. I: inde enim, ut Neroni lateat, materiam omnem atque personas mutuatus est. Ita, per Alcibiadem, Nero intelligendus, per Socratem, vel poëta ipse, vel potius Seneca, Neronis præceptor, qui juvenum rempublicam male capessentium arguit temeritatem et imperitiam. P. — *Rem populi.* Hic, pro rempublicam, ut sæpe in aliis scriptoribus. M. Tull. in lib. de Rep. definit rempublicam esse *rem populi.* Ita Græci dicunt, τὰ τοῦ δήμου πράγματα, et βουλεύεσθαι περὶ τῶν τοῦ δήμου πραγμάτων. C.—*Barbatum... magistrum.* Socrates, sic dictus, et quia barbam alebat, et quia Romani ipsi, cùm majores laudabant, soliti erant dicere *Casci, barbati.* Cic. de Fin. lib. IV. C.

2. *Sorbitio tollit quem, etc.*] Plin. lib. XXV, cap. ult. *Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna invisa, etc.* Hujus succum lethalem ab ingratis civibus jussum Socratem ebibisse testis est omnis antiquitas. P.

3. *Quo fretus?*] Inquit Socrates Alcibiadi, ὅτῳ πιστεύων; hoc est, quâ maxime arte confidens? — *Dic ô, etc.* Dic, ô Alcibiades, qui nullâ re adeo gloriari soles quàm tutelâ Periclis. Similiter in Platone Socrates, postquam varia percurrisset quibus fretus magnifice adeo de se sentiebat Alcibiades, addit: Ξυμπάντων δὲ ὧν εἶπον μείζω οἴει σοι δύναμιν ὑπάρχειν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτρο-

V. 1. *Tractas.* Cod. Mazarineus, *tractans*, facili aberratione scribentis, qui lineam horizontalem imprudens super *as* posuerit. — *Hoc.* Ita codex noster: ita quoque alii codices quos consuluimus, et editt. veteres. Vetus schol. et recentiores, *hæc.* Non male quoque.

V. 2. *Dira.* Cod. Fauchetii, *dura.*

V. 3. *O.* Codex noster, *Ho*: Thuaneus, et cod. 8050, *O*; ita Mazarineus cod. Alii, *hoc.* Priorem lectionem veluti vividiorem et jucundiorem prætulimus.

Scilicet, ingenium, et rerum prudentia velox
Ante pilos venit? dicenda tacendaque calles?
Ergo, ubi commotâ fervet plebecula bile,

που κατέλιπέ σοί τε καὶ τῷ ἀδελφῷ. C. — *Magni.... Pericli.* Pericli, pro *Periclis.* Fuit autem Pericles orator, philosophus et imperator egregius. Atheniensium rempublicam annos quadraginta feliciter administravit. — *Pupille.* Hoc etiam dictum non male contortum in Neronem, quem *Poppæa, incusans per facetias, pupillum vocabat, jussis alienis obnoxium, non modo imperii, sed libertatis indigentem;* ut cui dominaretur Agrippina mater, tutores autem essent Burrhus et Seneca. Corn. Tacit. Ann. XIV, in principio libri. P.

4. *Scilicet.*] Scilicet particula ironiæ aptissima. Ita enim hic versus et novem sequentes ironice sunt legendi. A. — *Scilicet, ingenium, et rerum prudentia.* Socrates Alcibiadi: Ὦ σὺ ἄρα ἐπίστασθαι καὶ παῖς ὢν τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα. Nempe, ex opinione ipsius Alcibiadis. Persius vero duobus his versibus aliquot paginas complexus est, quibus disputat Socrates apud Platonem. C. — *Ingenium.* Illa vis animi supra vulgum elata, quâ perpauci homines magna concipiunt, atque perficiunt. Porro, in reipublicæ administratione, plurimum valet ingenium. A. — *Rerum prudentia.* Platoni et Aristoteli πολιτικὴ dicitur ἁπλῶς, et sæpe πολιτικὴ τέχνη, vel δύναμις et ἐπιστήμη. Hæc est virtus quæ proprie convenit magistratibus, atque cum ingenio jungitur interdum. C. et A.

5. *Ante pilos venit.*] Alcibiadi viginti tantum anni erant, cùm rem populi tractare cœpit, Nero nondum attigerat decimum septimum: merito igitur poëta dubitat, an *ingenium* et *prudentia* ad tantum munus sustinendum eis ante pilos venerint. A. — *Dicenda tacendaque calles.* Ab uno prudentiæ membro, et quidem præcipuo, totam designat. Est enim prudentiæ habitus per quem utilia eligimus, damnosa rejicimus. Quid autem utilius, quàm nonnulla et apte et opportune loqui, nonnulla autem, quibus arcano opus sit, tacere, et intra se retinere, donec eventus incœptum probet? C. et A.

6. *Ergo ubi commota fervet, etc.*] Quoniam tu tibi tantum arrogas, periculum faciamus tuæ solertiæ. Scilicet, in medio plebeculæ tumultuantis et in seditionem versæ, cum majestate tua, quâ te præditum jactas, progredieris, et silentium imperabis, huic plane similis, de quo Virgil. Aeneid. lib. I, v. 148:

Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus:

V. 6. *Ergo ubi commota fervet, etc.* Ita codd. nostri et editt. *Le Monnier* solus, *ergo cùm mota fervet.* Cur? nescio.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ,
Majestate manûs: quid deinde loquêre? Quirites,
Hoc, puto, non justum est; illud male, rectius illud.
Scis etenim justum geminâ suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter

Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexêre, silent, arrectisque auribus astant.
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet. P. et A.

— *Plebecula*, dixit de tumultuantibus et seditiosis, verbo exprimens quod Demosthenes pluribus: Ὁ δῆμος, ait, ἐςὶν ὄχλος ἀςαθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων καὶ ἀσυνετώτατον. — *Bile.* Bilem pro ira positam jam vidimus. C.

7. *Fert animus.*] Non, mens est tibi, ut ap. Ov. *in nova fert animus;* sed, hoc loco, significat: eam habes fiduciam tui, ut te posse præstare speres? — *Calidæ.* Fervido et irâ inflammato populo. L. — *Fecisse silentia.... majestate manûs.* Sic Lucanus, lib. I, de Julio Cæsare:

. . . . Tumultum
Composuit vultu, dextrâque silentia jussit.

Ita quoque Ammian. lib, XXVI: *Immaniter strepente exercitu, eùm cieri tumultus violentior appareret, Valentinianus, elatâ prosperè dextrâ, ut princeps fiduciâ plenus, ausus increpare quosdam, ut seditiosos et pertinaces.* P.

8. *Majestate manûs.*] « Oratorum « hic mos erat, inquit Casaub. et « aliorum qui populum alloquebantur, ut, manu porrectâ, au« dientiam facerent: quod Græci « dicunt ἡσυχάζειν et κατασιγάζειν « τὸν λέων τῇ χειρὶ, vel κατασέλλειν. « Sic in Act. Apost. D. Paulus « verba facturus dicitur ἐκτεῖναι « τὴν χεῖρα, et κατασείειν τῇ χειρί. « Quod patet ex Herodian. et « Xiphil. in Hadrian. — *Quid deinde « loquere?* At, facto silentio, jam experiamur quam orationem aptam et idoneam sis habiturus. — — *Quirites*, pro *cives*. Hoc verbo innuit a se carpi Neronem populo Romano loquentem. P.

9. *Hoc puto.*] Scil. inquies.

10. *Scis etenim, etc.*] Ironiam producit. His versibus autem verum politicum describit, ut arroganti juveni ostenderet, quantum ab eo abesset. Fuse hæc tractantur a Socrate apud Platonem. C.

11. *Rectum discernis, ubi inter curva subit.*] Ἀγχιθύρους, ait Basil. in Asceticis, φασὶ καὶ Ἕλληνες τὰς κακίας εἶναι ταῖς ἀρεταῖς; quia vir-

V. 9. *Puto.* Codices Colbertini duo, cod. Pithoei, duo alii, *puta.* Noster cod. et antiquiores, *puto*, melius.

V. 10. *Etenim.* Codd. nonnulli, inter quos Thuaneus, *etiam.*

Curva subit, vel cùm fallit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere thêta.
Quin tu igitur, summâ nequicquam pelle decorus,

tus in medio consistit duorum vitiorum; ut sæpe obscura et difficilis sit ejus agnitio. Ita interpretes: melius, nostro judicio, doctus Eq. *Croft*, jam cit. « Male « Juvencius in interpretat. sua: « *inter curva et vitiosa latet;* et in « notis: *inter eurva, id est, inter* « *injusta et iniqua: virtus enim est in* « *medio duorum vitiorum.* Verbum « *inter* hic non spectat ad duas res; « non vim habet verbi gallici *entre.* « *Inter curva* dicit, *apud eurva, in* « *medio curvorum,* malorum. Latini « obliti sæpe sunt sensùs verbi « *inter*, ut Galli verbi *entre.* » Malim referri *inter* ad *rectum.* F. D.

12. *Vel cùm fallit pede regula varo.*] Vel cum regula ob necessarias exceptiones, fit *vara.* Omnia prævidere lex non potuit. Judex ergo aut magistratus silentium ejus ex conscientia sua et naturali lege interpretetur oportet: præterea, aliæ sunt occasiones quibus regula (norma, γνώμων) se incurvari et obliquari patitur; quod, cùm per se vitiosum sit, tamen aliquando merum jus est: ideo bene dictum, *summum jus, summa injuria.* — *Pes varus* proprie appellatur incurvus: inde lex *vara*, regula *vara*, quæ se incurvari patitur, quippe cui aliquid desit, vel cui, propter obscuritatem, interpretatione opus sit. C. et A.

13. *Et potis es.*] Scis æque noxios condemnare, et innocentes defendere. — *Nigrum.... thêta.* Vet. schol. « Judices litteram *thêta* apponunt ad eorum nomina, quos « supplicio afficiunt. Merito θῆτα, « ἀπὸ τοῦ θάνατος, eo quòd quasi « habeat telum suum, ideoque « triste intelligitur, vel mortis « signum. Unde quidam ait:

O multum ante alias infelix littera thêta! »

14. *Quin tu igitur.*] Hactenus ironice locutus est; nunc aperte agit. Quando hæc quæ dixi nescis, cur tractare rempublicam et boni principis facta dictaque affectare tentas? Desine populo verba dare. Adversus hanc notam, vel similem in interpret. Gall. abbatis *Le Monnier*, *Diderot* surgit, dicens: « Cette note est fausse. Socrate fait « un enthymême bien simple: il dit

V. 13. *Et potis es nigrum*, etc. Post hunc versum, in cod. Thuaneo inseritur;

O multum ante alias infelix littera theta;

in cod. Pithoei, hæc glossa additur: *i. illam literam quæ signat dampnationem: unde et Sidon. loquitur sic:*

O multum ante alias infelix litera theta.

Hic versus insulsus non est certe Persii, neque Sidon. Apoll. sed ex glossa irrepsit in textum: et est imitatio Virgiliana, Aeneid. III, 321:

O felix una ante alias Priameia virgo.

Ante diem, blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? Unctâ vixisse patellâ
Semper, et assiduo curata cuticula sole.

« à Alcibiade: si vous savez toutes « ces choses, pourquoi donc ne « cessez-vous pas de flatter la po- « pulace? » A.—*Summâ.... pelle decorus.* Hæc utrique Alcibiadi et Neroni conveniunt. Alcibiadi, κατὰ τὸ ῥητὸν, qui formâ excellebat, necessariâ eruditione destitutus; Neroni, κατὰ τὴν διάνοιαν, qui speciosâ reipublicæ administratione, bonitatem simulabat, cùm esset interiore vitâ fœdissimus. Ita *Casaub.*

15. *Ante diem, blando, etc.*] Hæc quoque ad Alcibiadem et Neronem spectant. Ad Alcibiadem sic: cur non mutas consilium, et priusquam populi gratiam vanis artibus et populari jactatione colligere studeas, discis illa quæ nescire convictus es, cùm sint politico necessaria? Ad Neronem: cùm sis tibi conscius ignorantiæ tuæ, cur non desinis venditare te apud senatum et populum, quasi optimus esses princeps? Quin tu igitur desinis, et exspectas donec sapientûm præceptis institutus, rerum causas et principia habeas nota? C. — *Caudam jactare.* Publice laudanda facere, qualia narrant de Nerone in principio administrationis suæ; et speciosis factis venditare se apud populum, ad benevolentiam ejus captandam. Hoc ductum a canibus qui domino adulantes caudam agitant.—*Blando.... popello.* Qui tibi nunc blanditur, mox paratus mordere te ac perdere, si quid offenderis. C. — *Popello.* Diminutivum, a *populo.*

16. *Melior sorbere.*] Hellenismus Persio familiaris: id est, aptior regi quàm alios regere. Tu igitur potius vitia tua purgare, quàm alios regere, deberes.—*Anticyras... meracas.* Elleborum. Horat. II, 2:

Expulit elleboro morbum bilemque
meraco.

Vid. Juven. sat. XIII, v. 97. P.

17. *Quæ tibi summa boni?*] Dic, quæso, tu qui te dignum imperio putas, quem tibi fingis ultimum finem? quod summum hominis bonum videtur? — *Unctâ vixisse patellâ.* Nempe voluptas tibi summum hominis bonum videtur, et vivere *unctâ patellâ*, scil. lautis et delicatis cibis quæ patellâ continentur. L.

18. *Et assiduo, etc.*] Tangit libidines et probrosam corporis curam, de qua mox plura dicturus. — *Curata cuticula sole.* In sole apricari, cuticulam curare, atque insolare. Nempe in deliciis habebant veteres, hyeme ad ignem, æstate ad solem oleo corpus inungere, quo facilius illud imbiberet, eoque robustum ac nitidum fieret. Martialis, lib. X, epig. 12:

I, precor; et totos avidâ cute combibe
soles.
Quàm formosus eris! . . . . P.

Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. I, nunc:
Dinomaches ego sum. Suffla. Sum candidus. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,

19. *Exspecta.*] Exspecta, et attende parumper, inquit poëta: interrogemus hanc vetulam pannuceam olitricem transeuntem; et ab ea quæramus, quid optimum in vita judicet? idem ac tu respondebit: scil. summum bonum in deliciis mensæ et corporis curatione situm. « Poteratne, ad« dit Casaub. magis fastum retun« dere insolentis juvenis, quàm « cùm illum assimilat aniculæ, et « pannuceæ olitrici comparat. »— *I, nunc, etc.* Perge (*Poursuivez, allez toujours, et dites-nous avec emphase: Dinomaches ego sum*), post tale probrum generis tui, nobilitatem ostenta, et corporis formam: *esto*, si lubet, dum mihi concedas te plus sapientiæ non habere, quàm quælibet anus imperita et vesana. P.

20. *Dinomaches ego sum.*] Alcibiades, inquit Plutarch. maternam originem ducebat ab Alcmeonide, quem ex Dinomacha genitum aiunt. Ita Persius originem Alcibiadis repetendo a feminis, oblique nec minus satirice Neronem designat, ex Julia gente oriundum ab Agrippina matre, cui præterea debebat imperium. —*Suffla.* Idem ac supra, sat. III, v. 27, *pulmonem rumpere ventis.* Gall. *s'enfler, crever d'orgueil.* — *Sum candidus.* Erat Alcibiades, etiam Apollinis judicio, Græcorum formosissimus, κάλλιστός τε καὶ μέγιστος, inquit Socrates. Itaque ad ejus formam opera sua exigebant statuarii, quoties pulchritudinem exprimere volebant. Non ita certe formosus Nero: quin immo, ignobili fuisse figurâ ex statuis quæ supersunt et nummis videtur; etsi tamen de eo Suet. Nero, cap. 51: *Erat vultu pulchro magis quàm venusto.* Cæterum, hæc quoque Neroni possunt convenire: nam, non ait *formosus sum*, sed *candidus;* quod ad oris colorem spectat, qui in eo, ut in Alcibiade, albus esse potuerit. A.

21. *Esto: dum ne deterius sapiat, etc.*] Scilicet, *candidus* et nobilis, quid hoc solum ad bene imperandum, si in cæteris *non deterius* ac tu *sapiat* vetula *Baucis*, æque ac tu sapiens sit; vel etiam tu non magis quàm illa sapias? — *Baucis.* Anus paupercula cujus meminit Ovid. Metamorph. VIII. Hoc loco, ponitur pro quavis abjecta et vili muliercula. P. — *Pannucea* Pannis obsita et annorum numero; vel potius, quæ panem et olera in foro vendit. A.

V. 20. *Dinomaches ego sum. Sum* vacat in nostro codice.

V. 21. *Ne. Non* pro *ne*, cod. noster. — *Pannucea.* Cod. noster et multi alii, *pannutia*, vel *pannucia* Item edit. vet. Britan. et Aldina, 1535.

Cùm bene discincto cantaverit ocima vernæ.

22. *Cantaverit ocima.*] Ita Casaub. « Mulierculæ quas diximus, solent inter se, et cum obviis quibusque certare maledictis et conviciis,... Quid turpius, quid personâ alicujus honestatis indignius, quàm in foro convitiis et malis dictis cum quoquam certare? Quare Latinus hìc Socrates, ut in fibra abjectissimos dejiceret suum illum ferocem juvenem, non solum aniculæ eum comparat, sed aniculæ pannuceæ, cujusmodi sunt quæ panem aut olera vendunt in foro; et hoc amplius aniculæ conviciatrici. Mira δείνωσις ingeniosissimi poëtæ. *Cantare ocima vernæ*, poëtice dictum, pro dicere atque ingerere servulo opprobria, et ea quæ solent cantari cum *ocima* seruntur: hoc est, maledicta. Plin. lib. XIX, cap. 7. *Nihil ocimo fœcundius: cùm maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat.* » Quæ ratio explicandi nobis dura et aliena videtur. Non melior aut clarior Turnebi Advers. lib. XV, cap. 3, et XXX, cap. 8, interpretatio. Alii vero, quibus assentimur, sic simpliciter intelligunt: cùm illa scil. mulier olerum venditrix, *ocima* sua, id est, olera sua, herbasque olentes et hortenses, clarâ voce, ementibus quasi occinit, et cum clamore ad olus emendum servos invitat. Porro homines et mulieres per vias communia, vilia venditantes, clamore uti rauco cantui simillimo quis ignorat? Huic nostræ interpretationi non repugnat abbas *Le Monnier*, cujus nota hæc est (p. 118): « Si on traduisait tout simplement, *lorsqu'elle a bien chanté aux oreilles d'un esclave libertin, mon beau basilic*, le sens paraîtrait aussi vif, autant dans le génie de l'auteur, et renfermerait les mêmes traits satiriques. La vieille qui vante son basilic, serait Alcibiade qui se glorifie de sa naissance et de sa beauté; et l'esclave débauché serait le peuple asservi, qui négligeait les arts honnêtes pour suivre les jeux, et qui demandait seulement *panem et Circenses.* » Nihil, meo judicio, melius hac explicatione. Ei tamen adversatur *Diderot*, dicens : la vieille ressemble bien à Alcibiade. Mêmes principes sur le bonheur, même justesse de raison dans les invectives qu'elle adresse à l'esclave dissolu, qui les mérite, et qui ressemble au peuple. Ainsi (addit idem), vous ne savez pas plus que cette vieille en quoi consiste le bonheur, quoique vous sachiez aussi bien qu'elle invectiver, elle l'esclave dissolu, vous le peuple corrompu, et qu'en cela vous ayez raison l'un et l'autre. Casauboni et Dideroti interpretationes non perspicuitate præstant: quapropter, ad nostram redea-

V. 22. *Ocima.* Codd. pars maxima, *ozima*, vitiose. Cod. noster, *ocima*, bene: Græcis enim dicitur ὤκιμον; unde scribendum, *ocima*, non *ocyma*.

Ut nemo in sese tentat descendere! Nemo!

mus oportet. — *Ocima.* Ocimum herba odorifera satis nota, quam Græci βασιλικὸν vocant, et Galli *basilic.* Hic, speciem posuit pro genere; nempe herbas olentes, olera. — *Bene discincto.... vernæ.* Vernæ olim servi domi ex ancilla nati, ut vidimus apud Juven. sat. IX, 10, et dicaces et protervi etiam erant: unde, hoc loco, *discinctus verna*: nam discinctus dicebatur qui dissolutis moribus vivebat. Vid. supr. *Non pudet ad morem discincti vivere nattæ.* A.

23. *Ut nemo in sese tentat descendere!*] Est, hoc loco, inquit Casaub. digressio quædam ab instituta insolentis juvenis increpatione; cujus digressionis scopus peti debet ab ultimis verbis illis, *sic novimus, etc.* Ita, ex Casauboni sententia, is erit ordo et sensus: *nemo in sese tentat descendere; sed præcedenti spectatur mantica tergo.* (Id confirmat exemplo), verbi gratiâ, si quæsieris: nostine Vectidi prædia? Cujus, inquit quem interrogas? illius, respondes, ditissimi qui, etc. *Hunc, ais, hunc,* exclamat, Diis iratis genitum, qui, etc. (Sequitur egregia descriptio avari hominis et sordidi ab eodem.).... *At tu,* (poëta nunc loquitur) si unctus cesses, et figas in cute solem, id est, si delicate ac molliter vivas, erit prope te ignotus, qui in dissolutos tuos mores invehetur (sequitur a versu 35 usque ad 42 luxuriosi descriptio a poëta). Ex hoc exemplo infert poëta: *cædimus* (v. 43), *inque vicem præbemus crura sagittis,* alios carpimus, et vicissim ab iis carpimur: *vivitur hoc pacto,* sic se habet mundus, *ainsi va le monde.* Sic, ô Alcibiades, vel potius, ô Nero, *te novimus* (v. 43); hâc arte scilicet, hoc amore cæco, quoquisque sua vitia amplectitur, atque, hâc nefariâ curiositate, quâ quisque aliorum vitia inspicit, et malignitate quâ vel tecta detegit, te, quanquam summâ sis pelle decorus, quanquam vanâ verborum affectatione nobis hodie fucum facere tentes, te, inquam, novimus; *ilia subter vulnus cæcum habes, etc.*... Huic explicationi, nostro qualicumque judicio, contortum quiddam videtur. Hæc Casauboni digressio sermonem impedit; nec adeo necessaria est novarum personarum introductio, quin, eâ omissâ, sermo æque fluat. Ita nostram nunc explicationem, quæ sic se habet, proponemus: ut nemo tentat in se descendere! sed, etc. si quis, ô Alcibiades, te interrogaverit: *nostin' Vectidî prædia? cujus,* inquis? *Divitis,* istius, respondet alter, *qui arat Curibus,* etc. *hujus* exclamas, *hujus* qui, etc. et statim in Vectidi avaritiam inveheris: at tu, qui alios tam maligne describis, *si unctus cesses,* si delicatule et luxuriose vivas; *est prope te ignotus, cubito qui te tangat,* et te pariter mollem et effeminatum describat.... *Cædimus inque vicem, etc. Vivitur hoc pacto. Sic,* hâc arte, ô Alcibiades (ô Nero), *te novimus; etc.... On bat son*

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris : nostin' Vectidî prædia? Cujus?
Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat.
Hunc ais? hunc, Dîs iratis, Genioque sinistro,
Qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit,

voisin, on en est battu à son tour; c'est ainsi que l'on apprend à se connaître les uns les autres; c'est ainsi, ô Néron! que nous te connaîtrons malgré les beaux dehors dont tu te pares maintenant. A. — *Ut nemo in sese tentat descendere!* Epanalepsis, indignationem et admirationem indicans. Virg. eclog. VIII :

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

In sese descendere. Se ipsum penitus introspicere et examinare; atque, ut est in fine hujus satiræ, *secum habitare :* juxta illud præceptum oraculi Delphici ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. L. — *Nemo!* Bene et emphatice repetitur, *nemo!*

24. *Præcedenti spectatur mantica tergo.*] Id est, considerantur aliena vitia, quæ sunt in mantica, post tergum ejus qui præcedit nos. Ex apologo Aesopi, satis noto, illud desumptum videtur. Hanc Persii sententiam ita expressit noster *La Fontaine :*

On se voit d'un autre œil qu'on ne voit son prochain.
Le fabricateur souverain
Nous créa besaciers tous de même manière,
Tant ceux du temps passé, que du temps d'aujourd'hui.
Il fit pour nos défauts la poche de derriere,
Et celle de devant pour les défauts d'autrui. A.

25. *Vectidî.*] In sat. Juven. XI, v. 22. de Ventidio quodam sermo est, sed, ut de homine divite et generoso; hoc loco contra, avarus designatur : ita, *Vectidius* et *Ventidius* non iidem fuisse videntur. A.

26. *Curibus.*] *Cures*, urbs Sabinorum olim primaria, Numæ Pompilii patria. — *Quantum non milvus oberrat.* Hyperbolicum adagium : *quantum milvi volant.* Juven. sat. IX, v. 55 :

..... Milvos intra tua pascua lassos. P.

27. *Hunc, Dîs iratis.*] Subaudi *genitum.* — *Genioque sinistro.* Adverso et contrario, quippe ille semetipsum defraudat suis, et inter opes miser est. De Genio vide sup. sat. II, v. 3.

28. *Qui quandoque, etc.*] Egre-

V. 25. *Quæsieris.* Ita codd. omnes. Malim *quæsierit.* — *Vectidî.* Codd. nonnulli, *vectidis*, male.

V. 26. *Oberrat.* Ita codd. Putean. Thuan. Mazarin. Colb. II, Pithoei, noster cod. et tres alii. Cæteri omnes, *oberret*, vet. schol. et editiones Aldinæ, et post hos editt. recentiores.

Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, hoc bene sit, tunicatum cum sale mordens

gia hominis avari descriptio ex adjunctis. Is, inquit, cùm alii Genio indulgent, suum defraudat. P. — *Quandoque*, pro quandocumque. — *Jugum pertusa ad compita figit*. Hæc certe indicant cessationem operis rustici. Tum vero jugum suspenditur, agricolæ sacra peragunt, et bilarius convivia celebrant; quod patet ex Tibullo, lib. II, eclog. 1:

Luce sacrâ, requiescit humus, requiescit arator,
Et grave, suspenso vomere, cessat opus.

Sed, juga ad compita reponere; cur? aut non suo quæque loco, ubi servari solent et baberi quando non occupantur? Hunc morem se ignorare ingenue fatetur Casaubonus. Prateus ita explicat: quandocumque figit juga (domi scilicet), *ad compita pertusa*, id est, ad compitalia festa peragenda. *Pertusa*, addit idem, designat tantum solere compitalia celebrari in locis perviis et frequentatis, adeoque in compitis. Hæc interpretatio dura nobis videtur, nec ullâ auctoritate confirmata. Ita demnm vet. schol. « Compita « sunt loca in qnadriviis, quasi « turres, ubi sacrificia, finitâ « agricnltnrâ, rustici celebrabant. « Merito *pertusa*, quia per omnes « quatuor partes pateant, vel ve« tusta: vel compita non solum « sunt in Urbe loca, sed etiam « viæ publicæ ac diverticula ali« quorum confinium, ubi ædi« culæ consecrantur patentes. In « his juga fracta ab agricolis po« nuntur, emeriti et elaborati « operis indicium. » Quæquidem explicatio ab interprete pene coævo gennina magis nobis videtur. Cæterum, istæ ædiculæ de quibus vet. schol. loquitur eædem esse videntur ac *Jani pervii*, quornm *Montfaucon*, Antiquité Expliquée, T. III, figuram nobis exhibet. A.

29. *Seriolæ veterem.*] *Seriola*, diminutivum a *seria*. Vid. snpra, sat. II, v. 11. — *Deradere limum.* Limum vocat picem; hâc enim linebant dolia et serias: inde serias relinere, et, contra, *deradere limum.* Sic Casaub. Attamen, hoc verbo *limum*, videtur non solum pice serias et dolia linisse veteres; sed et argillâ quoque et limo. A.

30. *Ingemit, hoc bene sit.*] Ob avaritiam, tanquam rem magni snmptûs faciat, tristi voce illud solemne pronuntiat: *hoc bene sit.* Verba solemnia et deprecatoria antiquis usurpari solitâ in magnis susceptis. Pariter et in conviviis

V. 29. *Vetcrem.* Cod. Pithoei, *veteris*, non male qnoqne. Noster cod. et alii, *veterem.* Edit. vet. Britan. et Aldina, *veteris.*

V. 30. *Sit. Fit* pro *sit* habet cod. Thuaneus, facili aberratione scribentis *f* pro *s*.

Cœpe, et farratâ, pueris plaudentibus, ollâ,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti?
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre

ita se invicem ad hilaritatem et ad bibendum invitabant. Plautus in Sticho, scen. XIII:

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene
Nostram etiam Stephanium. P.

— *Tunicat. cum sale mordens cæpe.* Cæpe comedit, ne tunicis quidem rudioribus et involucris purgatum.

31. *Farratâ.... ollâ.*] Id est, *mordens cæpe tunic.* cum sale et olla farrata, *pueris plaudentibus*, lætantibus. — *Olla farrata.* Farre multo, seu pulte ex frumento confecta, *un chaudron plein de grosse bouillie.* A. — *Pueris plaudentibus.* Magna emphasis est in illis, *pueris plaudentibus*: hoc est, lætantibus, et pro magnis lautitiis habentibus, quòd pultis offâ satiarentur, et quidem die festo. C.

32. *Pannosam fæcem.*] « Ista sunt « vere Persiana, inquit Casaub. « hoc est, ἐμφατικώτατα. Non bi« bit vinum, sed *acetum*, id est, « οἶνον τρυγίαν, vappam aut pos« cam.... Hic deparcus non solum « bibit acetum; sed acetum *mo« riens*, jam deficiens et ipsâ ve« tustate corruptum: immo, ne « acetum quidem, sed aceti *fæcem*, « istam quoque *pannosam*, id est, « ὑπὸ παλαιότητος. »

33. *At si unctus cesses.*] Ergo tu, qui tam diserte alios carpsisti, cave ne vicissim vapules. Enimvero, si cuticulam otiose curans, unguentis etiam pretiosis te perfundens, ignaviæ primum, deinde flagitiis et nefandæ libidini operam das, quid de te dicetur? P. — *Et figas in cute solem.* Ut supra:

Et assiduo curata cuticula sole.

Ista autem insolatio, ἡλιώσις, ἡλιοκαΐα, quæ a medicis et gymnastis præcipiebatur, acquirendæ corpori siccitatis causâ, nihil in se vituperandum habebat; sed, fuit alia lascivorum hominum insolatio, quando nudi ad solem expositi, operam dabant dropacistis, qui inhonestas partes corporis depilabant. Hæc est cura cutis ad solem, quam hîc exagitat Persius, ut et insolationes apud chromatiarios eorum qui colorem de industria sibi infuscabant. C.

34. *Est prope te ignotus, etc.*] Si turpiter vivas, aderit quidam, quem non nôris, sed qui te probe nôrit, tuamque adeo vitam occultasque libidines expromet. — *Cubito tangere.* Ἀγκῶνι νύττειν: hîc

V. 31. *Farratâ.... ollâ.* Ita vet. schol. et tres codices. Alii, et cod. noster, *farratam.... ollam;* ut sit ordo: sorbet farratam ollam, et fæcem morientis aceti. Ita edit. vet. Britan. Aldina, et editores permulti.

V. 32. *Pannosam fæcem.* Cod. noster, *pallentemque fecem.* Sed hoc verbum *pallentem*, glossam redolet.

Despuat in mores; penemque, arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cùm maxillis balanatum gausape pectas,

figurate accipiendum pro reprehendere, quamvis tacitâ cogitatione. — *Et acre despuat in mores.* qui abominans tuos mores hæc dicat de te quæ sequuntur. « Tò « *despuat*, inquit Casaub. duorum « verborum locum obtinet, ut « passim καταπτύειν, pro κατα- « πτύοντα βλασφημεῖν : quid autem « iste dicet? nempe impudicum « te esse et pathicum, καὶ τὴν « ὥραν πᾶσι τοῖς τυχοῦσι χαρίζεσθαι, « καὶ τὰ γυναικῶν παθεῖν. »

35. *Penemque, etc.*] Ostendet te runcantem. — *Et arcana lumbi, etc.* Natium arcana, et pudendas partes, τὸν ὄῤῥον ξυρούμενον.

36. *Runcantem.*] Pilos inde stirpitus evellentem, ut amatoribus tuis lævis, glaber et imberbis pusio videaris. *Runcari* enim significat proprie herbas inutiles, et frutices noxios evellere ex agro. — *Marcentes.* Illo horrendo concubitu putridas et contabescentes. — *Pandere.* Abutendas offerre multitudini. — *Vulvas.* Podicem et anum tanquam vulvas et membra muliebria. *Lub.*

37. *Tu cùm, etc.*] Sunt verba ejusdem reprehensoris et vitia Neronis detegentis. Tu cùm capillos unguentis et myrobolano nutris; cur pudenda depilas? quasi dicat : cùm natura te virum fecit, quare te ipsum effeminasti. — *Maxillis.* Dentato instar maxillarum pectine. Sic Græci poëtæ, κτένα ὀδοντωτήν. — *Balanatum gausape.* Eleganter capitis comam appellat *gausape;* quod fuit genus vestis crassæ et villis hirtæ. Quare etiam ad usus balinearum translata sunt gausapa. C. — *Balanatum.* Perfusum ac delibutum unguento balanino, seu e balano. Balanus autem est glans, seu fructus arbusculi non absimilis nuci avellanæ, unde fiebat exquisitum unguentum et oleum. Pl. lib. XXIII, cap. 4 et 5. Hor. lib. III, od. 29. P. Merito damnat Casaub. eos qui hæc de barba accipiunt, dicens, eosdem plus quàm toto cœlo et viâ totâ errare : nam, et id omnibus nummorum signorumque scientiæ peritis notum est, scil. Græcos, temporibus Alcibiadis, et Romanos, ab ævo Scipionis Africani usque ad Hadriani et M. Antonini ætatem, pariter barbam tondere, nec alere solitos. Frustra interp. *Sélis* Alcibiadis signum in Gronovio relatum, et Neronem Musæi Farnesiensis in exemplum barbæ nobis affert : quippe quibus levissima tantum circa genas exstet barba, vel potius lanugo, qualis est, quæ ante barbam nascitur, qualisque convenit Alcibiadi et Neroni adolescentibus. Porro, nec ea lanugo similis est

V. 35. *In mores.* Thuaneus, Mazarin. Fauchet. et duo alii codd. *hi mores :* male.

Inguinibus quare detonsis gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe aduncâ,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto. Sic novimus. Ilia subter

gausapi villis horrido, nec ei pectinibus, nec unguentis opus est: quamobrem ad comam semitonsam, ideoque horrentem, rigidam et gausapi similem ea verba sunt referenda. A. — Malim hæc simpliciter intelligi de veste villis hirtâ, quâ utebantur Rom. in balneis, quamque maxillis pectabant, et unguentis perfundebant. Inter has tam diversas sententias eligat lector. F. D.

38. *Gurgulio.*] Proprie caruncula illa, vel columella quæ in fine palati inter tonsillas dependet (Gall. *la luette*): significat etiam curculionem, vermem frumentis inimicum, se contrahentem pariter et extendentem: inde Persius metaphorice sic vocat membrum virile, mentulam. L.

39. *Quinque palæstritæ, etc.*] Ironia amaritudinis plena. Frustra, inquit, operam impendis. Quamvis enim vel quinque robustissimi palæstritæ et athletæ, vel potius δρωπακισαὶ ἐῤῥωμενέςατοι, καὶ τῆς ἑαυτῶν τέχνης τὰ πρῶτα, pubis et mentulæ plantaria purgent, ibique pilos et setas tanquam herbas inutiles evellere tentent; non tamen illi pili, quemadmodum filix in agro quæ aratro mansuescit, penitus extirpabuntur et eradicabuntur. — *Palæstritæ.* Vulgo in palæstra exercitati athletæ, hoc loco, δρωπακισαὶ possunt intelligi quibus pilos evellendi cura erat in balneis. — *Plantaria.* Τὰς τρίχας. C. et L.

40. *Elixasque nates.*] Nates tuas assiduis balneis pene elixas, coctas. — *Labefactent.* Dolore afficiant; et pilis spolient. L.

41. *Non tamen ista filix, etc.*] Vera filix aratro mansuescit, id est, penitus extirpata sinit se vinci; ea vero de qua sentit ἀλληγορικῶς, *nullo mansuescit aratro.* C.

42. *Cædimus, inque vicem, etc.*] Hic poëta propositum absolvit. Omnes in aliorum vitam inquirimus et flagitia aliena reprehendimus; et inde præbemus aliis ansam nostra vellicandi, quod lubenter faciunt. Horat. II, 2:

Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem.

Hujusmodi igitur λογοποιΐαις, alii aliorum probra publicamus. C. et L.

43. *Vivitur hoc pacto.*] Scil. ut notemus et vicissim notemur. —

V. 38. *Detonsis.* Ita cod. noster et tres alii. Cæteri, *detonsus.* Elegantior nostra videtur lectio. — *Gurgulio.* Ita codd. ed. vet. Britan. *curgulio* pro *curculio*, quæ forte erat genuina lectio.

Cæcum vulnus habes; sed lato balteus auro
Prætegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam? Viso si palles, improbe, nummo,

Sic novimus. Hac igitur ratione, interiorem vitam tuam, ô Nero, cognovimus, et flagitia tua, quamvis adhuc a te dissimulata, habemus nota. L.

44. *Cæcum vulnus habes (ilia subter).*] Jam tibi conscius es multarum libidinum, pluriumque scelerum a te clam perpetratorum. — *Sed lato balteus auro prætegit.* Sed flagitia quæ patrantur a te quotidie propter potentiam tuam abscondere te posse confidis, nemine audente, aut in illa inquirere, aut de iis loqui. « Alludit, inquit Casaub. ad ictus « quos acceperat noctu per Ur- « bem petulantissime vagans, ut « scribunt Suet. cap 26, et Tacit. « Ann. lib. XIII: hic vero etiam « addit, vulneris cicatrices ore « prætulisse. » — *Balteus.* Cingulum militare e corio bibulo, e quo arma dependent. Metaphorice, pro dignitate et potentia. Lati autem erant veterum baltei.

45. *Ut mavis, da verba.*] Ergo impone aliis quantum libuerit, immo et tibi. Te sanum, et ad omnia valentem et crede et jacta. — *Et decipe nervos, si potes.* Vires etiam tuas imperio ferendo pares æstima, et, si tamen potes, ultricem conscientiam falle, similis certe iis qui nervorum infirmitate laborantes sanos tamen et Κρότωνος ὑγιεστέρους se fingunt, quo liberius et Baccho et Veneri serviant. Horat. lib. I, epist. 16:

Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus mors incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

— *Si potes.* Recte. Atqui non poteris diu aliis verba dare, tandemque hujus dementiæ tuæ meritas lues pœnas: quod etiam evenit.

46. *Egregium cùm me vicinia dicat, non credam?*] Objectio Neronis, quam statim poëta diluit. Dum adhuc laterent Neronis flagitia, non pauci illum laudabant, inter quos etiam et Burrhus et Seneca: sed hi eâ solum mente, ut perditissimum juvenem a publica infamia vindicarent, si possent; cæteri vero principi sine more ac pudore assentiebantur: quare, non sine causa, hæc pars a Persio addita, ut ab alienis assentatoribus ad suam ipsius conscientiam revocaret. C.

47. *Viso si palles, improbe, num-*

V. 44. *Prætegit.* Cod. Thuaneus et noster, *prôtegit*, minus bene. Alii, *prætegit*, seu, per compendium, *ptegit.*

V. 47. *Non.* Cod. Thuaneus, *nunc;* male, et sine sensu.

Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si Puteal multâ cautus vibice flagellas;

mo.] Responsio Persii. Non avaritiam Neronis hîc proprie tangit, quo ille princeps vitio minime tenebatur; sed ejus aviditatem in rapiendo et spoliando bonis omnibus cives, quo libentius insanis largitionibus suis ac libidinibus indulgeret: profusis enim hominibus eadem ac avaris argenti sitis; his quo plus in arca recondant, illis quo plus effundant. Aliter Casaub. « Non avarus, inqnit, Nero: neque hæc verba « in enm competunt; sed de in« dustria factum a Persio, ut ab « hypothesi referret se ad thesim: « ne facile intelligerent omnes « Neronem esse adversus quem « hæc satira est scripta. » Hæc Casauboni interpretationem nostram non diluunt. A.

48. *Si facis, in penem quicquid, etc.*] Si nullum est tam fœdum, tamque obscœnum genus, quo te quotidie non inquines. Recte idem Casauh. sed addit: « *amarum* « dixit propter amantium amara, « quia vere πικρὸς Ἔρως, aiunt « poëtæ; vel propter tristes ca« sus, qui luxuriosis sæpe con« tingunt eosque perdunt. » Persium hanc senteutiam e tam longinquo petiisse minime puto. *Quicquid amarum*, meo dixit judicio, in eodem sensu quo Horatius, lib. I, sat. 2, *eaudam salacem*, et lib. II, sat. 7, *turgentis verbera caudæ*. A.

49. *Si puteal multa eautus, etc.*] Vet. schol. « Feneratores ad puteal « Scribonis Licinii, quod est in « porticu Julia, ad Fabianum ar« cum, consistere solebant. » Unde plerique interpp. ita hunc locum ancipitem certe, et perobscurum explicant: si tu es fenerator adeo callidus, ut debitores multâ et immani usurâ flagclles et premas. At Casaub. et post illum Prateus, qui hæc Neroni non aptius applicari posse putabant quàm illa præcedentia, *si palles improbe nummo*; quippe Nero nec avarus nec fenerator fuit, aliam aperuerunt sententiam, quæ ista est: « *Si puteal flagellas*, id est, si tanta « est tua petulantia et lascivia, ut « nocturnus præmiator grasseris, « cum obviis rixam contrahens; « et pudori matronarum illudens, « nullum denique insolentiæ ge« nus prætermittens. Hoc genere « insignem primum se fecit Nero, « cùm foras erumperent illius « probra, quemadmodum diserte « scribit Dio. Tacit. quoque An« nal. XIII: *Q. Volusio, P. Sci« pione Coss. otium foris, fœda domi « lascivia: quâ Nero itinera Urbis, « et lupanaria et diverticula, veste « servili, in dissimulationem sui, com« positus pererrabat, comitantibus « qui raperent ad venditionem expo« sita, et obviis verbera inferrent « adversus ignaros; adeo, ut ipse « quoque aceiperet ictus et ore præ« ferret.* Ead. Suet. cap. 26. » Ita *puteal flagellare multâ vibice*, est pererarre forum (nam puteal locus fuit in Comitio, ubi Accii Navii Auguris statua per Tar-

Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo:
Tecum habita; nôris quàm sit tibi curta supellex.

quinium primum erecta), inde per plateas et vicos et compita vagari, et obvios cædere vulneribus petulanter ac lascive. Cur autem *puteal* notanter expresserit, nescio; nisi quod reipsa Nero in suis nocturnis excursionibus plagas (vibices) intulerit et acceperit plures ibi quàm quocumque alio loco; nisi forte quòd poëta hunc locum notaverit veluti, ut apparet, flagitiorum multorum, quæ noctu fierent, solemne theatrum. Nota sunt illa Senecæ de Beneficiis, lib. VI: *Divus Augustus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegavit, et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse.....* Et Dionis, ἡ Ἰουλία ἀσελγαίνουσα ἦν οὕτως, ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ γε τοῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν. Videquoque Juven. sat. VI, v. 302 et seqq. de Maura sociisque ejus quid dicat. Hæc satis sunt ad confirmandam Casaub. conjecturam, quæ alioquin cum Neronis atque etiam Alcibiadis genio non avaro, sed petulanti et maligno melius concordat. A.

50. *Nequicquam populo, etc.*] Si te tuaque vitia noveris, non est quòd tantopere adulationibus populi adhæreas. — *Bibulas.... aures.* avidas laudis et plausûs.

51. *Respue quod non es.*] Ne tibi arroga quod non est in te; neque te capi sinas vanis adulationibus. Senec. epist. 80: *Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem, te ipse consule.* — *Tollat sua munera cerdo.* Quod dat vulgus immeritis, recipiat; neu vilis plebeculæ laudationes tanti æstimes. Nota autem, quòd Nero, in principio potissimum sui regni, ap. cerdones et plebeculam gratissimus fuit; nam benevolentiam eorum et laudes largitionibus insanis, necnon spectaculis et ludis omnimodis, et per totam suam vitam captare studuit. Alcibiadi quoque idem mos fere fuit. A. — *Cerdo* est quilibet e vili plebecula artifex, lucri causâ operam suam locans.

52. *Tecum habita.*] Temet ipse considera; *nec te quæsiveris extra.* — *Nôris quàm sit, etc.* Et noveris quàm sis præsidiis necessariis non dico *ad rem populi tractandam;* sed tantum ad vitam civis et subjecti recte agendam destitutus. Sic, *philosophiæ supellectilem* dixit Cicero, lib. de Finibus.

V. 51. *Respue.* Cod. Pithoei, *respice.* Ita quoque edit. vet. et Aldina. Alii, et cod. noster, *respue.* Cæterum, *respice* potest accipi; et ea lectio non est ingrata.

V. 52. *Tecum habita; nôris.* Cod. noster et tres alii codd. *tecum habita; ut noris.* Ita quoque Lubinus et edit. vet. Britanniei.

SATIRAE QUINTAE
ARGUMENTUM.

CORNUTUM LAUDANS APERIT PENULTIMA SERVOS.

Præstantissimæ hujus satiræ duæ sunt partes. In priore, quæ alterius est veluti procemium, amoris sui in Cornutum, præceptorem suum, vehementiam primum ostendit (1—20); deinde diligentiam illius in se educando, suumque vicissim erga illum amorem commemorat (31—52); denique laudes Cornuti et totius vitæ illius institutionem subjungit, ac juvenes hortatur, ut tanto viro in disciplinam se dedant (33—72). Inde fit transitus ad posteriorem satiræ partem, his verbis: *libertate ôpus est* (73). Ibi fuse tractatur paradoxon præcipuum stoicorum, scilicet: *omnes, præter sapientem, servos esse; neminem, nisi sapientem, liberum.* Primum de vera libertate agitur. Scil. vana cærimonia, non meram libertatem dat. Dama, paulo ante servus, postquam virga Prætoris eum in numerum civium adscivit, fit *Marcus*, id est, Romanus: anne ideo liber est? Minime. Mera libertas hæc est:

Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo

(97). Sit modicus voti, simplici ac frugali vita, dulcis amicis, sit parcus, nec avarus; tum Dama liber. At *si pelliculam veterem retinet, et astutam vulpem servat sub pectore*, id est, si iisdem, quibus antea, vitiis obrutus est; tum Dama civis factus etiam servus est. Digitum exerat, peccat; cujus vel minimi momenti actus sunt peccata; quoniam e vanitate, non e sapientia ortum sumunt (73—123). Vera libertas in vitiorum fuga consistit: unde non minus servus qui servit avaritiæ urgenti, quàm quem metus agit herilis (123—139); non minus miser qui, immemor leti, luxuriæ obsequitur, et fluctuat inter consilia avaritiæ ut vigilet suadentis, et illecebras mollitiei

stertere et frui volentis, quàm luctata canis, quæ nodum quidem arripuit, attamen a collo partem catenæ trahit (140—160); nec minus servus juvenis iste amoris indigni vinculis irretitus. Quid faciam, inquit, si me vocet mea dulcis amica? camne, an restem? Si eat, servus; si recuset, tunc hic est quem quærimus vere liberum et sapientem (161—175). Idem dici potest de ambitiosis; nec multo minus de superstitiosis (161—188). Tum demum lectori colligendum istud poëta reliquit; scilicet: *omnes malos servos esse; neminem, nisi sapientem, liberum.* Addit tamen quod verissimum est:

> Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
> Continuo crassum ridet Pulfenius ingens,
> Et centum Græcos curto centusse licetur.

Et est ea satira dignissima, quæ inter manus juvenum perpetuo versetur. Ea præcipuum dogma stoicorum offert quod frustra Horatius exagitare et irridere conatus est, in sat. 3 lib. primi, et alibi. Nihil dubium quin, in qualicumque conditione, liber solus sit et felix, qui non servit ambitioni, avaritiæ, luxuriæ, etc.

SATIRA V.

AD CORNUTUM.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum;
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

1. *Vatibus hic mos est.*] Poëtis nimirum epicis, quin et oratoribus interdum eâ figurâ uti mos est; scil. *poscere centum linguas, ora, etc.* quoties grande quidpiam aut arduum volunt exprimere. Homer. Iliad. II :

Οὐδ᾽ εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ᾽ εἶεν.

Hunc secutus Hostius quidam, poëta epicus, lib. belli Istrici (ut refert Macrob. Saturn. lib. VI, cap. 3), sic habet :

. . . . Non si mihi linguæ
Centum atque ora sient totidem vocesque liquatæ.

Postea Virgil. Georgic. II, et Aeneid. VI, hunc eumdem versum habet :

Non mihi, si centum linguæ sint, oraque centum.

Hos alii passim imitati sunt, ut Sil. Italic. lib. IV, Claudian. in panegyric. Probini. Sic etiam oratores, ut Quintilianus, declamat. VI, et S. Hieronym. in epitaph. Paulæ : Persius vero aliter, centum sibi poscit linguas, centum voces, ut qui imparem se sentiat exprimendis suis in Cornutum magistrum affectibus, mutuâque suâ scilicet et Cornuti amicitiâ celebrandâ : quem Cornutus interpellatione impedit, cujus sermonem postea (19) poëta excipiens, in eodem sensu inchoatam absolvit sententiam. C. et P.

3. *Fabula seu mœsto, etc.*] Sive tragœdiam aliquam scribant, quam postea histrionibus sunt tradituri acturis illam in scena. — *Fabula.* Omnis fictæ rei, atque etiam aliquando veræ, narratio. Vide Juven. sat. I, v. 145, et alibi. Hîc pro tragœdia sumitur. — *Hianda.* Μάλα ἐμπαθῶς. *Hiare*, est cum vehementia, tragico argumento conveniente, pronuntiare. — *Mœsto.* Hoc verbum recte cum *hianda.* Nam poëtæ qui ex historia fabulari tragœdias componebant, et histriones qui agebant, non veros affectus exhibebant, sed simulatos : unde tragœdi, et magna cum vocis contentione pronuntiare, et tristitiam fingere soliti erant. C.

4. *Vulnera seu Parthi.*] *Vulnera*

V. 2. *Linguas optare in carmina centum.* Cod. Fauchetii, n° 8070, *in carmina tantum.* Alii omnes, et noster, *centum.*

CORNUTUS.

Quorsum hæc? Aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi, nebulas Helicone legunto,

hic clades Parthis a Romanis illatas significant. Ut Neronem et Romanos proceres laudarent poëtæ, quidam Parthica scripserunt, seu historias de rebus Parthicis sub Nerone gestis, quos hic obiter Persius perstringit. — *Ducentis ab inguine ferrum.* Sagittas et tela e vulnere extrahentis, et in hostem retorquentis. Male, nostro judicio, Casaubonus interpretari videtur vulnera a Parthis ducentibus, vibrantibus ferrum ab inguine (tres enim describit jaculandi modos; scil. *a mamma*, παρὰ μαζὸν, *a capite*, παρὰ τὸ δεξιὸν ὠτίον, *ab humero*, παρὰ ὦμον); numquid enim Romani poëtæ laudassent Parthos tela vibrantes et Romanis mortem inferentes, potiusquàm victores Parthorum Romanos? quod tamen dicendum foret, si *vulnera* sumerentur hic active, ut vult Casaubonus. P. et A.

5. *Quorsum hæc?*] Miratur enim Cornutus, cùm humilem tantum satiram Persius conscribat, quòd tanquam epica, et tragica tractaturus, tot ora atque linguas sibi exoptet. — *Aut quantas robusti carminis offas ingeris?* Casaubonus sic: « Persius malum « poëtam et tumidum *offas car-* « *minis* ait *ingerere*...... translatum verbum e pistorum vel « coquorum operibus: nam *offa* « est ἔνθεσις, proprie pultis, ut « indicat Plin. lib. XVIII, cap. 8. « Ita etiam vocantur illi globuli « quibus aves altiles farciuntur.... « Ita, *offæ carminis robusti*, car- « men non deductum, sed am- « pullatum, turgidum atque in- « elaboratum (vid. Juven. sat. II, « v. 33). — *Ingeris.* Profers in pu- « blicum et lectoribus tuis ob- « jicis. » — *Ingeris.* Au lieu d'*ingeris*, je lis *egeris*; et je traduis: avez-vous dans l'estomac tant de gobbes poétiques (ou de vers durs) à rendre, qu'il vous faille le secours de cent gosiers. *Offa* signifie boulette, gobbe, et non pâté. *Diderot.*

6. *Ut par sit, etc.*] Velut ad trajiciendas offas illas grandiores, sive ad proferendos versus adeo turgentes. — *Niti*, pro habere, fultum esse. P.

7. *Grande locuturi.*] Vates, grande aliquid locuturi, *legunto, etc.* Catachresis, ut sup. sat. I, v. 14:

Grande aliquid, etc.

— *Nebulas Helicone legunto.* Ut sup. ad prologum, *Heliconiadasque, pallidamque Pirenen.* — *Nebulas.* Levia, et quæ solâ specie sunt magua.

V. 6. *Gutture.* Omnes nostri codd. habent ita. Casaubonus ait quosdam legisse *gurgite*.

Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi:
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec, clauso murmure raucus,

8. *Si quibus aut Procnes, etc.*] Si illis aut olla Procnes, aut olla Thyestæ fervebit. *Fervere* autem illis dicitur *olla* Procnes aut Thyestæ, qui componunt tragœdias vel de Tereo, qui filium suum Ityn sibi a Procne appositum imprudens edit, vel de Atreo qui, similibus epulis, Thyestam fratrem pavit. Plaut. Rudent.

Scelestiorem cœnam cœnavi tuam,
Quàm quæ Thyestæ quondam anteposita est et Tereo.

De his fabulis, vid. Ovid. Metam. lib. VI, fab. 7, et Senec. Tragic. in Thyeste. C.

9. *Sæpe insulso cœnanda Glyconi.*] Olla Procnes et Thyestæ sæpe cœnanda, id est, sæpe agenda, repetenda in scenis. Casaub. « *Cœnare*, hìc est agere fabulam cupiditate cœnæ, sive mercedis, unde se ipse alat. » Cui textûs parti hæc explicatio conveniat non probe video. — *Insulso.... Glyconi.* Vet. schol. « Glycon, tragœdus, populo mire placuit: et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio tragœdo, domino ejus, pro parte dimidia quam possidebat, sestertiorum tercentis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso; antequàm subornaretur, deformis, nescius jocari, propter quod eum insulsum Persius dixit. » A.

10. *Tu neque anhelanti, etc.*] Laudat Cornutus discipulum suum κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν, prius separans a malis poëtis, et vitia commemorans quibus caret; deindè virtutes recensens quibus sit ornatus. Quid tibi vis, inquit, cùm malos poëtas imitaris? nam, tu non is es qui malis et ineptis poëtis debeas adnumerari. Tribus autem notis malum poëtam χαρακτηρίζει: primâ, quòd *folle anhelanti premat ventos*, id est, quòd vanâ ambitione ductus, ut fabri aërem follibus inclusum exagitant, ad fornacem accendendum, *dum massa* ferri *coquitur*, ille se, dum meditatur ac fingit opus, discruciet; item, pulmones fatiget recitando carmen, præsertim inflatum et turgidum. Horat. lib. I, sat. 4:

At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laborantes dum ferrum molliat ignis
Ut mavis imitare.

Juven. sat. VII, v. 111:

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles. C. et P.

11. *Nec clauso murmure raucus.*] Secunda est nota mali poëtæ; quòd in publico videatur semper solus, vultu gravi, immo tristi,

V. 11. *Raucus.* Colb. V, n° 8293, *raucos*, male.

Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris: juncturâ callidus acri,

nescio quid meditans, ac secum, rauco sonitu, more cornicum murmurans. Hæc enim omnia meditabundum hominem, et in seria cogitatione defixum exprimunt. Quæquidem, quia affectata nimis videntur, merito a poëta deridentur. Aristoph. in Equit.

Ἀλλ' οἶσθ' ὅ μοι πεπονθέναι δοκεῖς; ὅπερ τὸ πλῆθος.
Εἴπου δικίδιον εἶπας εὖ, κατὰ ξένου μετοίκου,
Τὴν νύκτα θρυλλῶν, καὶ λαλῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ,
Ὕδωρ τε πίνων, κἀπιδεικνὺς, τοὺς φίλους τ'ανιῶν,
Οἴου δυνατὸς εἶναι λέγειν. Ὦ μωρὲ τῆς ἀνοίας! C.

12. *Cornicaris.*] More cornicum grocitas. Locum hunc forte respexit D. Hieronymus, cùm dixit, epist. IV: *alii intra se, nescio quid cornicantes, tumentia verba trutinantur, etc.* P.

13. *Nec stloppo, etc.*] Tertia nota mali poëtæ: quòd soleant imperiti poëtæ præ cæteris inflati esse in recitando. Adverte autem tribus in his egregiam gradationem: nec stylum inflas ad instar follis; nec meditaris et tecum agitas confusa et impedita instar cornicis; nec denique ore turgenti quasi *stloppum* edere videris. Sic laudat Cornutus a contrariis Persii elocutionem, inventionem, pronuntiationem. — *Stloppo.* Vox eleganter efficta, ad exprimendum illum sonum, quem buccæ inflatæ, et ictu collisæ edunt. C. et P.

14. *Verba togæ sequeris.*] Sequitur laudatio κατὰ θέσιν. Prima laus ἡ τῶν ὀνομάτων ἐκλογή. Tu, inquit, uteris stylo non ampullato, aut sesquipedali, nec ex ultima antiquitate petito, ut quidam inepti, quos sat. I, merito reprehendisti; sed stylo simplici, polito, venustate suâ ac leporibus commendando, atque in communi usu posito, ei demum non absimili, quem vocat Horat. *sermoni propriorem*, et *musam pedestrem.* — *Junctura callidus acri.* Altera laus: compositio recta verborum, eorumque apta junctura, quas vocant Græci rhetores τὴν καλὴν τοῦ λόγου συνθέσιν. Seneca eos reprehendit qui, studio exasperandæ orationis, *nolunt sine salebra esse*

V. 13. *Stloppo.* Quinque codd. inter quos noster, habent *scloppo* seu *sclopo.* Ita quoque vet. schol. cod. Pithoei, 8072, et ed. vet. Britann. Alii habent *stloppo*, seu *stlopo.* Casaubonus præfert *stloppo*, quæ vox reperitur apud Priscianum, quia, ut ipse ait: «est eleganter efficta ad exprimendum «illum sonum quem buccæ inflatæ et ictu collisæ edunt.» At eadem varietas exstat forte in codd. Prisciani, propter similitudinem litterarum *c* et *t* in codicibus: præterea, vox *scloppo* nobis efficacior videtur quàm *stloppo*, ad exprimendum illum sonum. Nihil tamen ibi mutavimus.

Ore teris modico, pallentes radere mores
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas, mensasque relinque Mycenis,
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia nôris.

juncturam, virilem putant et fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. Epist. CXIV. Ibidem, contrarium damnat vitium eorum, quorum compositio erat modulatio. Inter utramque, erat illa junctura acris quæ hìc commendatur a Persio. C.

15. *Ore teris modico.*] Tertia laus ab elocutione concinna, neque humili nimis, neque inflata. Eadem hæc, inquit, modeste, ornate tamen digesta, et apte composita, ore modico, id est, sine affectatione eloqueris. C. — *Pallentes radere mores doctus.* En præclarissimum elogium, quod satirarum scriptori possit tribui, scilicet, *doctus radere mores pallentes, et ingenuo culpam defigere ludo.* Ita quoque duo sunt satirico danda. 1° *Radere*, non tantum reprehendere; sed et exagitare, radicitus evellere *mores pallentes*, scelus, ideoque sceleslum qui culpâ pallescit; 2° *præfigere*, notare tantum *ingenuo ludo* culpam, quasi ridendo vitia levia indicare; at immisericors flagitia tonanti voce persequi. A.

16. *Ingenuo defigere ludo.*] Salibus et jocis, seu colaphis petere. Sic in Persa Plautus:

. . . . . Te hodie defigam in terram colaphis.

17. *Hinc trahe quæ dicas.*] In proposita tua studiorum ratione persta. Eamdem styli temperiem serva, et perge satiras scribere.— *Mensasque relinque Mycenis. Mensas,* grandia tragicorum argumenta, qualia sunt cœna Thyestæ Mycenis acta.—*Relinque Mycenis.* Id est, Græcis tragicis permitte. A.

18. *Cum capite et pedibus.*] Atreus reservaverat caput, pedes et manus puerorum, quos post cœnam Thyestæ exhibuit, ut sciret quas et quorum devorasset carnes. Senec. Thyest.

Denudat artus dirus, atque ossa amputat;
Tantum ora servat, et datas fidei manus. P.

— *Plebeiaque prandia nôris.* A tam

V. 15. *Teris.* Cod. Colbert. I, n° 8055, solus habet *teres.* Ita et Casaub. quem secuti sunt editores recentiores, et explicant: *teres*, rotundus, facundus, *ore modico*, sine emphasi, et affectatione. Simplicior nobis videtur et convenientior prior interpretatio (vid. sup. comment.): præterea, auctoritate codicum omnium præstat.

V. 17. *Dicas.* Fanchetii cod. *dices*, Mentellianus, Pithoei, n° 8072, et tres alii, *dicis.* Alii et noster, *dicas.* — *Mensas.* Vet. edit. Britann. *mensam;* minus bene.—*Mycenis.* Ita omnes codd. vet. schol. *Mycenas*, pro adjectivo *Myceneas*, seu *Mycenenses.*

PERSIUS.

Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur : tibi nunc, hortante Camœnâ,
Excutienda damus præcordia : quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,

fœdis cœnis abhorre, et plebeias res tantum inspice, scilicet, luxum et corruptos populi mores satirico sale deterge. P.

19. *Non equidem hoc studeo.*] Modeste respondet Persius. Non ideo tale votum feci; scil. centum mihi sint ora linguæque, ut grandia et sublimia poëtarum deliramenta scribam; sed, etc. — *Pullatis ut mihi nugis.* « In omnibus, inquit Casaub. scriptis manu libris, quibusdam etiam editis, invenimus constanter *pullatis:* quam lectionem et antiqua « scholia agnoscunt. *Pullatæ nugæ,* « quæ pullatis, et vilis popelli « judicio sint probandæ : nam *pullati* apud Plinium, Suetonium « aliosque vocantur ὁ χυδαῖος « ὄχλος. Nec male vet. interpres, « quisquis ille fuit, de tragicis argumentis interpretatur, ex iis « quæ præcedunt; semper enim « in tragœdiis reges *pullati*, hoc « est, mœsti, et aliquo ingenti « casu tristes inducuntur. In veteri Bongarsii codice expositum « invenimus, *nigris mendaciis.* » Ita Cas. Ipse tamen, et alii legunt *bullatis*, hoc est, inanibus, instar bullæ inflatis, nam *bulla* symbolum est vanitatis. Varro : *homo bulla*, ἄνθρωπος πομφόλυξ, id est, ματαιότης.

20. *Dare pondus idonea fumo.*] Scil. pagina quæ res leves inanesque referat, quarum pondus non sit majus quàm fumi pondus. Græci Latinique levia *fumum* vocant. Locutio est ab Horatio. C.

21. *Secreti loquimur.*] Sincere et contra fastum, tibi ego soli solus loquor, hisque versibus non publice recitandis tibi consigno animi mei sensus. P.

22. *Excutienda damus præcordia.*] Adeoque intimos cordis recessus aperio. — *Quantaque nostræ pars tua sit, etc.* « Sententia, inquit « vet. schol. a Pythagora tracta. « Dimidiam (hoc loco, maximam « et meliorem) animæ suæ partem « dicit Cornutum, ut Horat. Virgilium, lib. I, od. 3, v. 8 :

« Et serves animæ dimidium meæ. »

Antiqui autem dicebant amicitiam esse animam unam in duobus corporibus. Unde Ovid. de Pylad. et Orest. scribit :

Qui duo corporibus, mentibus unus erant. P. et A.

23. *Cornute.*] Annæus Cornutus, Persii magister, philosophiæ pro-

V. 19. *Pullatis.* Codd. Thuanens, Mazarineus et Mentellianus, *bullatis.* Cod. absque nomine, n° 8274, *pullatis :* at vid. sup. comment.

Ostendisse juvat : pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi
Voce traham purâ ; totumque hoc verba resignent
Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ.

fessor eo tempore celeberrimus, qui a Nerone missus in exilium est, eo quòd scripta ejus reprehendisset; forte etiam quòd Persii amicus et magister fuisset, cujus demortui jam scripta a Basso publicata, Neronis infamiam multis in locis detexerant. A.

24. *Pulsa.*] Κροῦε, vel περίκρουε, digito percute, et explora meam mentem. Qui vasa fictilia num sint solida et integra volunt experiri, ea digito *pulsant.* — *Cautus.* Doctus dignoscere. Hellenism. C.

25. *Quid solidum crepet.*] Discernis enim quid verum, quid fictum et simulatum. Jam eàdem usus erat metaphorâ Persius, sat. III, v. 21. Ibi, vas fictile percussum indicat vitium suum *maligne respondendo ;* hoc loco, ait integrum vas dignosci *solide* crepando. — *Et pictæ tectoria linguæ.* Incrustata auro et argento statua lapidem celat : sic et urbanitas sermonis et oratio obsequii plena tegit sæpe invidiam et odium animo reconditum. P.

26. *His ego centenas, etc.*] Ad hoc, scil. ad declarandum meum in te animum, mihi centum voces optavi. Et adeo non me hujus voti pœnitet, ut contra ausim etiam nunc eadem deposcere. P.

27. *Fixi.*] Firmiter, nunquam inde movendum reposui, inserui. — *Sinuoso in pectore.* In omnibus etiam intimis animi recessibus. P.

28. *Voce traham purâ.*] In publicum proferam, et palam faciam. — *Trahere*, pro dicere, ut *dare* sæpe: sumptum autem a nentibus. — *Totumque hoc verba resignent.* Aperiant, revelent. Unde dicunt Latini litteras resignatas, id est, apertas. L.

29. *Arcanâ.... fibrâ.*] Pectore intimo. Fibram autem pro corde positam vidimus, sat. I, v. 47. — *Non enarrabile.* Nempe meâ linguâ, ideoque ad hoc enarrandum, *centum ausim deposcere vo-*

V. 25. *Tectoria.* Codd. Putean. Pithoei I, n° 8246, Colbert. II, Colbert. III, Colbert. V, Mentellianus, et tres alii *plectoria ;* ut sit vox efficta a *plecta*, ligamen vimineum, adjectiv. *plectilis*, verbum *plecto*, implico; ut metaphorice designentur implicationes et incantationes linguæ fucatæ : at ista interpretatio nimis contorta videtur. Quare, reponendum censeo *tectoria.* Cod. Pithoei II, n° 8072, *pictoria.*

V. 26. *His.* Cod. Colbert. II, tres alii et noster, *hic.* Codd. Colbert. I, Pithoei I, duo alii et ed. vet. *hinc.* Cæteri omnes, *his.*

Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Cùm blandi comites, totâque impune Suburrâ

ces. His verbis magnitudinem amoris sui pingit. L.

30. *Cùm primum, etc.*] Ostendit causam tanti amoris sui erga Cornutum, cum ortum dicens ex honesta ejus doctrina, et morum ac studiorum similitudine, quâ ad conciliandam amicitiam nihil efficacius; simul et Cornuti beneficia in se grato animo recenset. — *Pavido mihi custos purpura cessit.* Cùm primum posui purpuram, id est, togam purpurâ prætextam, quæ mihi puero custos fuit. Pueri, apud Romanos, usque ad pubertatem amiciebantur togâ purpurâ prætextâ, quæ ideo custos hîc dicitur, quia illâ ætate lateri puerorum pædagogus custos apponi solebat, cujus primum erat officium, ut ait Horat. lib. I, sat. 4, de suo patre,

. . . . . . Vitam famamque tueri
Incolumem. . . . .

Et quia ea vestis sacra habebatur dicebaturque, ut apud Appian. ἡ ἱερὰ ἐσθὴς tribunorum plebis. Quare, qui purpurâ utebantur, eo ipso nomine venerabiles, et sancti habebantur, ut, si quis, contumeliæ vel injuriæ causâ, purpurâ insignitos attrectasset, non hominum tantum, sed et Deorum jura violâsse intelligeretur. Fabius, Declamat. CCCXL *Ego vobis allego etiam illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus; quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus ac venerabilem.* — *Pavido mihi.* Recte: est enim illa ætas obnoxia alienæ vi, maxime τῶν παιδομανούντων, quorum flagitia maxime timebantur pueris, ut Græci Latinique scriptores passim testantur. Vid. Macrob. Saturn. lib. I, cap. 6. C.

31. *Bullaque.*] De bulla puerorum idem Macrob. fuse disserit loco præcit. Vid. Juven. sat. V, v. 164, et sat. XIII, v. 33. Ex his, etiamsi non aliunde nota foret omnibus Persii nobilitas, constaret eum equestri ordini saltem fuisse addictum: nam bullâ soli nobilium et equitum pueri ornabantur, quam cum virili toga, ad ætatis XVII ann. provecti, Laribus offerebant. — *Succinctis Laribus.* Lares *succincti* dicuntur, εὔζωνοι, quia habitu peregrinantium erant pellibus amicti, cum cane comite. Vet. schol. « Quia « habitu Gabino, cinctuque Dii « Penates formabantur, obvoluti « togâ super humerum sinistrum, « dextro nudo. » A.

32. *Cùm blandi comites.*] Cùm pro pædagogo, comite ingrato et inviso, fuerunt mihi *comites blandi*, id est, assentatores et parasiti, qui juvenum latera cingere solent. — *Totâque impune Suburrâ, etc.* Cùm jam sumpta virilis toga dederat mihi potestatem, nemine pædagogo prohibente, amori si mihi libuisset indulgendi; et in vico *Suburræ* Lesbiam aliquam vel Laïdem quærendi. — *Suburrâ,*

Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;
Cùmque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu: tunc, fallere solers,

in hac Romæ parte erant lupanaria et meretrices. Vid. Juven. sat. III, v. 5. C.

33. *Sparsisse.*] Perlustrare, pervagari. — *Candidus umbo.* « Toga « virilis, inquit Casaub. alba erat « sine purpura. *Umbo togæ* est cen« trum plicarum in toga. Sic enim « lautiorum toga componebatur, « ut corrupta in multa πτύγματα « clypei speciem præberet; cujus « centrum proprie appellatur *um*« *bo.* » Vid. statuas antiquas Musæi Parisini.

34. *Cùmque iter ambiguum est, etc.*] Respicit ad fabulam Herculis Prodicii. Vid. Cic. lib. I, de Off. — *Et vitæ nescius error.* Ut philosophia vitæ magistra est (Cic. et Senec.), ita hujus contrarium est *error vitæ nescius*, id est, ignorantia eorum quæ conducunt ad recte beateque vivendum. C.

35. *Trepidas.... mentes.*] Ancipites, dubias, titubantes inter vitia et virtutem. — *Ramosa in compita.* Quæ multas in vias scindunt se, ut truncus in ramos. Hic rursus alludit ad litteram Pythagoræ, de qua vid. sat. III, v. 56. A.

36. *Me tibi supposui.*] Illa ætate, me tibi instituendum exhibui.

37. *Socratico.... sinu.*] Excepisti me in tuam disciplinam, morali philosophia et stoicorum præceptis imbuendum: excepisti me non studio solum paterno, sed quasi materno affectu blandiens et demulcens. Cur autem *stoæ* disciplinam vocet socraticam, ea est ratio: nempe Socratis discipulus fuit Antisthenes, qui Diogenem instituit; hunc Crates Thebanus audivit; hic demum erudivit Zenonem, scholæ stoicæ conditorem; unde stoici, ut primum sectæ suæ parentem, agnoverunt Socratem: præterea, tota moralis disciplina, quam proprie Seneca aliique philosophiæ no-

V. 34. *Cùmque iter ambiguum est.* Tò *est*, inutile et incommodum pene crediderim, et hoc loco insertum metri causa; quod non adeo erat necesse: nam vel optimis poëtis accidit, ut cæsura post secundum pedem non elidatur, et quæ brevis est longa fiat; quod omnibus notum est: præterea, *est* vacat id nostro cod. et in V aliis.

V. 35. *Diducit.* Ita codd. optimi. At dimidia pars codd. habet *deducit.* Eadem varietas exstat apud Juven. sat. I, v. 157. — *Compita.* Cod. noster, *devia:* sed hæc lectio glossam redolet.

V. 36. *Supposui.* Ita codd. nostri. Bongarsii cod. a Casaubono citatus, habet *seposui;* et apposita est glossa, *ad te segregavi.*

Apposita intortos extendit regula mores;
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

mine intelligunt, a Socrate est. Itaque omnes illæ τοῦ ἠθικοῦ αἱρέσεις, ethicæ institutiones a Socrate originem et commune nomen sunt nactæ. Quare socraticus sinus est institutio in morali philosophia. C. — *Tunc, fallere solers, etc.* Ordo est: tunc regula, solers *fallere*, demulcere (me) apposita (moribus meis) extendit mores meos intortos; et sensus: tunc disciplina tua, quâ me imbuisti, direxit pravos meos mores, sensim, atque ita ut asperitatem novæ disciplinæ vix ullam sentirem. Duo dicit Persius; correctam priorem vitam suam a Cornuto; et ita leviter correptum se fuisse, ut repentinam vitæ mutationem vix senserit; adeo disciplina Cornuti *fallere*, id est, in spinis et molestiis correctionis evellendis, et in præceptorum acrimoniâ temperandâ fuit solers et efficax. Quod pulcberrimum est Cornuti elogium. A.

38. *Apposita.... regula.*] Hæc, *regula apposita*, et *intorti mores* ab arte fabrili sunt eleganter translata. Sic passim Græci, τῷ κανόνι τὰ σκολιὰ ἀπευθύνειν; vel τῇ προσαγωγῇ τοῦ κανόνος τὰ διεστραμμένα εἰς εὐθύτητα μεταβάλλειν. — *Extendit*, direxit. Translatum a perpendiculari funiculo: qui tum demum est rectus, quando est intensus. Casaub.

39. *Et premitur ratione animus.*] Jamque, te duce, animus meus premitur ratione, id est, cogitur rationis imperium sequi, coercetur. *Sicut equus*, inquit Plato, *a sessore domatur, ita animus ratione.* Cave autem ne animum cum mente confundas. Duæ sunt partes animi nostri; altera superior, mens, rationis sedes; altera inferior, quæ est expers rationis, vocaturque appetitus. De hac ultima sermo est. Vid. Cic. Offic. lib. I, n° 102. In eodem sensu, id est, de animo rationis egente, seu de appetitu dixit Horatius, lib. I, epist. 2:

..... Animum rege, qui nisi paret
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenâ. P.

— *Vincique laborat.* Recte *laborat*, nam ingens et arduum est certamen, quando vitia domare nitimur. Greg. Nazianz.

Πράγματα δ' οἷα δοκεῖς πάσχειν ψυχὴν πολεμοῦσαν
Σώματι, καὶ κόσμῳ ἀντικαθεζομένην.

ita animus meus se vinci ægre patitur. C.

40. *Artificemque tuo, etc.*] Idemque meus animus, sub tuo pollice, ducit *vultum artificem*, id est tuâ disciplinâ totus immutatur, atque ex depravato emendatus, e malo evadit probus, veluti argilla et cera quæ sub pol-

V. 40. *Artificemque.* Ita omnes codd. Vide supra commentarium.

Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecundâ laxamus seria mensâ.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci:

lice ductæ sumunt vultum qui indicat artificis manum. Vel potius, ut recte interpretatur Casaub. *artificem vultum*, id est, magnâ curâ atque arte elaboratum. Juven. sat. VII, v. 237:

Exigite ut mores teneros seu pollice ducat,
Ut si quis cerâ vultum facit. . . . . .

Cæterum, idem Casaub. mallet legi *artificis;* ut sit sensus: animusque meus a te molliter et scite tractatus ducit, sumit vultum, sub tuo pollice, *artificis*, pro artifici. Quæ latina dictio non sine exemplo est. Sed hæc ultima explicatio non est adeo necessaria, prior enim ejusdem Casaub. quæstionem solvit. A.

41. *Tecum etenim longos memini, etc.*] Hæc ad familiaritatem spectant, quæ illi cum præceptore suo Cornuto fuerat. Virgilius, eclog. IX:

. . . . Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles. L.

42. *Et tecum primas, etc.*] Qui sobrii erant, convivia paulo ante noctem, post horam decimam adibant, et in primam tantum noctis, vel secundam protrahebant. Longe aliter ii qui intemperantes ideo vocabantur, ut Marius iste de quo Juvenalis loquitur, sat. I, *ab octava bibit Marius.* Ergo Persius: memini me primas noctis tantum horas tecum decerpere, frugali mensâ studiosis necessariâ. P.

43. *Unum opus et requiem.*] Simul labori, simul quieti indulgebamus, et sine ulla intermissione unà eramus, unà studebamus, unà cessabamus.

44. *Atque verecundâ, etc.*] Repetitio prioris sententiæ, *et tecum primas epulis, etc.* Quæ ad amicitiam suam cum Cornuto commendandam potissimum valet; nam præcipuum testimonium est arctæ amicitiæ salis et mensæ communio. Ἡ γὰρ συντροφία, inquit Plutarchus, ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐςι τῆς ἐυνοίας. C.

45. *Non equidem hoc dubites, etc.*] Minime dubium est, quin dies amborum (mei tuique) certâ conditione, certo quodam natalitio fœdere consentiant, et ab eodem uno sidere ducantur, sive *Parca tenax veri*, suspendit tempora nostra æquali librâ; sive, etc. certe sidus aliquod est quod me tibi concordem facit. L.

46. *Consentire dies, etc.*] « Ut

V. 46. *Dies.* Ita codd. omnes, non *Deos*, quod verbum affert Casaub. ex nonnullis, ut ait, codd.

Nostra vel æquali suspendit tempora librâ
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà;

« summam, inquit Casaub. animi « sui conjunctionem cum animo « Cornuti magis exprimat, hæc « dicit Persius: non enim πρὸς τὸ « ῥητὸν, et simpliciter hæc sunt « accipienda, ut perinepte fecerunt quidam. Atqui non aliter « capi locus debet, quàm si dicat « Persius: ex omnibus causis ma- « gnæ cujusdam et perfectæ ami- « citiæ, ἡ συναςρία censetur quo- « rumdam judicio maxima: quod « si ita est, ab effectis colligere « tuto possumus, occulta sideris « alicujus potestate coaluisse hanc « inter nos amicitiam tantam, « adeoque firmam. » Ita Casaub. Persium poëtam suum dilectissimum superstitione et vanâ erga astrologos credulitate vindicat: atqui, ex his, *non dubites*, Persius, etsi philosophus atque stoicus eumdem errorem suscepisse et fovisse cum vulgo hominum videtur; et in hoc imitatus esse Horatium ipsum qui, lib. II, od. 17, de se et Mæcenate sic refert:

Seu libra, seu me scorpius aspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ;
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. . . . . A.

— *Ab uno sidere duci.* Scil. natalitio et horoscopo: sive illud sit Libra, sive Gemini.

47. *Nostra.... tempora.*] Per *tempora*, intelligit universam vitam, cujus præcipuas partes alligant mathematici, genituram, ortum, conjugium, adversa aut læta, denique mortem. — *Aequali librâ.* Plures sunt constellationes quæ inter se homines jungunt; sed duæ illæ præcipuæ quarum hîc fit mentio, scil. Libra et Gemini. C.

48. *Parca tenax veri.*] Fatum ineluctabile, indeclinabilis rerum series, ut ait Chrysippus. Parcæ autem deæ fatorum a poëtis finguntur. Virg. eclog. IV:

Talia sæcla suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine
Parcæ. P.

— *Seu nata fidelibus hora.* Hora, horoscopus dividit in Geminos (signum zodiaci) fata concordia nostra, etc. — *Hora nata fidelibus.* Hypallage, pro quâ nascuntur fideles amici, quæ eos ποιεῖ συμπαθείας ἀπταίςους καὶ ἀδιαλύτους καὶ ἀνεπηρεάςους, ut ait Ptolemæus. De Geminis, Manilius:

Magnus erit Geminis amor et concordia duplex,
Magnus et in multos veniet successus amicos. C.

50. *Saturnumque gravem.*] Saturni sidus grave et noxium habebatur ob frigiditatem, siccitatem et tarditatem. Horat. lib. II, od. 17. Juven. sat VI, v. 570. Propert. lib. IV, eleg. 1:

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,

Nescio quod (certe est), quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species, et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti

Et grave Saturni sidus in omne caput. P.

— *Nostro Jove*. Id est, nobis propitio. Jovis autem sidus amicum ob suam temperiem. Plin. lib. II, cap. 8. *Martis ardore nimio, et rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem salutaremque fieri*. — *Frangimus*. Benignus enim Jovis aspectus avertit et discutit malignitatem Saturni. Firmicus ait, sæpe Saturnum radiationibus Jovis temperari, et Ptolem. Tetrabib. IV. Κρόνος καὶ Ἥλιος ἐπελθόντες τοῖς ἀλλήλων τόποις ποιοῦσι φιλίας διὰ συντάξεως, ἢ γεωργίας, ἢ κληρονομίας. *Frangere* autem et *temperare* verba astrologis usitatissima, cùm sinister affectus unius sideris impeditur contrariâ vi alterius. C. et P.

51. *Nescio quod (certe est), etc.*] Vel hæc signa, inquit, tantam inter nos amicitiam conciliarunt, vel certe aliquod aliud.—*Temperat*. Miscet, συγκιρνᾷ, συγκολλᾷ. C. « —*Nescio quod, etc.* Alterum dat « sensum altera interpunctio. Poë« tæ sensus est: nescio quod as« trum (certum est quod dico), sed « est astrum quod, etc. » *Eq. Croft.*

52. *Mille hominum species.*] Hactenus de Cornuti meritis in se, ac de suo in Cornutum affectu egit; nunc a dissimilium vel contrariorum comparatione laudationem ejus instituit. Commemorat varia hominum studia, quæ omnia vel ad avaritiam, vel ad voluptatem spectant, ut Cornuti laus crescat, cui unicum erat vitæ propositum philosophari cum sibi, tum aliis, et juventutem Romanam ad studium sapientiæ et stoicæ disciplinæ cognitionem instituere.—*Mille hominum species*. Sic Horat. lib. II, sat. 1:

Castor gaudet equis, etc. C. et P.

Eadem fere idem expressit, lib. I, od. 1: *Sunt quos curriculo, etc.*

53. *Velle suum cuique.*] Pro diversitate animorum ac judiciorum alius aliam artem et exercitationem sectatur. Cassiodor. *Quot homines, tot sententiæ, et unicuique mos suus est.* — *Nec voto vivitur uno*. Lucilius: *Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet*. P.

54. *Mercibus hic Italis, etc.*] Alius, inquit, studio mercaturæ ducitur. Hic eorum meminit, qui exportandis indigenis mercibus, et exoticis importandis quæstum faciunt.—*Mutat*. Ante usum æris, per rerum commutationem mercatura fiebat. Recte igitur *mutat*. Præterea maritimum commer-

V. 51. *Nescio quod c. e. quod me t. t. ast.* Cod. noster, et cod. n° 8273, et duo alii, *nesc. quid c.e. quod me tibi, etc.* Præstat prior lectio. Cod. Thuaneus: *quod te mihi.*

Rugosum piper, et pallentis grana cumini;
Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In Venerem est putris: sed cùm lapidosa chiragra

cium nihil fere aliud est, quàm mercium commutatio. — *Sub sole recenti.* In Orientali regione, ubi sol hemispberum ascendens quotidie renasci videtur. Horat. I, 4:

Hic mutat merces surgente a sole, ad eum quo
Vespertina tepet regio. . . . . P.

55. *Rugosum piper.*] Piper vocat *rugosum*, quòd a sole torrente rugas contrahit. Plin. lib. XII, cap. 7. — *Pallentis grana cumini.* Synecdoche. Speciem posuit pro genere, id est, varia aromata apud Indos nascentia.—*Pallentis.* Quippe sumentibus cuminum pallorem ingenerat, ut habent Plin. lib. XX, cap. 14, et Horat. lib. I, epist. 19. P.

56. *Hic satur, etc.*] Hic otio turpi et voluptatibus indulget.—*Satur.* Quia maxime a cibo somnus solet obrepere.—*Irriguo.... somno.* Somnus enim irrigat et humectat. Consentiunt in hoc cum medicis et philosophis poëtæ etiam. Homerus:

Ἔνθα μνηστήρεσσιν ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.

Lucretius, lib. IV, et Virgilius passim. Translatum est a plantis; quæ irrigatæ crescunt: ita homines somno dediti solent *turgescere*, et obesi ac pingues fieri. Saginat enim quies: unde, hoc loco, recte, *mavult turgescere.* C.

57. *Hic campo indulget.*] Hic se dat ambitioni, et quærendis honoribus, qui obtinentur et dantur per suffragia, in campo Martio; ibi enim comitia habebantur creandis magistratibus. Cùm autem in eodem campo Martio Romana juventus variis ludis et decursionibus exerceretur, alii interpretantur sic: hic gaudet exercitiis in campo Martio habitis. — *Hunc alea decoquit.* Rem familiarem exedit facultatesque illius absumit. De *alea* vide Juvenal. sat. I, v. 88, et Persium sup. sat. III, v. 48. A.

58. *In Venerem est putris.*] Ille voluptati Venereæ indulget nimium; unde *putris est*, id est, corpus habet continuo Veneris usu effeminatum et exhaustum; immo corruptum et putidis morbis obnoxium, quod Græci vocant σήπεσθαι et τήκειν. Menander: ἐσθίοντα καὶ λέγοντα· σήπομαι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς. Vet. auctor apud Stobæum: ὁ Διογένης τοὺς πολλοὺς ἔφασκε ζῶντας μὲν ἑαυτοὺς σήπειν λουτροῖς τέγγοντας, κἀφροδισίοις τήκοντας.—*Sed cùm lapidosa chiragra.*

V. 56. *Turgescere.* Cod. Fauchetii, *torpescere.*

V. 58. *In Venerem est putris.* Vet. schol. Casaubonus, Schrevel. *in Venerem putret.* Codices omnes nostri, *putris.* In nonnullis *est* vacat.

Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi, jam seri, vitam ingemuere relictam.

Quis sit voluptatum fructus ostendit, scil. *lapidosa chiragra*, ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς, Gall. *la goutte*, quæ est quasi manûs vinculum seu captatio. Hanc lapidosam vocat, ob lapides qui in articulis concrescunt. « Horum, inquit « Casaub. tanta copia in affectis « partibus aliquando generatur, « ut prodigii similis res sit. Vive- « bat non procul ab Urbe, cùm « hæc scriberem, vetus quidam « arthriticus, e cujus corpore « (exibant autem ex omnibus « partibus) plus vel exciderat, « vel extractum fuerat lapidum, « quàm quantum ipse penderet. »

59. *Fregerit articulos.*] Dissolverit juncturas et membrorum nodos. Nam digiti, his lapidibus, quandoque distorquentur, et quasi franguntur.—*Veteris ramal. fagi.* Brevis similitudo, quâ comparat hominem vetulum fago annosæ et emorienti, cujus rami rigent et arescunt. Non male, secundum philosophos, qui docent hominem similem esse arbori inversæ, cujus caput, seu potius nervorum fasciculus in cerebro contentus, radicum partes agit, cujusque τὰ κῶλα, brachia et pedes ramos referunt; quod systema, nostris temporibus, explicavit recens quidam doctor medicus, in opere cui titulus est: *la Cranologie du docteur Gall.* A.

60. *Tum crassos transisse dies.*] Tum dolent, ingemiscunt annos vitæ per voluptates anteactæ. — *Crassos dies*, et *lucem palustrem*. Quidam figurate accipiunt, pro diebus in crassis tenebris et virtutum aut veritatis ignorantiâ, item in libidinum sordibus ac luto anteactis: alii simpliciter his volunt notari umbram balneorum et similium nequitiæ ac mollitiei sedium. Prior interpretatio magis placet. *Crassus dies*, tempus in aëre crasso actum, qualis est aër vaporariorum et omnium locorum, quos sol radiis suis non illustrat. *Lux palustris.* Proprie est impurus ille aër, qui in locis palustribus videtur; et ea lux opponitur Soli puro, quo fruuntur qui in illis voluptuosis locis non morantur. C.

61. *Et seri.*] Sed serius. Τὸ *seri*, nomen pro adverbio. Ἑλληνικῶς. — *Vitam ingemuere relictam.* Quin etiam vitam illam miseram, quæ post membra amissa illis superest, ingemiscunt. A. — *Et sibi, jam seri, etc.* « Non vitam a se relictam, « sed vitam relictam illis a Diis: « non, ut Dryden, *his past years;* « sed, ut Sélis, *leur vie qui dure* « *encore*. Totius loci hujus harmo- « nia (*mercibus hic Italis.... inge-*

V. 60. *Transisse.* Cod. noster, et Colbert. V, n° 8293, *traxisse.*

V. 61. *Seri.* Cod. Colbert. V, *sero.* In septimo lib. Saresberiensis legitur *miseri;* ita et in Bongarsii cod. minus bene.

At te nocturnis juvat impallescere chartis:
Cultor enim juvenum, purgatas inseris aures
Fruge Cleantheâ. Petite hinc juvenesque senesque

« *muere relictam.*) Juvenale, immo, « Virgilio ipso dignissima est. » *Eq. Croft.*

62. *At te nocturnis.*] Cornutum dissimilem illis hominibus supra memoratis ostendit.—*Impallescere chartis.* Vid. ad Juven. VII, 97. A.

63. *Cultor enim juvenum.*] Colis enim juvenum animos, γεωργεῖς γὰρ τὰ τῶν νέων ἤθη. — *Purgatas inseris aures.* Primum, ut peritus colonus, a vitiorum sentibus et vepribus eos purgas; deinde fruge inseris moralis philosophiæ stoicorum. Translatio a cultu agrorum ad animi cultum usitatissima. M. Tull. Tusculan. II: *cultura animi philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferunt.* C.

64. *Fruge Cleantheâ.*] Philosophiâ morali, quam Cleanthes, Zenonis discipulus et successor, docuit. De Cleanthe, vid. ad Juvenal. sat. II, v. 7. — *Aures inseris fruge Cleantheâ.* Variata per hypallagen locutio: non enim arva serimus in fruge; sed, frugem in arvis: ita, et in auribus fruges, id est, disciplinæ inseruntur, non frugibus aures. — *Petite hinc.* Id est, e philosophia stoica, et præsertim e Cornuti disciplina. C. et P. — Aliter in notis suis ad interpretationem abbatis *Le Monnier*, hunc locum explicabat *Diderot*. « Voici ce que vous leur dites (hæc phrasis in contextu non est.): c'est dans cette étude que vous trouverez, et dans l'adolescence et dans l'âge avancé, le but fixe que vous devez vous proposer, et des provisions pour la fin de votre carrière. *Porro suam interpretationem ita commendat.* Cornutus que Perse introduit ici fait leçon à la jeunesse, lui recommande de puiser dans l'étude de la philosophie des conseils également utiles à leur âge et à un âge plus avancé, soit pour connaître le vrai but de leurs actions, etc.... Dire que Perse parle ici, c'est, je crois, une erreur. Croire que celui qui parle, soit Cornutus, soit Perse, s'adresse à des jeunes gens et à des vieillards, je ne doute point que ce ne soit un contre-sens. *Et infra addit:* Cornutus parle ici. Voici ce qu'il dit aux jeunes gens à qui il prêche le stoïcisme; et le discours de Cornutus faisant leçon, dure jusqu'à l'endroit où Perse lui dit: cela est fort beau; mais allez prêcher cela à nos centurions bouffis. » Non ingenua mihi videtur hæc opinio, nec

V. 63. *Cultor enim juvenum.* Ita restituimus ex nostris codd. Vet. schol. et post eum recentiores editores, præter Lubin. et Prateum, habent *cultor enim es juvenum.* Tò *es*, ingratum et inutile nobis videtur.

Finem animo certum, miserisque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? Quasi magnum
Nempe diem donas? Sed, cùm lux altera venit,

apta visa est abbati *Le Monnier*, qui Casauboni et præcedentium interpretnm explicationem secutus est. Porro videat lector.—*Juvenesque senesque*. Supra cit. viro docto *Diderot* assentior, quod ad interpretationem horumce vocabulorum *juvenesque senesque* attinet. Persius alloquitur juvenes, et ait: *petite hinc*, id est, e philosophia Cornuti vel stoicorum, præcepta quibus utamini, et in juventute, et in senectute; *finem animo certum*, *un but sage et assuré*, qui *miseris canis*, vobis vetulis, sit *viatica*. Alii interpretes hæc, *juvenesque senesque*, explicant, quasi Persius alloqueretur juvenes et senes: male, meo judicio. A.

65. *Finem animo certum.*] Philosophiæ moralis princeps quæstio est de stabiliendo recto fine. Sed, ante, ad sat. III, dictum satis. —*Miseris viatica canis.* Hinc petite dum potes præsidia adversus ea mala quibus est senectus obnoxia; est enim ἡ παιδεία κάλλιστον τῷ γήρᾳ ἐφόδιον. C.

66. *Cras hoc fiet.*] Hæc διαλογικῶς. Cras hoc fiet, ait unus ex his quos ad philosophiæ studium modo adhortatus erat. Procrastinatio autem fatale malum juventutis, quæ ne cogitat quidem in jactura temporis quantum damnum fiat; unde illud familiare stoicis præceptum, *parce tempori:* unde quoque Nigrinus Platonicus, ut refert Lucianus, solitus suis discipulis inculcare, Ἠξίου ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὸ καλὸν ὁρμήν. — *Idem cras fiet.* Excipit Persius. Idem cras dices et facies. Martialis, lib. V, epig. 59:

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quàm longe est cras istud! ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos:
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Posthume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri. C.

— *Quid? quasi magnum, etc.* Respondet ignavus. Tantine est vel unam differre diem, quin et largiri dubites? Sic juvenes, cùm admonentur ut vitia corrigant, studiaque virtutis et litterarum suscipiunt, diem ex die ducunt. Nam quis dies unus vitæ vel modicæ pars multesima est; ideo jacturam unius diei pro nihilo pendunt; quod hîc vehementer Persius reprehendit. C.

67. *Sed cùm lux altera venit.*]

V. 66. *Cras hoc fiet. Idem cras fiet.* Cod. Fauchetii: *cras hoc fiet. Idem cras fiat.*

V. 67. *Sed cùm lux altera venit.* Cod. noster: *sed jam lux altera venit.* Non male certe, et forte vividius.

Jam cras hesternum consumpsimus : ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,

Atqui, ait Persius, cras istud quod petis tibi dari totius vitæ perniciem trahit : nullus enim finis; atque, ut hodie dicis, cras faciam; ita, sequenti die, cras faciam, dices, et item tertiâ, ac deinceps per omne tuum ævum. Sen. de Brevit. vit. *Maximum vivendi impedimentum est expectatio quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum; quod in manu fortunæ positum est disponis; quod in tua dimittis.* C.

68. *Ecce aliud cras egerit hos annos.*] *Egerit*, ab *egerere*, non ab *ago*, id est, expellit. Una igitur dies, inquit Persius, integros annos trahit procrastinando, exhaurit, paulatim absumit. Horat. lib. II, od. 18 :

Truditur dies die,
Novæque pergunt interire lunæ. P.

Pulcherrimum quoque ad hoc venit proverbium Judæorum magistris usitatum : *qui protrudit horam, hora protrudit eum.* C.

69. *Et semper paulum erit ultra.*] Paulatim ætas irrepet, et propius ad metam accedes.

70. *Nam quamvis prope te, etc.*] Convenientissimâ similitudine, quam lectori reliquit aptandam, rei de qua agitur, procrastinos istos nunquam ad diem illum quem virtuti amplectendæ constituerunt perventuros esse ostendit : sensus ergo est : quemadmodum, cùm currit quatuor rotarum currus, posteriores rotæ, etsi minimo intervallo sejunctæ a prioribus, numquam tamen illas consequuntur; sic, tu, ὦ ἀμβολιεργὲ, qui studia tua in crastinum semper differs, illum qui te his studiis admovebit numquam assequeris diem, quanquam illi sis proximus. De rotis idem fere Symphosius in ænigmatibus :

Quatuor æquales currunt ex arte sorores
Sic quasi certantes, cùm sit labor omnibus unus;
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

— *Prope te.* Dies enim hodierna crastinæ conjuncta est. — *Temone sub uno.* Totum enim vitæ tempus diebus continuis comprehenditur : hodie et cras pariter se consequuntur, et uni vitæ spatio annectuntur, sicut temoni axis prior et posterior. Hîc, *temone sub uno*, sumitur pro curru ipso. C. et P.

71. *Canthum.*] Priorem rotam nunquam attinges. — *Canthus.* Συνεκδοχικῶς, pro rota. Circulus est ferreus quo rotæ orbile seu curvatura cingitur. Gall. *la jante.* Eâ voce ante Persium nemo usus

V. 68. *Jam cras hesternum consumpsimus.* In quinto Aeneid. lib. apud Servium legitur : *jam cras hesternum, heu! consumpsimus.* Non male certe.

Cùm rota posterior curras, et in axe secundo.
Libertate opus est: non hâc, ut quisque Velinâ

erat. Ideo notatus hic locus antiquis criticis. Quintilianus, lib. I: *Barbarismum pluribus modis accipimus; unum gente: quale si quis Afrum vel Hispanum latinæ orationi nomen inserat. Ut ferrum quo rotæ vinciuntur, dici solet* canthus, *quanquam eo tamen recepto utitur Persius.* Post illum tamen eodem vocabulo usi sunt Martialis, lib. XIV, epig. 168, et alii auctores mediæ et infimæ latinitatis. A.

73. *Libertate opus est.*] Hic jam incipit primi et præcipui stoicorum paradoxi tractatio; scilicet, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος· οἱ δὲ φαῦλοι δοῦλοι: solum sapientem esse liberum, malos vero servos. Est autem aditus ad hanc disputationem, quæ secundam satiræ partem complectitur, et præceps satis et abruptus, cujus tamen partis hæc est cum præcedenti connectio: postquam suo proprio exemplo, et ex præceptis Cornuti fidissimi sui amici, et sapientissimi magistri juvenes hortatus est ad studia philosophiæ; postquam ostendit quantum damni afferat vel unius diei mora; eos paratos, per hypotesim nempe, inveniens, addit: at quisquis es, qui ad hunc tam honestum inceptum accingere te desideras, tibi *libertate opus est.* Inde libertatis civilis cum libertate sapientis, quam solam et genuinam agnoscunt stoici, subtiliter et elegantissime habita distinctio; servitutis cui obnoxius est ambitioni, avaritiæ, voluptatibus et mollitiei deditus homo eximia et apta descriptio: unde concludit, vel lectori colligendum offert, neminem liberum nisi sapientem; stultum autem et improbum (nam in mente stoicorum stultus idem ac improbus, sapiens idem ac vir bonus; vide Ciceronem, Paradox. V, Horat. lib. II, sat. 3) esse vel in sensu latissimo servum, ideoque ab aditu philosophiæ merito arcendum, donec se vindicaverit in libertatem, vitiorumque a servitute se omnino exemerit, quæ purgatio necessaria prorsus est, priusquam aures ejus fruge Cleantheâ inserantur. —*Non hâc ut, etc.* Veræ libertatis definitio. Hujus propositionis commentarium dedit Tertull. de Resurrect. *Libertate opus est ad virtutem, inquit Persius, non eâ quâ servi donantur, et adscribuntur uni tribuum, puta Velinæ.* — *Quisque Velinâ.* Vet. schol. « Velina « tribus numero aliarum accessit: « et qui circa Velinum lacum ha« bitabant, Romam translati sunt. « Romæ autem erat consuetudo, « ut qui ex manumissione cives « Romani efficiebantur, in nu« mero civium Romanorum fru« mentum publicum acciperent. »

V. 73. *Non hâc, ut quisque Velina.* Ita optimi et vetustissimi codices. Noster habet, *non hâc, quâ, etc.* Ita Pithoei cod. 8072, et 8273. Codd. 8050, 8246, 8293, *non hâc quàm, etc.* At vid. commentarium.

Publius emeruit, scabiosum tesserulâ far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa, et lippus, et in tenui farragine mendax;

Deest autem relativum *quâ* ante illa, *ut quisque Velina*. Nusquam, ait Casaub. in manu exaratis ea voecula reperitur (falso: nam reperitur *qua* in codice nostro, in Pithoeano, et *quam* in tribus aliis) cujus ellipsis est familiaris Hebrææ linguæ, Græcæ autem et Latinæ minus.—*Ut.* Pro *ubi.* Ita, ordo est: *non hâc Velinâ*, quâ (subauditur) *quisque Publius, ubi emeruit*, id est, ubi liber factus est, possidet far scabiosum.—*Libertate Velinâ.* Id est, libertate ab hero vel a Prætore data, per quam in tribum Velinam ingressus est. A.

74. *Publius emeruit.*] Quasi tempore servitutis exacto, libertatem merito suo consecutus, patroni sui prænomen assumpsit (quod prænomen nullus servus habebat); et dictus est, verbi gratiâ, *Publius Licinius.*—*Emeruit.* Metaph. a militibus, qui post certum tempus, vel honesta aliqua de causa *missionem* consecuti sunt, et immunes fiunt deinceps a bellando. — *Scabiosum.... far.* Immundum, putre, gurgulionibus exesum et corruptum. — *Tesserulâ.* De tessera sive tesserula, vide quæ notavimus ad Juven. sat. VII, v. 74. P.

75. *Quibus una Quiritem vertigo facit.*] Vet. schol. « Quos manu« mittebant, eos alapâ percussos « circumagebant (inde, hoc loco, « *vertigo*, περιδίνησις et περιστροφή, « cùm manumittendus dextra pre« hensus a domino in orbem ro« tabatur), et liberos confirma« bant. Quiritem autem singula« riter abusive dixit licentiâ poë« ticâ. Nam sicut Pater Conscri« ptus non dicitur, ita nec *Qui« ritem dicere possumus.* » *Quiritem* hic pro liberum posuit: neque reprehendit eos qui manumissos pro civibus, et, jure Quiritium, liberis haberent; sed qui hanc unicam corporis scilicet libertatem ἁπλῶς ducentes, animi libertatem pro nihilo penderent. C.

76. *Hic Dama est, etc.*] Quam absurda sit horum supra memoratorum opinio, brevi hypotyposi ob oculos ponit: Viden' tu, ait, hunc servulum Damam? quid hodie tibi est? Homo nullius pretii, lippus, vappa, mendax, etc. Hunc verterit dominus, id est, manumiserit; repente fit Marcus Dama, et liber ab insanis omnibus creditur. — *Dama*, nomen servi, Δημᾶς, ut Mena Μηνᾶς, etc. —*Non tressis agaso.* Ne trium quidem assium æstimandus.—*Agaso.* Equorum vel asinorum ductor, ab ἄγω, ἀγάζω, ἀγάζων, Latinis, *minare.* C.

77. *Vappa.*] Proprie vinum cor-

V. 77. *Vappa et lippus.* Codd. Thuan. Fanchetii, et alii permulti, *vappa, lippus.* Nonnulli, et noster, *vappaque lippus.*

Verterit hunc dominus? momento turbinis, exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ita est. Adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas! hoc nobis pilea donant!

ruptum: ab Horat. et Persio pro nebulone sumitur. — *Lippus.* Imperitus, animo cæcutiens, similis ei qui lippos habet oculos. — *Et in tenui farragine mendax.* In administratione peculii, vel alicujus rei, sicuti *farraginis*, pabuli jumentis distribuendi, mendax et fraudulentus. — *Farrago. Est*, inquit Festus, *quod ex pluribus satis, pabuli causâ, datur jumentis.* Idem fere Varro de Re Rusticâ, lib. I, cap. 31. Vid. ad Juven. sat. I, v. 86. A.

78. *Verterit hunc dominus.*] Manumissurus servum dominus coram prætore eum sistebat; mox in orbem circumactum dimittebat, ac suæ velut relinquebat potestati, his verbis: *Hunc liberum esse volo.* Alex. ab Alex. lib. IV, cap. 10.—*Momento turbinis.* Puncto illo temporis quo *turbo* ille, vel gyrus et circumactio fit. A.

79. *Marcus Dama.*] Statim ut libertate donati essent servi, prænomen assumebant, ac præsertim prænomen et nomen domini sui. *Marcus* autem erat prænomen quo nobiles Romani maxime jactarent: nam, ut ait Horat. lib. II, sat. 5:

. . . . . Gaudent prænomine molles
Auriculæ. . . . .

Quam vanitatem irridet Persius frequenti illâ repetitione nominis *Marcus.... Marco.... Marce....* — *Papæ! Marco spondente recusas, etc?* Admiratio ironica. Tam bono nunc sponsore, an recusas pecuniam credere? A.

80. *Marco sub judice palles?*] Cùm sit nunc vir probus et judex integerrimus, tu nihilominus times in judicium venire! « Obiter vero, inquit Casaub. Persius indignationem suam prodit, quod pateret illâ ætate judicum ordo etiam libertis, solerentque ex iis judices legi. »

81. *Marcus dixit: ita est.*] Αὐτὸς ἔφα, ut de Pythagora. Insignis et turpis adulatio, cujus vide exempla apud Theophrast. cap. περὶ κολακείας. — *Assigna, Marce, tabellas.* Suscribe et signa testis rogatus. Apud Romanos adesse oportebat testamentis et suscribere ac signare septem testes, qui cives essent Romani et puberes. Ut habetur lib. XXI, paragraph. 1 D. de Testamentis. P.

82. *Hæc mera libertas!*] Scilicet, addit poëta, hæc est libertas mera

V. 78. *Momento turbinis.* Codd. plerique *momento temporis:* sed hæc lectio glossam redolet.

V. 82. *Hoc. Hæc* pro *hoc* habent codd. multi, inter quos Colbert. I, Pithoeus II, noster et alii. At parum interest. Ed. vet. Britannici, *hanc:*

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior Bruto? Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.

quam tu genuinam agnoscis? Hoc ironice legendum. Quidam hunc versum sequentibus aptandum censent; ita, ut a liberto quovis poëtæ respondente sit dictus. Ego autem eumdem et a poëta ipso allatum puto; et est conclusio ironica. Jam supra dixit: *heu, steriles veri, quibus una Quiritem vertigo facit!* Dama est servus nullius pretii, vappa, lippus, etc. verterit hunc dominus, statim fit Marcus Dama, id est, tuo judicio, liber et civis, quin etiam et sponsor, et judex, et testis fiet, et tamen nihilominus vappa, lippus et nebulo est: en igitur ista libertas quam nobis pilea donant! A. — *Hoc nobis pilea donant!* Servi, nudo capite, promissis capillis incedebant: at, cùm manumittebantur, raso capite, insigne libertatis pileum accipiebant in templo Feroniæ libertatis Deæ. Pileum autem fuisse insigne libertatis omnibus notum; et ex nummis etiam colligitur, præsertim ex numm. familiæ Juniæ, in quibus, ex adversa parte, pileus inspicitur impositus duobus pugionibus, quibus significatur vindicata ferro libertas. Vide Vaill. famil. Rom. P. et A.

83. *An quisquam est alius liber.*] Hic, Marcus Dama, vel quivis alius argumentari audet et syllogismo probare se liberum esse. Is autem est syllogismi ordo: nonne iste liber est, cui ducere vitam licet, ut voluit? Atqui licet, ut volo, vivere: ergo sum liberior Bruto. A

85. *Mendose colligis.*] Responsio poëtæ. Propositionem admittit, scil. definitionem libertatis, quæ *est potestas vivendi ut velis*, ait Cic. Paradox. V, item offic. I. Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, Epict. apud Arrian, lib. II et IV, cap. 1; sed *assumptionem*, seu collectionem rejicit, scil. atqui *licet, ut volo, vivere.* In syllogismo assumptio (minor) est ea pars quæ propositionem generalem (majorem) cuivis subjecto proprîam applicat: ea quoque pars dicitur *collectio;* unde hîc, *mendose colligis.* A.

86. *Aurem mordaci lotus aceto.*] Acri judicio simul et dialecticâ subtili instructus.—*Aurem.... lotus.* Ut supra, *purgatas aures.*—*Aceto.* Pro acrimonia judicii.

quam lectionem receperunt Pratens, Lubinus, Farnab. Wedderburnus, Tornorupæus, etc. non male quoque, sed sine auctoritate.

V. 84. *Sum.* Restitui ex omnibus codd. Vet. schol. et post hunc recentiores, *sim.*

Hæc reliqua accipio; *licet ut volo vivere* tolle.
Vindictâ postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas,
Excepto si quid Masurî rubrica vetavit?

87. *Hæc reliqua accipio.*] Admitto libertatis definitionem in propositione contentam; applicationem vero nego. — *Licet, ut volo, vivere tolle.* Assumptionem tolle, hanc enim respuo; et paucis evincam, te non vivere ut vis, et ut libet; te contra agi et rapi quocumque trahunt cupiditas, libido, aliaque vitia: unde servum te contendo, liberum nego. Horat. lib. II, sat. 7:

Tu mihi qui imperitas, aliis servis, miser, atqne
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibique imperiosus.

Boileau, sat. VIII, de homine:

Ce roi des animaux, combien a t-il de rois?
L'ambition, l'amour, l'avarice, la haine,
Tiennent, comme un forçat, son esprit à la chaîne. P. et A.

88. *Vindictâ postquam meus, etc.*] Instat Marcus Dama, et assumptionem negatam probare nititur ex adjunctis; scilicet, quòd a prætoris virga fuerit manumissus: at simul superiorem syllogismum corrigit. Posuerat: liber est cui licet ut vult vivere; nunc ita emendat se: liber est cui licet vivere ut vult, nisi quid leges impediant. Justinian. *Libertas ex qua etiam liberi vocantur, est naturalis facultas, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur.* Libertus autem libertatem simpliciter civilem intelligit; Persius vero libertatem animi quam solam reputat hoc nomine vocandam. Hoc in ea satiræ parte sedulo advertendum. — *Vindictâ.* Virgâ quâ prætor servi manumittendi caput tangeret. Sic Græci jurisconsulti: Βενδίκτα ἡ ῥάβδος μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ Πραίτωρ τὴν τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες, ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ. — *Meus.* Id est, liber, mei juris. C.

90. *Masurî rubrica.*] Vet. schol.

V. 87. *Hæc reliqua accipio.* Ita codd. omnes. — *Licet ut volo vivere, tolle.* Restitui ex Britannico, Lubino, Wedderburno, et tribus codd. Hunc igitur versum ita legimus:

Hæc reliqua accipio; *licet ut volo vivere* tolle.

Et ea lectio præstantior videtur; ut sit sensus: contendis eum esse liberum cui licet vivere ut vult: atqui dicis te vivere ut vis: ergo te liberum nuncupas. Propositionem admitto; consequentiam nego: tolle tuum *licet ut volo vivere.* Alii cum vet. schol. legunt:

Hoc reliquum accipio; *licet* illud, et, *ut volo*, tolle.

Disce : sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.

« Masurius autem hic Sabinus « legisconsultus fnit. » Eques erat Romanus, Tiberii Imperatoris tempore, doctrinâ clarus; cæterum valde pauper. Hujus meminit A. Gell. lib. V, cap. 19, et Athenæus, lib. XIV. — *Rubrica.* Idem vet. schol. « Rubricas voca« ri minium quo tituli legum an« notabantur. » Hinc, *rubrica* pro lege ipsa sumitur. De hac voce, vid. quæ notavimus ad Juven. sat. XIV, v. 192. P.

91. *Disce: sed ira cadat.*] Responsurus ad superiorem argumentationem, nititur προθεραπεία, et libertatem responsionis deprecatur.—*Ira cadat naso*. Theocritus, idyll. I, Pana iratum depingens ait :

.... Δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

— *Rugosaque sanna.* De sanna, vid. sup. sat. I, v. 76. C.

92. *Dùm veteres avias, etc.*] Opiniones falsas, errores quales forte de libertate avia pridem tua tibi inculcavit. *Veteres avias* Casaub. intelligit opinionem nobilitatis et arrogantiam ventosam cujus sedes in pulmone. Sed vana videtur hæc explicatio: nam, præterquam quòd hic Persius libertum alloquitur, nulla de nobilitate aut nobilibus quæstio est per totius satiræ reliquum. A.

93. *Non prætoris erat.*] Quòd confugis ad prætoris auctoritatem, erras. Prætor, quod suum erat, fecit : nexu illo juris civilis te liberavit, quo in servitute corporis tenebaris. Illud nego potuisse prætorem efficere, ut tu, qui sapiens non es, sed stultus, veram sapientiam consequereris: ea porro est animi libertas quam sola philosophia possit conferre. — *Stultis.* Apud stoicos, *stulti omnes servi*, ut jam diximus, v. 73 : item, *insaniunt omnes præter sapientem.* — *Dare tenuia rerum officia.* Scelera et majora flagitia vetant quidem leges; *officia* antem *rerum*, servanda in rebus agendis officia non docent leges, nisi παχυμερῶς et στοιχειωδῶς : Philosophi vero accurate explicant, quæ boni viri sint officia, in omni re, etiam minima; puta, victu, vestitu, incessu, aliisque minutioribus : nulla enim pars philosophiæ quæ latius pateat, quàm locus de officiis. C.

94. *Atque usum rapidæ permittere vitæ.*] Non erat prætoris officium tibi conferre magnam artem vivendi, atque bonum usum vitæ tam brevis : namque discernere rectum vitæ rerumque usum, quid fugiendum, quid indulgendum sibi et aliis, hæc est scientia lubrica, ardua et minutissima, quam non dat vindicta prætoris, sed institutio recta ap. philosophum. Ex duobus autem his, scil. ex officiorum tenuiorum observatione, et ex bono vitæ ra-

Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

pidæ usn, certe pendent omnis vitæ libertas atque felicitas. A.

95. *Sambueam citius, etc.*] Faeilius inserneris crassis manibus hominis agrestis et inepti instrumentum musicum, et effeceris, nt id ex arte pulset, quàm ut Dama rationem sequatur et tenuia rernm officia nôrit, et præstet.—*Sambuca.* Vox Syriaca, musicnm instrumentum significat triangnlaris formæ, quod Galli vocant *harpe*, Græci Latinique lyram et citharam. Athenæus, lib. IV, cap. 23. *Sambucam* lyrophœnicem vocari ait, ejnsque inventorem fuisse Ibycum Rheginum; et, lib. XIV, cap. 8, acntum csse ejus sonum; primo fidibus quatuor tensum fuisse; et, cap. 9 ejusdem libri, sambucâ primam usam fuisse Sybillam, atque ita vocatam a Sambyce quodam. Ejus instrumenti meminit Daniel propheta, cap. 3, Vitruv. lib. VI, Spartian. in Adriano, etc. Est etiam *sambuea* instrumentum belli oppugnandis urbibus idoneum, quod funibus intenditur, nt chordis cithara, unde nomen de co Vitruv. lib. X, Plut. in vita Marcelli, Polyb. lib. VIII, Lips. Poliorcet. lib. I, dialogns 6, Vegetius et alii. Scilicet e turre prope urbem obsessam exstructâ, trabs ingens, funibus ac trochleis ad muros laxata, erat pro ponte, et per eam transeuntes milites urbem invadebant. Fabricam ejus ac formam ab Heraclide quodam Tarentino inventam testis est Athen. lib. XIV, cap. 8. —*Caloni.* Calo proprie servus militum, Græca voce, qnia κᾶλα, id est, ligna et alia necessaria procurabat.—*Alto.* Quia plernmque altâ sunt statnrâ isti homines, et sæpius stulti ct bardi ingcnii. Aristot. in Physiognom. οἱ ἄγαν μεγάλοι βραδεῖς. P.

96. *Stat eontra ratio.*] Contra rationem est, nt medicus fabrilia tractet, aut faber τὰ ἰατρικά: idem in omnibus artibus: stultum est exigere a quoquam, nt apte agat quod non didicerit; stultum adeo non minns sperare, te servum et animo et corpore, quin et nebulonem, vitæ beate degendæ rationem a prætore statim cum libertate corporis accepturum.—*Et seeretam garrit in aurem.* Intus, in animo suæ indolis conscio, reclamat ac monet Damam semper esse Damam, id est, servum eum semper esse et abjectum; ideoqne *ne liceat illi facere quod, etc.* C. et P.

97. *Ne liceat facere, etc.*] Ne liceat Damæ illi arti immiscere se quam nesciat. Alludit ad proverbinm. Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη

V. 95. *Sambueam.* Cod. noster, *sambuca*, male.

V. 96. *Garrit.* IX codd. et noster, *gannit.* Ita vet. edit. Brit. Lnbinus, Wedderb. Alii et antiquiores, *garrit.* At parvi interest.

Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis elleborum, certo compescere puncto
Nescius examen : vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perîsse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo

τέχνην. — *Quod quis vitiabit agendo.* Quod quis agendo contaminat et fœdat, ut si quis medicus fabrilia tractet. C. et L.

98. *Publica lex hominum.*] Expolitio prioris sententiæ : non id continetur *rubricâ Masurî*, sed nata lege nobiscum : adeoque in hoc consentiunt omnes, quod et natura ipsa jus esse ostendit ; scilicet, ut *inscitia debilis*, etc. A.

99. *Ut teneat vetitos, etc.*] Ut *debilis inscitia*, id est, ut cujuscumque artis imperitus, et propterea impotens ad illam exercendam *teneat vetitos*, id est, habeat pro vetitis ac sibi interdictis *actus* quos nescit, vel quos suâ imperitiâ fœdaret. C.

100. *Diluis helleborum.*] Ad exempla redit. Nemo ferat quæ sunt medici agere eum qui non sit medicus. — *Certo compescere puncto.* Spectat ad pondus vel quantitatem hellebori quam nescit. A.

101. *Natura medendi.*] Pro medica arte, quia ars naturam imitatur et adjuvat, vel potius ipsa secunda est natura.

102. *Navem si poscat, etc.*] Alterum exemplum ab imperito rei nauticæ. Dio Chrysostom. in X. Ὃς ἂν ἐπιχειρῇ πηδαλίῳ χρῆσθαι, οὐκ ἐπιςάμενος κυβερνᾷν, ἐςὶν ὅπως οὐκ ἂν τάχιςα ἀνατρέψας τὴν ναῦν αὐτόν τε ἀπολέσειε καὶ τοὺς ἐμπλέοντας. — *Peronatus arator.* Peronibus, qui sunt calcei rustici e crudo corio, indutus arator. Vid. Juvenal. sat. XIV, v. 186. C.

103. *Luciferi rudis.*] Id est, totius cœlestium θεωρίας ignarus : nam, qui rudis est Luciferi, stellæ Veneris, et alia astra certe nescit. — *Melicerta.* Ὁ τυχὼν, quivis. Sed Melicertam ideo posuit, qui unus est e Diis marinis, quia navigantibus nulli occurrunt alii quàm Dii maris aut Tritones. — *Perîsse frontem de rebus.* Totam naturam rerum impudenter esse perversam. *Frons* autem pudoris sedes. Hîc pudor ipse. Theognis :

Αἰδὼς μὲν γὰρ ὄλωλεν, ἀναιδείη δὲ, καὶ ὕβρις
Νικήσασα δίκην, γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει.

— *De rebus.* Valet hîc, ex hominum societate ac commercio. C.

104. *Tibi recto vivere talo ars dedit?*] Postquam Persius docuit unde libertas vera deberet neque exspectari neque peti, subjicit ejus parandæ veram rationem : ea autem nihil aliud est, nisi philosophia, quam vocat artem κατ' ἐξοχήν : est enim illa ars su-

Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,
Illa prius cretâ, mox hæc carbone notâsti?
Es modicus voti, presso Lare, dulcis amicis?

pra omnes artes, quæ doceat vitam recte beateque degere: quare passim Ciceroni, Senecæ aliisque *ars vitæ* dicitur et *lex vitæ*. *Philosophia*, inquit Seneca, *nihil aliud est quam recta vivendi ratio, vel honeste vivendi scientia, vel ars recte vitæ agendæ. Non errabimus si dixerimus, philosophiam esse legem bene honesteque vivendi. Et qui dixit illam regulam vitæ suum nomen illi reddidit.* Epicteto: ἐπιςήμη τοῦ βιοῦ, ut in his e lib. III, quæ ad Persii disputationem apprime faciunt: τί ἐςι τὸ ποιοῦν ἀκώλυτον τὸν ἄνθρωπον καὶ αὐτεξούσιον; πλοῦτος γὰρ οὐ ποιεῖ, οὐδ' ὑπατεία, οὐδ' ἐπαρχία, οὐδὲ βασιλεία· ἀλλὰ δεῖ τι ἄλλο εὑρεθῆναι· τί οὖν ἐςι τὸ ἐν τῷ γράφειν ἀκώλυτον ποιοῦν καὶ ἀπαραπόδιςον; ἡ ἐπιςήμη τοῦ γράφειν. Τί δ' ἐν τῷ κιθαρίζειν; ἡ ἐπιςήμη τοῦ κιθαρίζειν· οὐκοῦν καὶ ἐν τῷ βιοῦν, ἡ ἐπιςήμη τοῦ βιοῦν. — *Recto vivere talo.* Id est, bene agere in omnibus rebus. Metaphora petita ab iis quibus pedes obtorti aut claudi sunt, nec possunt recte incedere. Græci dicunt ὀρθοποδεῖν ἐν τῷ βιῷ (in eodem sensu Galli, *marcher droit*). C.

105. *Ars.*] Philosophia, quæ vitæ magistra, lex, regula passim vocatur. Vid. notam præcedentem. — *Et veri speciem, etc.* Nam, ait Ovidius:

Et mala sunt vicina bonis; errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Et primus ad sapientiam gradus, est cognitio honesti atque distinctio speciei ab ipso vero. P.

106. *Ne qua subærato, etc.*] Possisne discernere, an aliqua subsit species falsa (hypocrisis), quæ mendosum tinniat, auro subærato. Similitudo a nummo adulterino, in quo, sub aliqua auri superficie, æs absconditum dignoscitur ex sonitu rauco et absurdo. — *Mendosum tinniat.* Sicut enim solida virtus *sincerum crepat*, ita falsa *maligne respondet*, ut ante dixit Persius, et *mendosum tinnit.* — *Mendosum*, pro *mendose.* — *Tinniat.* Vox propria metallis quæ sonum eorum exprimit. P.

107. *Quæque sequenda, etc.*] Hi sunt duo vitæ honestæ cardines, declinare a malo, et operari bonum. P.

108. *Illa prius cretâ, etc.*] Pythagoras dicebat ea quæ candidi essent coloris, ad naturam boni pertinere, quæ vero atra et nigra ad naturam mali. Sat. II, v. 1. P.

109. *Es modicus voti.*] Servasne illud sophi, Μηδὲν ἄγαν? —

V. 105. *Speciem.* Codd. nostri habent *specimen*, præter Mazarin. Colbert. II, III, V, et duo alii qui legunt *speciem.*

V. 109. *Es modicus voti.* Ita codd. pars maxima. Nonnulli habent, *et*

Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes,
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?

Presso Lare. Rebus domi angustis, et parva æde contentus? esne modicus in votis, frugalis in vita? — *Dulcis amicis.* Eamne virtutem habes, quam in medio collocamus αὐθαδείας et ἀρεσκείας, et φιλίαν vocamus? C.

110. *Jam nunc astringas, etc.*] Esne cum ratione et sine avaritia parcus et modicus; at contra, cùm res poscit, liberalis et magnificus; uno verbo, æque prudens ac sapiens, ἐν λήψει καὶ ἐν δόσει? A.

111. *Inque luto fixum, etc.*] Nullumne avaritiæ et sordium in te signum apparet; et adeo es excelsi animi, ut, in trivio fixum in luto a pueris nummum, ut sordidos cognoscant et irrideant, possis transcendere ac præterire? Ita Lubinus: at melior mihi Casauboni interpretatio videtur. Is es tu, qui possis contemnere lucrum turpe et quod lutulet? Hinc, *Luteum lucrum* apud D. Augustin. V. Confess. A.

112. *Nec glutto sorbere, etc.*] « Non solum, inquit idem Casaub. « αἰσχροκερδὴς non es; sed φιλο- « κερδὴς quidem. Hæc diversa « sunt; sed, quæ se mutuo fere « consequantur. Nam qui lucrum « amant, non multum solliciti « sunt unde illud adveniat, modo « veniat. — *Glutto sorbere salivam.* « Qui avide gluttit. Gluttus est « pars colli, quâ cibi transmit- « tuntur. Ficta vox per onoma- « topœiam; nam *glut* est imitatio « soni, quem edit liquor per an- « gustum tramitem means. Vet. « poëta de rustico ebrio:

« Percutit et frangit: vas vinum defluit: « ansa
« Stricta fuit: *glut*, *glut* murmurat « unda sonans. »

— *Salivam Mercurialem.* Mercurius lucri præses et Deus, quod omnibus notum. Hinc cupiditas devorandi lucri dicitur *saliva Mercurialis.* Metaphora ducta a gustu: quia, cùm objicitur cibus palato jucundus, catilloni præsertim et guloso, suboritur statim et affluit ad os ejus saliva ex appetitu lautitiarum, unde vetus illud proverbium Gallicum, *l'eau lui vient à la bouche*, quod festive satis expressit, nostris temporibus, poëta quidam dramaticus (*M. Monvel*, dans Raoul, Sire de Créqui), in his cantilenæ versibus:

Car en fait de fruit défendu,
Dès qu'on y pense, ou qu'on y touche (*bis*),
L'eau de suite en vient à la bouche (*bis*). A.

modicus voti. Puteanus, *os modicus voti*, male. Cod. Pithoei, n° 8072, *tu modicus presso voti lare;* mendose quoque.

V. 110. *Astringas.... laxes.* Cod. noster, *astringis.... laxas.*

Hæc mea sunt, teneo, cùm vere dixeris; esto
Liberque ac sapiens, Prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, cùm fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, et, fronte politus,
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.

113. *Hæc mea sunt, teneo.*] Postquàm sapientem ita, ut vidimus, adumbravit, concludit eum esse talem, cui hæc omnia vere contigerint; quique eadem in sua potestate merito se habere dicere potuerit. A.

114. *Prætoribus ac Jove dextro.*] Non solum Prætore volente, sed et etiam Jove ipso, qui libertatis auctor est certissimus, ideoque a Græcis ἐλευθέριος, a Latinis *liberator* nuncupatur, ut colligere est ex inscriptionibus vett. et numism. JOVI LIBERATORI. C. et A.

115. *Sin tu, cùm fueris, etc.*] Sin contra, cùm esses antea vitiosissimus et *Dama, etc.* veterem adhuc servas nequitiam, etc. — *Ejusdem farinæ.* Metaphora a panibus satis nota, etiam ex Gallico sermone. — *Nostræ.* Per modestiam dixit. P.

116. *Pelliculam veterem retines.*] Vet. proverbium erat Græcum, τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα φυλάττει, quo usus est Plato simillime, ut hîc Persius. Quod tamen poëta noster leviter mutavit, respiciens forte ad vernationem anguium, qui, vere novo, ponunt veterem pellem; quæ Græcis λεβηρὶς ac σύφαρ. — *Fronte politus.* Externâ quidem specie bonus, modestus, comis, ut sup. sat. IV, *nequicquam pelle decorus.* C.

117. *Astutam vapido servas, etc.*] Pravam indolem servas, ut ante vafer, versipellis, dolosus, similis vulpi astutiâ suâ notæ. — *Vapido sub pectore.* Metaphora a vino corrupto quod vappa dicitur. P.

118. *Quæ dederam supra repeto.*] Scilicet, ut esses sapiens ac liber: nam ea non nisi sub conditione dederam. — *Funemque reduco.* Habenas servitutis ante tibi laxatas et remissas reduco, retraho et inhibeo. Metaphora a canibus,

V. 116, 117. *Retines.... politus.... servas.* Cod. Puteanus hos versus ita refert:

Sin tu, cùm fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retinens, et, fronte polita,
Astutam vapido servans sub pectore vulpem.

Cæterum, multi codd. habent *polita*, pro *politus.*

V. 117. *Repeto.... reduco.* Codd Thuaneus, Colbert. I, Pithoei I et I, et duo alii, *relego.... reduco.* Cod. n° 8274, *retraho.... reduco.* Colbert. II, *repono*, pro *reduco.* Alii, ut nos.

Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas.
Et quid tam parvum est? Sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas; nec, cùm sis cætera fossor,

seu aviculis, quos, cùm aufugere, aut evolare paulo longius tentant, funiculo innexos revocamus. P.

119. *Nil tibi concessit ratio.*] Hic prolepsis est. Dama enim poterat objicere: non sum quidem in totum sapiens; sapiens tamen ego satis. Quam objectionem antevertit poëta, stoicæ scholæ decretum opponens, quæ pronuntiat, omnes qui non sunt sapientes esse stultos, nihil esse medium; peccata enim non distingui, sed æqualia esse. Vid. Senec. Epictet. M. Tull. et Stobæum. Quam doctrinam merito confutavit M. Tull. et festive ac satirice exagitavit Horat. lib. I, sat. 3, in his versibus:

Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut
  peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divûm sacra legerit.
  Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget
  æquas;
Ne scutica dignum horribili sectare
  flagello.

At vid. totam satiram. — *Digitum exere, peccas.* Minima actio in exemplum ponitur, et in quam non videatur boni aut mali ratio cadere. Cadit tamen ex doctrinâ stoicorum, ut patet ex innumeris veterum locis. Epictet. Enchirid. ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ προσήκει. Vid. Arrian. lib. II, cap. 11. Clement. Alex. Pædagog. lib. II, cap. 10. Cic. III, de Fin. et alios. C. et A.

120. *Et quid tam parvum est?*] Quid, inquies, tam parvum est quàm exerere digitum; et tamen peccabis, nisi sapiens fueris digitum exerendo. — *Sed nullo thure litabis.* Nec omni thure, votis omnibus ac sacrificiis impetrare posses, ut hoc sit aliter, atque ut stulto contingat vel aliquantula rationis portio. — *Litabis.* De hac voce, vid. sat. II, v. ult. Forsan et hæc, *sed nullo thure litabis*, ut vult Casaub. accipienda sunt veluti poëta dixisset: nullâ argumentorum ratione obtinebis, οὐκ ἐνικήσεις: translatum a sacris.

121. *Hæreat in stultis, etc.*] Ut qui non sapit omnino, vel minimam habeat sapientiæ particulam. Nam, aiunt stoici, quia virtutes se consequantur: ut qui unam habeat, omnes habere sit necesse; et contra, qui una careat, omnibus nudatum esse necessario: τὰς ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, et vice versâ. Laërt. a Chrysipp. Hinc sequitur, nihil medium esse inter virtutem et vitium. Diogenes: ἀρέσκει αὐτοῖς μηδὲν μεταξὺ εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας. — *Brevis.... semuncia.* Curta et cui aliquid deest. C.

122. *Hæc miscere nefas.*] Servire vitiis, simul et animi libertate frui nefas est. Sapientiæ et stultitiæ consortium nullum: stulte

Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
Liber ego! Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.

facis omnia, si non sapienter. Si sapis, liber; si stultus, continuo servus. Hæc omnia stoicam sapientiam sonant. — *Nec, cùm sis cætera fossor, etc.* Neque obtinebis, tu qui reliquâ totâ vitâ te insipientem ac stultum geras, ut, vel in levissimo actu, sapiens dicaris. — *Fossor.* Qui terram fodit, rusticus. Hic, fossor a similitudine dicitur qui sapiens non est. P.

123. *Tres tantum ad numeros, etc.*] Nec cùm sis ab omni parte rusticus, non modo perfecte saltare; sed ne duas quidem aut tres pedum dimensiones exequi poteris. — *Satyri.... Bathylli.* Qui non minus leviter et eleganter quàm satyrus aliquis saltat. Nam ὀρχεῖσθαι, proprium satyrorum. Latini autem solent dicere *ad numerum moveri*, pro ὀρχεῖσθαι. — *Bathylli.* Hic fuit pantomimus Alexandrinus, Augusti temporibus, Mæcenatis libertus, insignis egregiâ formâ, et saltandi peritiâ. Ejus meminit Juven. sat. VI, v. 63. C.

124. *Liber ego!*] Et dicis, *liber ego!* — *Unde datum hoc sumis?* Transit poëta ad alteram partem paradoxi: et probat omnes stultos esse servos. — Unde vero tu habes hanc libertatem quam jactas, ac tibi arrogas? — *Tot subdite rebus.* Cùm tot vitiis servias veluti mancipium. A.

125. *An dominum ignoras, etc.?*] An nullum alium magistrum putas, nisi cum a quo virga Prætoris te liberavit? An distinctionem hanc ignoras? Servitus alia est corporis, alia animi. Corporis domini sunt homines; animi vitium et pravi affectus. Illam solvit manumissio rite peracta; hanc sola philosophia, sive virtus. Philo Jud. δουλεία ἡ μὲν ψυχῆς, ἡ δὲ σωμάτων λέγεται. Δεσπόται δὲ τῶν μὲν σωμάτων ἄνθρωποι, ψυχῶν δὲ κακία καὶ πάθη. C.

126. *I, puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.*] Utriusque servitutis exempla ob oculos ponit; scilicet unum corporis, *i, puer, et, etc.* alterum animi, *sed si intus.... nascuntur domini*, infra, v. 130. — *Strigiles.* Instrumentum dentatum ad balneorum usum. Vid. Juven. sat. III, v. 263. — *Crispini.* Opulentissimi quilibet sibi et amicis habebant domi thermas et balnea. Forsan et hic Crispinus idem est atque ille de quo Juvenalis loquitur, sat. I:

Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Crispinus, ...

et sat. IV, et alibi. C. et P.

V. 124. *Sumis.* *Sentis* pro *sumis*, codd. Thuan. Mazar. Colbert. I, V, et duo alii.

Si increpuit: cessas nugator? Servitium acre
Te nihil impellit? nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet? Sed si intus, et in jecore ægro
Nascuntur domini; quî tu impunitior exis

127. *Si increpuit: cessas, nugator?*] Ut apud Juven. sat. XIV, v. 63:

Vox domini furit instantis virgamque tenentis.

— *Servitium acre*, *etc.* Nonne illud servitium tibi acre videtur, et te impellit? Nonne fateris te esse servum; et quidem δουλείαν δουλεύειν πάνυ ἰσχυράν? C.

128. *Te nihil impellit?*] Nihilne te torquet illud imperium? — *Nec quicquam*, *etc.* Annon furentis externa vox heri per aures intrans cogit te nervos totumque corpus agitare ad obediendum? Ita nos, ex vett. interprett. J. Britann. J. B. Pio, Nebriss. Murmell. et aliis; at Casaub. Lubinus, Prateus, et alii hæc eadem sine interrogatione legenda contendunt; scil. Casaub. εἰρωνικῶς; ita ut, levi tantum mutatione, sensus minime distet ab interrogatione: Si quis dominus tibi dixerit, *i, puer, et strigiles*, *etc.* si iratus increpuerit, *cessas nugator?* scilicet, hoc imperium acre te nihil impellit, et ad agendum movet. Alii addunt hæc verba: *quippe qui jam manumissus es*, ut sit sensus: *i, puer, i*, inquit nunc coram te dominus quivis servo suo, *et defer strigiles ad balnea Crispini: si increp. cessas nugator?* hoc servitium acre nihil nunc te impellit, quoniam a servitute hujus domini jam liberatus es, nec quicquam intrat extrinsecus quod nervos agitet. Faveant alii huic interpretationi; nos primam potiorem, et menti poëtæ convenientem magis existimamus. A.

129. *Sed si intus*, *etc.*] Si servitutem corporis supra descriptam tam ægre feras; si, propterea quòd dominus tibi imperitaverit, tibique minitatus sit, te servum doleas; quanto miseriorem te ac servum magis æstimare debes, *si intus nascuntur domini*, *etc.*

130. *Nascuntur domini.*] Imperiosæ scil. libidines raptantes te quolibet vel invitum, pigritia, avaritia, luxuria, ambitio, etc. ut infra exemplis patebit. Persius ait, *intus nasci dominos;* Claudianus sic:

Si metuis, si prava cupis, si duceris irâ, etc. P.

— *Quî tu impunitior exis*, *etc.* Quid

V. 127. *Increpuit.* Colbert. III, *increpui;* non male certe, ut sit sensus: si ego, dominus tuus, dicam tibi: *i, puer, et strigiles ad baln. Crisp. defer. Si increpui, cessas nugator?* Nonne hoc servitium acre tibi videtur?

V. 129. *Sed si intus, et in jecore ægro.* Codd. Pithoei, Colbert. II, Mentellianus, *Sed si intus et jecore ægro.* Colbert. V, *et e jecore ægro.*

V. 130. *Nascuntur.* Ita codd. omnes nostri. Vet. schol. et editt. recentiores, *nascantur.* Utrumque bene.

Atque hic quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis : surge, inquit avaritia. Eia!
Surge. Negas. Instat : surge, inquit. Non queo. Surge.
En. Quid agam? Rogitas? En saperdam! Advehe Ponto

causæ, cur tua sit melior conditio quàm fuit ante, cùm servus esses, quàm ejus qui parem servitutem nunc alii servit. Egregie Seneca, Natural. Quæst. lib. III : *Liber est qui servitutem effugit sui. Hæc est assidua servitus et ineluctabilis, et per diem ac noctem æqualiter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire gravissima servitus est.* C.

131. *Scutica.*] De hac voce, vid. Juven. sat. VI, v. 48.

132. *Mane piger stertis.*] Quàm durum sit vitiorum servitium : cùm plura simul eumdem misere in diversa trahunt, illustrat exemplis, et luculentissime demonstrat. Primum exemplum illius, qui duobus dominis pigritiæ et avaritiæ servit. C. — *Surge, inquit avaritia.* Dialogus inter pigrum et avaritiam quem festivum adeo atque concinnum existimavit satiricus noster, ut illum in Gallicam linguam traduxerit, nedum imitatus sit. *Boileau*, sat. VIII :

Le sommeil sur ses yeux commence à
s'épancher :
Debout, dit l'avarice, il est temps de
marcher.
Hé! laissez-moi.... Debout.... Un moment.... Tu répliques?....
A peine le soleil fait ouvrir les boutiques....
N'importe, leve-toi. Pourquoi faire après tout?
Pour courir l'Océan de l'un à l'autre bout,
Chercher jusqu'au Japon la porcelaine et l'ambre,
Rapporter de Goa le poivre et le gingembre.
Mais j'ai des biens en foule, et je puis m'en passer.
On n'en peut trop avoir : et, pour en amasser,
Il ne faut épargner ni crime ni parjure;
Il faut souffrir la faim, et coucher sur la dure....

— *Mane piger stertis.* Poëta, hoc loco, loquitur. Gall. *Dormez-vous la grasse matinée* : *surge, inquit avaritia.*—*Eia!* Exclamatio pigri stertentis, et oscitantis. *Eia! Ah!* A.

133. *Surge.*] Repetit avaritia. — *Negas.* Hoc loco, poëta loquitur; *negas, vous refusez.* — *Instat.* Avaritia. *Surge, inquit, levez-vous, dit-elle.*—*Non queo. Vous dites, je ne puis, je n'en ai pas la force? Surge, levez-vous, vous dis-je*, inquit tertium avaritia. A.

134. *En. Quid agam?.... etc.*]

V. 132. *Eia.* Cod. noster, *exi*, non male quoque.

V. 133. *Surge, inquit, non queo.* Ita codd. fere omnes. Cod. Thuaneus, *surge, inquis, nequeo.* Codd. Mazarin. Colbert, I, et tres alii, *surge, inquit. Nequeo.* Alii, *non queo.*

V. 134. *En. Quid agam? Rogitas? En saperdam! Advehe Ponto.* Hoc loco,

Castoreum, stupas, ebenum, thus, lubrica Coa:
Tolle recens, primus, piper e sitiente camelo:
Verte aliquid: jura. Sed Jupiter audiet. Eheu!

En, me voici. — *Quid agam? Que ferai-je? Pourquoi faire?—Rogitas? Vous le demandez*, inquit avaritia? —*En saperdam!* O hominem vilis pretii; hominem similem *saperdæ! O le pauvre hère! l'imbécille!* Vel potius, ut nostri, triviali modo, dicunt: *voilà ma bête.—Advehe Ponto castoreum, etc.* Longe aliter ac nos hunc locum explicant alii interpretes; sed vividior est nostra dialogi forma. Præterea, si, ut Athenæus, lib. III, cap. 20, refert, *saperda*, Ponticum opsonium, vile et ignobile edulium esset; non satis perspicue video, cur, hoc loco, avaritia pigrum excitasset, ad arcessendam e Ponto tam vilem mercem, quam junxisset cum castoreo, lubricis Cois, aliisque pretiosissimis rebus. Hanc formulam, *en saperdam!* ego injuriam accipio. Alii dicunt: *advehe saperdam* e *Ponto*, advehe *castoreum, etc.* A.

135. *Castoreum.*] Vid. ad Juven. sat. XII, v. 34. — *Stupas.* Pars lini cortici proxima stupa dicitur. — *Ebenum.* Arbor satis nota. — *Lubrica Coa.* Vinum Coum ventrem laxabat, ideo dicebatur *lubricum* Græcis medicis, et Aristot. Μαλακτικὸν, vel λεαντικὸν. C.

136. *Tolle recens, primus, piper.*] Anteverte alios mercatores, et cave, ne illi præoccupantes questûs occasionem præripiant. Horatius, lib. I, epist. 6, v. 32:

. . . . . Cave ne portus occupet alter
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.

—*Sitiente camelo.* Non simpliciter, πολυδιψίῳ, sed qui sitim diu tolerat, etiam ad quatriduum. Plin. lib. VIII, cap. 18. P.

137. *Verte aliquid.*] Exprimit satagentiam mercatorum omnia spe et aviditate lucri molientium. —*Vertere*, vox agriculturæ. Terra enim vertitur fodiendo, arando, occando, pastinando, et aliis modis. —*Jura.* Idem ac pejera: nam, haud multum interest inter sæpe jurantem et pejerantem. Philo, Jud. in lib. de decem legis præcept. Φύεται ἐκ πολυορκίας ψευδορκία καὶ ἀσέβεια. — *Sed Jupiter audiet.* Objectio hominis adhuc religionis metu retenti, ad quam statim respondet avaritia. C.

magna varietas codd. inest. Vet. schol. *Et quid agam? Rogitas? saperdas advehe Ponto.* Ita Casaub. et editt. recentiores. Ita quoque cod. n° 8050, cod. Thuaneus, *en. q. ag. rog. en saperd. adhibe Ponto.* Codd. Colbert. I, et Pithoei II, *en quid agam? Rogat? en saperdas advehe Ponto.* Non male quoque. Codd. Mazarin. Pithoei I, Colbert. II, III, et alii ut nos. At vid. supra commentarium. Cod. noster: *en q. ag. rogit. en sarpeda advehe.*

V. 137. *Eheu.* Codd. multi, *heu! heu!* utrumque bene.

Varo, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam puer is, pellem succinctus, et œnophorum aptas
Ocius ad navem : nil obstat, quin trabe vastâ
Aegeum rapias, nisi solers luxuria ante

138. *Varo, etc.*] Sensus est : O stulte! si pietatem curas (respondet avaritia) permanebis adeo pauper, ut bene tecum agi existimaturus sis si, pulmentarii loco, salem cum pane habeas : qui fuit victus pauperrimorum hujusce ætatis. — *Varo.* Vet. schol. « Linguâ Gallorum *barones*, vel *varones* dicuntur servi militum, « qui utique stultissimi sunt, « servi videlicet stultorum. » Est igitur varo idem ac bardus et vecors. — *Digito terebrare.* Hoc emphatice dictum; pro digito premere salinum, ita ut perforare videatur. C.

139. *Contentus perages.*] Græcum est διάξεις, pro διάξεις τὸν βίον : quamdiu vives, semper eris pauper, *si vivere cum Jove tendis*, si bonâ conscientiâ et morum sanctitate, Jovem habere placatum et amicum intendis. Εἰ ἀρέσκει σοι ὁ κατὰ Θεὸν βίος. C.

140. *Jam puer is, pellem succinctus.*] Jam, inquit poëta, *puer*, id est, servus avaritiæ, *is, pellem succinctus*, accinctus ad iter suscipiendum, *et aptas œnophorum*, sarcinas, saccos, vasa vinaria, et alia necessaria peregrinationi longinquæ paras, et ad navem portas. Alii legunt : *jam pueris pellem, succinctus, et œnophor. aptas*, et explicant : jam paratus ad iter imponis pueris tuis *pellem*, sarcinas, saccos, in quibus res reponuntur, *et œnophorum.* Prior interpretatio nobis aptior visa est. — *Oenophorum.* Vox Græca οἶνος, vinum, et φέρω, porto. Vas vinarium. P. et A.

141. *Quin trabe Cypriâ Aegeum rapias.*] Rapide mare Aegeum seces. Horat. lib. I, od. 1 :

. . . . Trabe Cypriâ
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

142. *Nisi solers luxuria ante.*] Introducit poëta luxuriam, quæ mancipium suum et servum sibi pereuntem et elapsum pene videns, eum retinere tentat. — *Lu-*

V. 138. *Varo.* Ita omnes codd. præter Thuan. n° 6984, vet. schol. et n° 8050, qui habent *baro.* At parum distat inter *baro* et *varo :* cùm litteræ *v* et *b* sæpe in pronuntiatione confundantur, ut fit vel hodie apud Vascones et Hispanos. Vet. scholion codicis 8050 est : *varones sunt servi militum, qui sunt valde stulti.*

V. 139. *Contentus.* Codd. Pithoei I, 8050, 8273, et noster, *contemptus.*

V. 140. *Jam puer is.* Restitui hanc lectionem ex omnibus codd. nostris et vet. schol. contra Casaub. Cod. Colbert. III, *pueris*, et vet. edit. Britannici. Error facilis fuit in his nominibus scribendis.

Seductum moneat. Quo deinde insane ruis? Quo?
Quid tibi vis? Calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? Tibi tortâ cannabe fulto,
Cœna sit in transtro, Vejentanumque rubellum
Exhalet vapidâ læsum pice sessilis obba?

xuria solers. Ingeniosa corrumpendis hominum moribus. A.

143. *Seductum.*] Hic, separatim ductum, *tiré à l'écart.*—*Quo deinde, etc.* Verba luxuriæ. — *Insane.* Qui tot pericula non vereris. P.

144. *Calido sub pectore mascula bilis intumuit.*] Numquid in tuo pectore, antea, meis auspiciis, *calido*, tepente toties Bacchi donis et Veneris favoribus, nunc novus surgit masculus ardor? Bene luxuria virilem, masculum animum militanti in castris suis juveni criminis loco objicit, atque illi bilem tumere ait, id est, eum insanire pronuntiat. C.

145. *Quam non exstinxerit urna cicutæ.*] Bilis atræ fervorem, quo nunc ardes, vix exstinxerit cicutæ, quamvis largiter potæ, frigus. C.

146. *Tun' mare transilias?*] Te, nimirum, tam infido elemento committes, in quo sis, ut ait Juven. sat. XII, v. 58:

. . . . Digitis a morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima tæda.

—*Tibi tortâ cannabe fulto, etc.* Varia navigationis recenset incommoda. Tune, inquit luxuria, cùm sis mollis et delicatulus, super rudente sedens, cœnes in navium transtris? Qui autem divitias ingentes construere optabant, navigationi plurimum operam dabant; quod vitæ genus quàm asperum, quàm miserum luxuria hîc ostendit, et Antiphanes in his:

Δύστηνος ὅς τις ζῇ θαλάττιον βίον·
Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

— *Cannabis.* Est genus plantæ e qua funes fiunt et rudentes. — *Tibi fulto cannabe tortâ.* Ut apud Lucilium, *pulvino fultus*, et Juvenalem, *fultusque toro meliore recumbet.* C. et P.

147. *Transtro.*] Trabs est transversa, scamnum et sedile remigum. — *Vejentanumque rubellum.* Ordo est: et obba sessilis exhalet Vejentanum rubellum læsum vapidâ pice.—*Obba.* Vas ligneum, vel ex sparto, simile ei quod Galli vocant *baril*, latum habens ventrem et fundum, ita ut per se facile stet; unde hîc *sessilis* dicitur. C.

148. *Exhalet.*] Emittat, fundat vinum læsum pice. — *Vejenta-*

V. 145. *Exstinxerit.* Cod. noster, *exstingueret.*

V. 146. *Transilias.* Pithoeus I, et noster, *transilies.*

V. 147. *Sit.* Vet. schol. et nonnulli codd. *fit.*

Quid petis? Ut nummi, quos hîc quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?

numque rubellum. Vinum ignobile, ingrati saporis, ut patet ex Horatio quoque et Martiali.—*Læsum pice.* Infectum odore picis, quâ navis pariter et obba illitæ et obturatæ. C. et P.

149. *Quid petis? Ut nummi, etc.*] Quid petis, pergit luxuria? Vis nempe majore cum quæstu pecuniam tuam exercere. Potes in Urbe, in otio, quinos pro centenis lucrifacere quotannis; et hoc avaritiæ tuæ non sufficit? et undenos pro centenis periculo tuo, et labore nimio, cupis adjicere?—*Quincunce modesto.* Gravissima pridem usura erat *centesima*, quâ, pro centum nummis mutuo acceptis, pendebantur duodecim annui, singuli pro mensibus singulis. Huic proxima *deunx*, cùm undecim reddebantur pro centum; sic et *dextana*, cùm decem; *dodrana*, cùm novem; *bessalis*, cùm octo; *septunx*, cùm septem; *semis*, cùm sex; *quincunx*, cùm quinque; quæ usura est mediocris, et jurisconsultis etiam dicitur levis; ut in lege *Tutor.* §. 10, Dig. leg. 17 de usuris et fructibus, et Dig. de administrat. et periculo tutorum. P.

150. *Nutrieras.*] Fœnore modesto auxeras, multiplicaveras, ut apud Horatium, *nummos pascere*, lib. I, epist. 18.— *Pergant avidos sudare deunces.* Ut nummorum tuorum reditus amplificetur, et ut nummi tui undenos tibi pro centenis afferant.— *Pergere sudare*, pro *sudare*, ut facere incipere, pro facere, et similia multa. *Sudare* autem *deunces* dixit, ut opponeret quincuncibus usuris, quæ nullo labore proveniebant. In eodem fere sensu, nostri dicunt: *faire travailler l'argent.* Quidam recentiores interpp. inter quos *Le Monnier* et *Sélis*, quibus hæc usura scil. undenorum pro centenis mediocris adhuc et honesta forsan visa est, præ hodiernorum feneratorum rapacitate, eam multo majorem sine auctoritate finxerunt; et ita sunt interpretati, quasi poëta intellexisset undenos pro duodenis annui reditûs, seu assem demptâ tantum unciâ pro asse integra, et, ad nostrum morem, 93 liv. 13 s. 4 d.

V. 150. *Pergant avidos sudare deunces.* Edit. vet. Britann. codd. Thuan. Mazarin. et tres alii, *peragant avidos sudore deunces;* et interpretantur: ut nummi quos, etc. *peragant*, præstent, exhibeant *deunces avidos*, inexplebiles et avaros, quos avaritiâ nimium aeemulari cupis, *sudore*, emphatice, labore tuo et periculo. Vet. schol. *peragant avidos sudare;* male omnino. Cod. Putean. *Pergant avidos sudore*, male quoque; non *peragant avido sudore deunces*, ut Casaubonus refert in commentario suo ad Persium, p. 448: nisi tamen alter fuerit codex Puteanus quo usus sit, quod prorsus ignoro. Alii codd. ut nos.

Indulge Genio : carpamus dulcia : nostrum est
Quod vivis. Cinis ; et manes, et fabula fies.
Vive memor leti : fugit hora : hoc, quod loquor, inde est.
En, quid agis ? Duplici in diversum scinderis hamo.

pro cent. ex quo statim sumpserunt $\frac{0}{0}$, *cent pour cent.* At, in eorum mente, non deberet quincunx reddere quinque nummos pro centenis ; sed 41 liv. $\frac{2}{3}$ pro cent. cùm *quincunx* cum asse collatus, quinque partes ejusdem assis, cujus *deunx* undecim, referat. Ita, hic *quincunx*, quem *modestum* vocat Persius erit ipse atrox usura, 41 $\frac{2}{3}$ pro 100, et illicita, quod constat ex legibus, versu præcedenti citatis. Forsan et aliquis mihi objiciet, hoc loco, non de fenore, sed de mercaturâ agi : huic respondebo, pauca esse commerciorum genera, nisi illicita, quæ modeste *nutriverint*, vel apud Romanos, 41 pro 100, et *sudaverint* assem pro asse. Hæc ita sint, necne, lector judicet : nos priori assentimur interpretat. A.

151. *Indulge Genio.*] Vid. sat. II, v. 3. — *Nostrum est quod vivis.* Ea demum pars vitæ tuæ quam mihi, id est, voluptatibus impendis, vera vita est. Ita luxuria, cui vivere bibere est, et edere, atque ἡδυπαθεῖν.

152. *Cinis ; et manes, et fabula fies.*] Antequam moriaris, fruere vitâ vitæque deliciis ; nam brevi de te actum erit. Hoc ad mentem Epicureorum, qui cum corpore et animam interire putant. quod satis loquenti convenit luxuriæ. — *Fies cinis.* Nimirum, ex more cremato corpore tuo post mortem, cinis tantum restabit. — *Manes.* Umbra levis per tumulum volitans. — *Fabula.* Redibis in prius nihilum : hæc est enim catastrophe vitæ quæ *fabulæ* in mundo velut in theatro et scena peractæ comparari solet. — *Fabula fies.* Id est, sola tui memoria restabit, et sermo forsan de te faciendus. P. « — *Cinis* non dicit, meo judicio, « in eodem sensu quo Horatius, « *pulvis et umbra sumus*, carm. IV, « 7 ; sed *cinis* est pro *mortuus*. Ita : « cùm mortuus eris, et in cine- « rem redactus, tunc *manes* et *fa-* « *bula fies.* Eleganter autem *vivis* « et *cinis* opponuntur. » *Eq. Croft.* Ego huic docto viro prorsus assentior ; ut sit sensus, Gall. *une fois mort, il ne restera plus de vous qu'une ombre légère, un simple souvenir.* Ideo quoque interpunctionem mutavi. A.

153. *Vive memor leti.*] Horat. lib. II, sat. 6 :

Vive memor quàm sis ævi brevis....

— *Fugit hora.* Horat. lib. II, od. 5 :

Currit enim ferox ætas.

— *Hoc, quod loquor, inde est.* Sic satiricus noster :

Le moment où je parle est déjà loin de moi. P. et A.

154. *En, quid agis ?*] Hactenus prosopopœia et dialogus inter luxuriam et mancipium ejus ; hic

V. 153. *Hoc, quod loquor.* Cod. Thuan. et nonnulli alii, *hæc*, pro *hoc*.

Hunccine, an hunc sequeris? Subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, cùm obstiteris semel, instantique negâris
Parere imperio, rupi jam vincula, dicas.
Nam et luctata canis nodum arripit: attamen illi,
Cùm fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores

sermonem Persius repetit, et hominem duobus libidinibus ita obnoxium interrogat : *quid ages? quo te convertes?*—*Duplici in diversum, etc.* Variâ duplicis servitutis necessitate oppressus quasi discinderis.—*Hamo.* Recte *hamus.* Metaphora a piscatione, in qua pisces *hamo*, seu escâ diversâ et multiplici quandoque inescantur, ut capiantur alterutro. P.

155. *Subeas alternus oportet.*] Nomen pro adverbio. Id est, necesse est, ut hanc vel illam sequaris, et, alternis vicibus, vel avaritiæ, vel luxuriæ servias. A.

156. *Ancipiti obsequio, etc.*] Binas dominatrices vicissim sequens, dubius interim, utri potissimum te addicas. P.

157. *Nec tu, cùm obstiteris semel.*] Ne, si quos forte ad virtutem impetus sumpseris, statim tibi persuadeas debellatum illud esse vitium, cui prius inserviebas : μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, nec te liberum affirmes. C.

158. *Rupi jam vincula dicas.*] Non rupisti vincula, sed rejecisti mox tibi rursum injicienda. Horatius, lib. II, sat. 7 :

....O toties servus! quæ bellua ruptis,
Cùm semel effugit, reddit se prava catenis. P.

159. *nam et luctata canis, etc.*] Quod probat a simili. Nam quamvis canis diu luctando dentibus lorum dissolverit, longa tamen pars catenæ, quâ erat ligata, pendet a collo illius, quando fugit; unde facilius a sequentibus rursus capiatur; sic homo, naturâ perversus, ad damnatos mores semper revertitur. Sic, apud nos, de homine adhuc in servitutis vinculis irretito dicunt : *il traîne encore sa chaîne.* A.

161. *Dave, cito.*] Quàm difficile sit homini vitioso ad virtutem reverti novo confirmat exemplo vitiosi pœnitentis, sed non bona fide, ideoque relabentis in cœnum. Hic autem insequens dialogus festivitatis plenus ex Menan-

V. 159. *Nam et luctata canis nodum arripit: attamen illi.* Codd. Fauchet. Colbert. II, III, et tres alii *abripit.* Nonnulli, *et tamen, ast tamen,* pro *attamen.* Codex noster :

Nam luctata diu nodum canis arripit : ast tamen illi.

Mendose omnino, nisi deleretur *ast tamen.*

Præteritos meditor (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc). An siccis dedecus obstem
Cognatis? An rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstinctâ cum face canto?
Euge, puer, sapias: Dîs depellentibus, agnam

dro traducitur, si fidem veteri schol. adhibeamus; quem Terentius quoque, Menandri fabulæ, mutatis tantum nomiuibus, imitatus est. Eadem quoque non festive minus et facete forsan magis expressit comicus noster *J. B. Moliere*, in comœdia cui titulus: *le Dépit Amoureux*. A. — *Hoc credas jubeo.* Adolescens Chærestratus in amoris vinculiš retentus servum alloquitur.—*Finire dolores.... meditor.* Hoc loco, remittere nuntium amoribus, qui tot mihi fuerunt dolornm causæ.

162. *Crudum.... unguem abrodens.*] Præ ancipiti incertoque consilio cogitabnndus totus, et secum ipse luctabundus, num ad eam redeat, an eam deserat. P.

163. *An siceis dedecus obstem?*] Ἢ τοῖς ἐμοῖς ξυγγενέσι σώφροσιν οὖσιν ὄνειδος περιάψω;—*Siccis.* Latini tempcrantes sic appellant; et, per oppositionem, *ebrii* qui intemperantes. C.

164. *An rem patriam frangam?*] Patrimonium dilapidem, et effundam in meretricios amores? Lysiteles adolescens ille sapiens, in Trinummo Plauti:

. . . . . Nam qui ab eo quod amat,
Quam extemplo suaviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. . . . .

— *Rumore sinistro.* Qui jam de me volat; nam, ait Horat. lib. I, sat. 2:
. . . . . . Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est...C. et P.

165. *Limen ad obscœnum.*] Ante fores impuræ et flagitiosæ mulieriš, ad quam velut ad scopulum frangor et illidor.—*Dum Chrysidis udas ebrius ante fores.* Dum comessatnm veniam ad limen januæ Chrysidis, et ibi de dura sorte mea conquerar.—*Udas.* Vet. schol. « Udas fores dixit, quas amatores « solent unguento (et vino etiam) « perfundere, et ante jannam il- « larum noctem vigiliis, et cantu « transigere. » — *Chrysidis.* Famosum scortum, cujus meminit Athenæus, lib. XIII, cap. 3. P. et L.

166. *Exstineta eum face eanto.*] Cùm pervenerant amatores ad ædes amicarum, facem exstinguebant, ne aguoscerentur, et, antc januam, nocte sæpe integrâ, amatoria carmina cantabant. Horat. lib. III, od. 10.

167. *Euge, puer.*] Gratulatur Davus Chærestrato saniorem mentem quam testatur, eumque ad propositum servandum hortatur. —*Sapias.* Ut apud Horat. pro *si sapias.* — *Dîs depellentibus.* Supple, tantum a te animi morbum. — *Agnam percute.* Qui ex ingenti periculo evaserat, Diis Averruncis

Percute. Sed, censen', plorabit, Dave, relicta?
Nugaris. Soleâ, puer, objurgabere rubrâ.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses,
Nunc ferus, et violens: at, si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? Ne nunc, cùm accersor et ultro

agnam mactâbat, ut facit Horat. ex alio genere periculi servatus. Lib. II, od. 17. P.

168. *Sed, censen', plorabit.*] Jam vacillat juvenilis animus, nec diu perstat ἐν πτίσει, sed ad priorem affectum revertitur; veritus scilicet, ne doleat Chrysis, si eam relinquat: hoc prætegit nomine culpam. C. et P.

169. *Nugaris.*] Verba Davi. Nugator es, cùm dicis te velle priores dolores finire: nam ecce ad ingenium redis.—*Soleâ, puer, objurgabere rubrâ.* Intelligit eum vapulaturum sandalio meretriculæ: tale est illud Terentianum in Eunuch. act. V, sc. 8:

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!

Turneb. lib. XX, cap. 1: olim vero meretrices solitæ sic abuti stultorum juvenum patientiâ, ut, propter leves offensas, non solum colaphis eos cæderent et despuerent; sed sandalio illis caput commitigarent, ut in exemplo præcitato, atque etiam nates pulsarent, ut patet ex Juv. VI, 611. —*Soleâ rubrâ.* Delicatulæ mulieres purpureas amabant soleas, auro etiam distinctas et gemmis. C.

170. *Ne trepidare velis.*] Pergit Davus. Hîc, *trepidare*, non in eodem sensu quo apud Horat. lib. II, od. 4, accipitur pro festinare, nec in vulgari acceptione pro *tremere;* sed pro *luctari* et *jactare se* ad excutiendum jugum: Gall. *ne vous tourmentez pas tant.* Seneca, lib. III, de Ira: *Sic laqueos fera dum jactat astringit, sic aves dum viscum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* —*Atque arctos rodere casses.* Metaphora a feris retia quibus captæ sunt frangere conantibus. Affine est ap. Græc. τὸν χαλινὸν ἐνδακεῖν, et Latinos, *frænum mordere.* C.

171. *Nunc ferus, et violens.*] O Chærestrate, nunc quidem, absente Chrysi, audacem violentemque te præstas: at, si illa te accerset, heu! mollis fractusque videbere. Propert. lib. II, eleg. 3:

Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Mox venit assueto mollis ad arva jugo;
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces:
Dehinc domiti, post hæc æqua et iniqua ferunt. P.

172. *Quidnam igitur faciam?*]

V. 172. *Ne nunc, cùm accersor.* Restitui ex nostris codd. Nonnulli tamen habent *arcessor*. Cod. Colb. II, *arcessat*, male. Vet. Schol. *accersat.* Bene. Vet. ed. Brit. *accersar*, melius. Editores omnes, præter Wedderb. *Ne nunc, cùm accersat.*

Supplicet, accedam? Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc.... Hic, hic, quem quærimus, hic est;
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem

Ex Menandro et Terent. Eunuch. scen. 1. ex utroque Horatius, lib. II, sat. 3, et Persius ex illis. P.

173. *Si totus et integer, etc.*] Si toto, pergit Davus, exieras, et integro animo ex hoc insano meretricis amore; *nec nunc*, etsi accersat, accederes. L.

74. *Nec nunc.*] Hic locus, ut observat interpres Gallicus *Sélis*, mire torsit interpretes; sed perperam certe: nam nihil simplicius. Supra dicta si τῷ *nec nunc* adjunxeris, sensus erit: dicis, quid faciam? Si me vocet mea amica, si ultro supplicet, ne nunc accedam? *Que ferai-je si ma bonne amie me rappelle? Si elle me supplie, aurai-je la dureté de la refuser?* Ita, certe, ô Chærestrate, si sanus et victor ex hoc conflictu animi tui exieras, si liber evaseras omnino, *nec nunc* (supple) accederes; sed in proposito tuo constanter stares. Tunc poëta concludit: *hic, hic, quem quærimus*, liberum, non Chærestratum adhuc vinculis amoris irretitum et nutantem; sed enm juvenem fortem animo et sapientem qui, etiamsi a supplicanti et lacrymanti muliere revocetur, non accedit. — *Hic, hic quem quærimus.* Ea sunt verba Persii; scilicet: qui oblatam spernit occasionem explendæ libidinis, qui totus et integer exit e prælio, hic est liber quem quærimus. Et est alia lectio et interpretatio: *si totus et integer*, inquit poëta, *exieris*, si ex hoc conflictu animi tui victor et sanus evaseris; *nunc, nunc*, te liberum agnosco; *hic, hic est, quem quærimus*, pergit poëta, juvenis animo fortis et liber et sapiens. Hæc interpretatio priori anteponenda foret, nisi ingratam præberet tautologiam in his, *nunc, nunc, hic, hic:* sed videat lector. A.

175. *Non in festuca.*] Talis vero non est, quem prætor vindictâ facit liberum civili, quod unum potest, libertate. — *Festuca.* Vindicta Prætoris, κάρφος; unde *exfestucare*, in legibus Alemannorum et Saxorum, et historiis eorum temporum. C.

176. *Jus habet ille sui palpo, etc.*] Aliud exemplum proponit de ambitioso. An, inquit, talis homo habet sui potestatem et animi li-

V. 174. *Exieras, nec nunc.* Ita vet. schol. codd. Colbert. II, III (Colbert. I, *non nunc*), codd. quoque Fauchetii, Pithoei alter, Mentellianus. At vet. ed. Brit. codd. Puteani, Thuan. Mazarin. noster, et alii, *exieris; nunc, nunc.*

V. 176. *Ducit.* Ita omnes nostri codd. Vet. schol. solus, *tollit.*

Cretata ambitio? Vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? At cùm

bertatem? — *Palpo quem ducit hiantem.* Per periphrasim, designat ambitiosum. — *Palpo, onis.* Subst. nominativ. a verbo *palpare*, quod est proprie mulcere, leviter tractare, quia ambitiosus prensat manu cives, et auram popularem captat, ut eorum suffragia demereatur. — *Ducit.* Per tribus, circumducit, ad gratiam populi occupandam. P.

177. *Cretata ambitio.*] Mos erat magistratum aliquem ambientibus circumire in veste candida. Sæpe non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret, immo splenderet: unde κατ' ἐξοχὴν dicti, *candidati.* Hinc a vulgo discreti, cui alba quidem, sed non candida erat toga. Hæc erudite Just. Lips. Elect. lib. XIV, cap. 24. *Fit toga, addito quodam cretæ genere, candidior.* — *Vigila.* Inquit ambitio. Summo mane discurre, ante lucem, ito ad cives, eisque salutem diemque prosperam apprecare, operam tuam et officium sponde, ut eorum tibi pares benevolentiam. De labore et vigiliis candidatorum Cicero, multis locis, quorum vitam in epist. ad Attic. *militiam urbanam* vocat. — *Et cicer ingere large.* Legumina varii generis, cicer, fabam, lupinum, etc. in vulgus abundanter spargebant. Sic ædiles viam sibi muniebant ad superiores magistratus per missilia ejusmodi et congiaria maxime in Floralibus. Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. VI, cap. 8. Horum missilium seu congiariorum descriptio et imago exstant adhuc in quibusdam numismat. Impp. ubi ex adversa parte, Imperator togatus in suggestu sedens, et tesseram manu tenens, juxta quem præfectus Prætorio stans: infra, duo vel tres figuræ stantes, quarum una scalam ascendit tesseram acceptura: circa inscribitur LIBERALITAS AUG. etc. Cæterum, hîc non de congiariis, sed de missilibus agitur. A.

178. *Rixanti populo.*] Ita solitum fieri in collectione missilium Sueton. variis locis, et scriptores veteres testantur. — *Floralia.* Floralia edebant ædiles. De impudicitia illorum ludorum et origine, vid. Ovid. Fast. in Maio, Lactant. et quæ notavimus ad Juven. sat. VI, v. 250.

179. *Aprici.... senes.*] Apricatio senili ætati convenientissima et gratissima, ut tangit Cicero, de Senectute. Ausonius, Mosella:

Tempus erit, cùm me studiis ignobilis otii
Mulcentem curas seniique aprica foventem,
Materiæ commendet honos.....

Solent igitur senes in sole hyberno apricantes, καὶ εἰληθερεῦντες circa meridiem calidiore, de nugis hoc genus garrire. Unde Græcorum proverbium, μεσημβρινὸς λῆρος, apud Nicephorum Grego-

Herodis venêre dies, unctâque fenestrâ,
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,

ram. Interdum et laudant tempora se pueris acta. Horat. ad Pison. — *Quid pulchrius.* Ironice hoc dictum a poëta ambitiosorum insaniam irridente. C.

180. *Herodis venere dies.*] Teterrimum in extremo tangit servitutis genus sub domina potentissima superstitione. Quàm misera, quàm dura ea sit servitus, et supra omnes alias servitutes docet Plutarchus in libro quem de eo argumento scripsit: οἱ δοῦλοι, inquit, τῶν δεσποτῶν ἐπιλανθάνονται καθεύδοντες. et post pauca: τοῦτο οὐ δίδωσιν εἰπεῖν ἡ δεισιδαιμονία. Μόνη γὰρ οὐ σπένδεται πρὸς ὕπνον, οὐδὲ τῇ ψυχῇ, τότε γοῦν, δίδωσιν ἀναπνεῦσαι, καὶ ἀναθαῤῥῆσαι. Paulo aliter autem ac nos superstitionem definiebant veteres tum Græci, tum Latini. Apud nos, superstitio dicitur puerilis et nugatoria quarumdam piarum exercitationum observatio, quæ, etsi in veri numinis cultu originem habent, ab eo tamen ut et a sincera pietate abhorrent: hanc vero putârunt veteres esse Deorum peregrinorum, vel etiam suorum cultum, peregrinis, nec consuetis ritibus: quare inter præcepta eorum quibus de religione aliquid sanciebatur, primum semper illud erat, Θεοὺς πατρίους καὶ νομιζομένους σέβου κατὰ τὰ πάτρια. Persius hic agens de superstitione exempla ponit eorum qui Judaicis aut Asiaticis et Aegyptiacis ritibus uterentur: quæ religiones, etsi decreto senatûs admissæ, nondum tamen viris probis, propter novitatem probabantur. — *Herodis dies.* Vet. schol. « Herodes apud Judæos « regnavit temporibus Augusti in « partibus Syriæ. Herodiani ergo « diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata: quo die, « lucernas accensas, et violis co« ronatas in fenestris ponunt. » Herodiani autem, de quibus loquitur Vet. schol. quorumque mentio fit cum pharisæis in Evangelio, Herodem pro Christo colebant, decepti interpretatione pravâ prophetiæ Jacobi, Geneseos, cap. XLIX, Versic. 10. Isti ergo, et Hierosolymis, et alibi Herodis festum magna solemnitate colebant. — *Unctâque fenestrâ.* Scil. ob exsudans oleum e lampadibus.

181. *Dispositæ pinguem, etc.*] Modum ostendit quo dies Herodis ab Herodianis colebatur. Festorum autem dierum alii, ut nunc, hilaritate atque epulis transigebantur, alii planctu, jejuniis et varia imitatione tristitiæ. Herodis dies inter lætos numerabatur; ergo pertinent eò lucernæ fenestris accensæ, flores et epulæ quarum hîc meminit Persius. — *Pinguem nebulam vomuere.* Fumum densum et crassum instar nebulæ emittunt lucernæ in fenestris dispositæ. — *Lucernæ.* Apud nos hodie, in rebus lætis, tum publicis, tum privatis, cymbia fictilia, dicta *lampions*, fenestris

Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

æque disponuntur, sed diversa erat lucernarum veterum figura. Aeneæ enim et pensiles erant et catennlis suspendebantur. Earum et maximarum complures videre licet in Musæo Antiq. Bibliot. Imperial. servatas. Hunc autem morem qui etiam ad Christianos transiit, scil. lampades et lucernas festis diebus accendendi, damnat Lactantius, lib. VI, cap. 2: *Mactant opimas et pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti.* De eo more, vid. Juven. sat. XII, v. 92. Just. Lips. Elect. I, cap. 3, et alios. A.

182. *Portantes violas.*] Græci scriptores celebrationem diei festi duabus his vocibus designare solent, φωσὶ καὶ ςεφανώμασι, luminibus et coronamentis. Coronabant autem aras et simulacra Deorum, et fores templorum, et januas domorum, quæ ideo dicuntur a Tertulliano *laureatæ* et *lucernatæ*, lib II, ad uxorem, cap. 6. Sed, præter laurum, flores etiam alios adhibebant, ac præcipue violas. Juven. sat. XII, 90. — *Rubrumque amplexa catinum, cauda natat thynni.* Jam de conviviis loquitur ab Herodianis, hoc die, peractis. — *Cauda Thynni* est οὐραῖον, quod nomen et genus salsamenti ex Athenæo et Plinio satis notum. — *Natat.* In jure conditum.. — *Rubrum.... catinum.* Miniatum, seu e terra rubra. Catini et vasa fictilia, quibus Romani utebantur, pleraque rubro colore erant, ut hodie sunt illi quos antiquarii servant, quosque vocant *vases étrusques.* Vid. Mus. Antiq. Bibl. Imper. C. et A.

183. *Tumet alba fidelia vino.*] Plena scil. fidelia, vas vinarium ex argilla. Vid. sat. III, v. 22.

184. *Labra moves tacitus.*] Tu superstitiosus, te Judæis immisces, in eorum proseucbis, seu precationibus, et cum eis vota murmure tacito concipies: sic Prateus et Casaub. Ego vero hæc intelligo, non tam de votis quàm de precationibus et psalmis quos, stantes, talis leviter terram pulsantes, recitant, et labra tantum moventes, ut ipsemet sæpe sæpius in eorum proseucbis testis vidi. A. — *Recutitaque sabbata palles.* Cum Judæis colis sabbata, tremens, et stolide religiosus. Quantâ autem cum sedulitate, forte etiam nimiâ, Judæi sabbata semper coluerint, omnibus notum. — *Recutita.* Hypallage. Judæi recutiti dicebantur ob circumcisam præputii pellem. Sic, et Horatio Judæus dicitur *apella*, id est, sine pelle. — *Palles.* Nempe ob metum superstitionum, seu ob squalorem, et cinerem quo illi se conspergebant in quibusdam aliis festis. Quæ omnia ridet Juvenalis, sat. XIV, v. 96. et Persius, hic. C. et P.

Tum nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Tum grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,

185. *Tum nigri lemures.*] Alia commemorat deliræ superstitionis exempla. Persii *nigri lemures*, Platonicorum σκιώδη φαντάσματα, Gallorum *les revenants*, sunt mortuorum umbræ, quas viventibus apparere, et molestas esse credunt. Differentiam inter manes, lemures et larvas habes apud Apuleium, de Deo Socratis. Platonici multa de his lemuribus philosophati sunt docentes, animas quasdam esse ita corporum amantes, et originis suæ primæ oblitæ, ut, ne tum quidem, cùm morte sejunctæ essent a corpore, separari tamen ab illo possent; hinc esse illa phantasmata et monstra quæ in sepulchris apparerent, et alibi etiam. Olympiodor. in Phæd. Plat. Ἐπὶ τῶν φιλοσωμάτων ψυχῶν χωρίζεται μὲν τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, οὐ μὲν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος, ἀλλὰ σχετικῶς ἔτι σύνηπται αὐτῷ κατὰ τὴν ἡμίσχετον σχέσιν· ἐξ ὧν καὶ τὰ σκιώδη φαντάσματα περὶ τοὺς τάφους ἐνειλεῖται· ὡς καὶ ὁ ποιητὴς λέγει περὶ τῆς Πατρόκλου ψυχῆς. Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδρότητα καὶ ἥβην. Apul. in Apologia: *At tibi duat Deus iste semper obvias species mortuorum, quicquid umbrarum est usquam, quicquid lemurum, quicquid manium, quicquid larvarum oculis tuis oggerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta.* Vide Plinium, lib. VII, epist. 27. — *Ovoque pericula rupto.* Vet. schol. « Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus. » At aliud superstitionis genus de ovis ruptis narrat Plin. lib. XXVIII, cap. 1: *Huc pertinet*, inquit, *ovorum, ut exsorbuerit quisque calices, cochlearumque protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari.* Similis fere apud nos superstitio, si fuscinæ casu repertæ fuerint crucis formam habentes, si eversum fuerit salinum, aut si tredecim mensæ accubuerint, et alia ejusmodi. C. et A.

186. *Tum grandes Galli.*] Galli, sacerdotes matris Deûm, *grandes* dicuntur ob stultitiam et insulsos mores, ut supra, *Calone.... alto*, et infra, *Vulfenius ingens.* De Gallis, vid. quæ notavimus ad Juven. sat. VI, v. 512. — *Et cum sistro lusca sacerdos.*. Vet. schol. « *Sistrum* (crepitaculum ex ære vel argento, cujus forma ex vett. monumentis satis nota. Vid. Musæum Bibl. Imper. Paris.) sacerdotes Isidis portant. *Lusca* autem, ideo quòd nubiles deformes cùm maritos non invenerint, ad ministerium Deorum se confe-

V. 185, 186. *Tum.* Ita codd. omnes, vel *tune.* Vet. schol. *Tunc*, v. 185, et *hinc*, v. 186, quem secutus est Casaubonus.

Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

« rant. » Ita, τὸ *lusca* vet. interp. ad vitium corporis refert; alii vero, inter quos Casaub. ad vitium animi, ut Horatio et Persio passim *lippus*. De cultu superstitioso Isidis, Juven. VI, 526. A.

187. *Incussere Deos inflantes corpora.*] Injiciunt metum Syriæ Deæ, Cybeles et Isidis, levibus animis occinentes illam furore concutere; hanc plagis, ulceribus morbisque affligere corpora; quæ tamen incommoda et ægritudines ex causis naturalibus proficiscuntur, ut erudite disputat Aretæus, lib. de acutis morbis, cap. 9, ubi explicat cur Syrios Aegyptiosque hæc ulcera divexent potissimum. — *Inflantes corpora.* Tumorem et ulcera immittentes in corpus. — *Si non prædictum, etc.* Nisi observes quæ jubent sacrificuli illi ad placandos Deos suos. P.

188. *Ter mane caput gustaveris alli.*] Si jussum allium, scil. tria allii capita mane non comederis. Hoc autem præceptum, de quo hic Persius, nobis aliunde non est notum.

189. *Dixeris hæc inter varicosos, etc.*] Epilogus satiræ hujus quâ stoicorum paradoxum illud tractavit; scilicet, liberum unum sapientem, servum vero vitiosum. Quod quidem non negat improbari a vulgo, præsertim ab his hominibus agrestibus, quos vocat *centuriones varicosos,* quia plerumque totius virtutis atque honestatis expertes sunt bujusmodi militares. Ita, sensus est: tibi dixi hæc de vera libertate; sed, si eadem fatus fuerim centurionibus, ridebit crassum Vulfenius, et, etc. — *Centuriones.* Legio quæque in centurias dividebatur. Unicuique præerat dux, cui nomen *centurionis* erat, quem nostri vocant *capitaine.* — *Varicosos.* Qui habent in cruribus varices e labore militari, quique, ut corpore, sic animo intumescunt. P.

190. *Crassum ridet.*] Ingentes repente cachinnos tollit, et in risum effusum solvitur; vel potius quod Galli dicunt, *il pouffe d'un gros rire,* pro *d'un rire bête.* Πλατὺν γέλωτα καταχέει τῶν τὰ τοιαῦτα φιλοσοφούντων. — *Vulfenius.* fictum nomen militis proceri et robusti.

191. *Et centum Græcos, etc.*] Et centum philosophos ita disserentes nolit emere centum assibus. — *Græcos.* Sic, sat. I, posuit *crepidas Græcas.* — *Curto centusse licetur.* Centussis est centum asses, quos curtos vocat, quasi unus summæ vel duo dempti fuissent; ita, quemque philosophum non æstimat unius assis. — *Liceri.* Verbum juris usitatum in auctionibus publicis. Gall. *mettre l'enchere.*

SATIRAE SEXTAE
ARGUMENTUM.

IN SEXTA HEREDI TAXAT NIMIUM CUMULANTEM.

Hâc ultimâ satirâ, Persius in avaros invehitur, qui, dum se victu fraudant, divitias cumulant in heredes avidos quibus, quod reliquum est de hereditate, nunquam satis est. Et primum, ad Cæsium Bassum, poëtam lyricum sibique amicum, scribit, rogatque, quoniam Sabinos suos jam secesserit, quid agat, et quo in genere scribendi se exerceat: vicissim, quid ipse faciat, et quo loco sit versatus aperit. Hîc, scilicet ruri, honestis artibus deditus, procul ab ambitione et avaritia remotus, vitam felicem degit, parum curans, an vicinus ditior sit, necne. (1—17). Longe aliter Romani vivunt. Hic eo usque avaritiæ devenit, ut vix natalibus suis aliquantulam partem suarum divitiarum attingat; ille grandia patrimonia improvide vorat (18—22). *Utar ego,* inquit poëta, *utar:* et quomodo utendum sit divitiis ostendit; id est, liberaliter: messe propriâ vivam; nec bona mea effundam; nec, si quis amicus naufragus auxilium a me petat, renuam, sed frangam aliquid de cespite vivo, et largiar inopi (22—33). Inde, ab hoc versu, usque ad finem, festivo cum herede dialogismo, Romanos docet, stultos esse eos qui se labore et inedia consumi patiuntur, ut ingratis heredibus amplas relinquant divitias, quas illi male avaritia partas, male luxuria perdant. Is est ordo et οἰκονομία totius satiræ.

SATIRA VI.

IN AVAROS.

ADMOVIT jam bruma foco te, Basse, Sabino;
Jamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

1. *Admovit jam bruma foco.*] Interpretes plerique primum hunc versum cum interrogatione legunt, ut sit sensus: jamne, ô Basse, bruma te admovit foco Sabino? Jamne, ô Basse, mire artifex intendisse numeris veterum primordia vocum, etc. lyra tua et chordæ vivunt tibi pectine tetrico? Ita est phrasis totius ordo. At ego primum versum positive, neque aliter legendum censeo, eâ nempe fretus opinione, scilicet, extra verisimilitudinem esse Persium ad amicum scribentem nescire quo loco sit: ratus præterea, hanc interrogationem non adeo necessariam esse, quin, eâ sublatâ, nihilominus recte fluat oratio. Ita, nostro judicio: quoniam, ô Basse, jam bruma te admovit foco Sabino; jamne lyra tua vivit? vivuntne tibi chordæ pectine tetrico? mire opifex, etc. — *Foco.... Sabino.* Romani viri docti, qui tempora sua inter negotia et studia dividebant, a Vulcanalibus, cùm jam cœperunt noctes fieri productiores, circa Augusti finem, lucubrare incipiebant. Iidem ad villas, non tantum valetudinis et otii causâ, et per æstatem secedere solebant, sed quovis tempore, ut studio et scriptis indulgerent, quod constat ex Tull. epist. ad Attic. Suet. in Aug. Horat. et aliis. Inde apparet huic Basso fuisse villam in regione Sabinorum. — *Basse.* Plures certe fuerunt hujus nominis viri. De Aufidio Basso, belli Germanici scriptore, loquitur Quintilianus, et de Saleio Basso, epico poëta, quem idem laudat, lib. X, cap. 1. A. Gellius C. Bassi meminit, lib. III, cap. ultimo, qui de vocabulorum origine scite et lepide scripsit. Hi porro non sunt ad quos Persius hanc satiram miserit. Ita autem vet. schol. « Hanc « satiram scripsit Persius ad Cæ« sium Bassum, poëtam lyricum, « quem fama est in prædiis suis « positum, ardente Vesuvio mon« te Campaniæ, et late ignibus « abundante, cum villa sua us« tum esse. Hic ergo, dum viveret, « Româ ad Sabinos necessario « transibat ubi, brumali tempore, « in calido loco, carmina scribe« bat. » A.

2. *Jamne lyra.*] Jamne lyricis

V. 1. *Admovit j. br. foco te, Basse, Sabino.* Cur interrogationis signum post hunc versum non posuerim, vid. sup. comment. — *Admovit.* Codd. duo, *admovet:* alii omnes, *admovit.*

Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ;
Mox juvenes agitare jocos, et, pollice honesto,

carminibus, more tuo, egregiam navas operam? — *Tetrico vivunt tibi, etc.* Jamne pulsantur chordæ citharæ a te? *pectine tetrico*, id est, graves sonos reddente. — *Tetricus* in gravibus ac seriis argumentis usurpatur. P.

3. *Mire opifex, etc.*] Tu qui æque peritus es describere primordia vocum, atque intendere strepitum marem fidis Latinæ. — *Opifex intendisse primordia, etc.* Hellenismus, pro peritissimus in intendendo, etc. — *Veterum primordia vocum.* Vel quod antiquarius fuerit Cæs. Bassus, et antiquis dictionibus usus sit, vel quòd poëmata scripserit: nam, ante prosaicam dictionem, cujus apud Græcos primus auctor Pherecydes fuit, carmina condebantur. Lub. — *Vet. prim. vocum.* Id est, carmina, quæ ante solutam orationem et Græci et Latini fuisse testantur. « His verbis, inquit « Turneb. Advers. lib. XXX, « cap. 7, significari puto Bassum « poëtam esse lyricum. Lyrici au« tem primo Divos, et virtutem « victorum in sacris certaminibus « carmine extollebant; atque ea « sunt *veterum primordia vocum.* » Vid. infra var. lect. A.

4. *Atque marem strepitum.*] Solers scribere forte et generosum carmen lyricum in quo heroum nempe et virorum fortium præclara facta canuntur. Horat. de Arte Poët.

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre. P.

— *Fidis Latinæ.* Apud Græcos, lyrici poëtæ novem memorantur, Stesichorus, Bacchilides, Ibicus, Pindarus, Simonides, Anacreon, Alcman, Alcæus, et Sappho; at, apud Latinos, duo tantum claruerunt, Horatius, et hic Cæsius Bassus, cujus sermo nunc est.

5. *Mox juvenes agitare jocos.*] Mox lyram tuam ad leviora argumenta intendis. Hæc spectant ad ἐρωτικὰ, quibus juveniles curæ, amores, ludi canuntur. — *Et, pollice honesto.* Et decoro poëmate egregios senes eorumque sales, et convivia celebrare. Quæ igitur Horatio *libera vina*, hoc est, συμποτικὰ ἀςείσματα, et laudes vitæ senilis otio et quieti redditæ pulcherrime expressit Persius, his verbis, *et, pollice honesto, egre-*

V. 3. *Vocum.* Restitui ex codd. et editt. antiquis. vet. schol. et post eum editt. recentiores, *rerum;* ut sit sensus: mire opifex intendere primordia rerum, originem rerum pandere, θεογονίαν et κοσμογονίαν celebrare. Hæc explicatio minus ad rem mihi videtur, et vox *rerum* repositam opinor in cod. vet. schol. ab emendatore sciolo, qui vim prioris lectionis non penitus intelligebat. Quapropter codd. nostrorum lectionem recepi.

Egregios lusisse senes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multâ littus se valle receptat.
Lunaï portum (est operæ) cognoscite, cives.

gios lusisse senes; quæ omnia lyrici carminis partes sunt: et pulcherrimum, hoc loco, habes poëtæ encomium, qui æque peritus fuit canere Deorum laudes atque juvenum jocos. *Boileau, Art Poétique, chant I:*

Heureux qui, dans ses vers, sait d'une voix légere
Passer du grave au doux, du plaisant au sévere!
Son livre aimé du ciel, et chéri des lecteurs,
Est souvent chez Barbin entouré d'acheteurs. A.

6. *Mihi nunc Ligus ora.*] Vet. schol. « Seipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines; « videlicet, propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ, « post mortem prioris viri, ibi « nupta erat. » —*Ligus ora.* Hodie, *la côte de Gênes.*

7. *Intepet.*] Temperatiorem, et mitiorem aërem præbet.—*Hybernatque meum mare.* Nam mare Ligusticum in cujus ora nunc sum, agitatur, sævit, et a navigiis vacat, ut solet fieri tempestate hyberna. Tractum hoc a ratione physica: nam tepor maris, quo se modo frui dicebat, tum præcipuus, cùm maria agitantur. Vid. Cic. de Nat. Deor. lib. II. Quod autem hyeme fit mare calidius, apud eumdem, et philosophos alios sæpe legere est. *Hybernat mare*, ut Græci, χειμάζεται ἡ θάλασσα, et Horatius, lib. II, sat. 2: *Defendens pisces, hyemat mare.* C.

8. *Dant scopuli.*] Lunæ promontorii descriptio, de quo Ptolemæus, et Strabo, lib. V.—*Multâ littus se valle receptat.* Ubi sinum natura fecit, et deflexum littus in formam *lunæ* curvatur, nomenque inde datum. P.

9. *Lunaï portum, etc.*] Hunc locum commendaturus, inserit versum Ennii, qui et ipse, in principio Annalium suorum, *portum Lunæ* collaudavit. — *Lunaï* pro *Lunæ*, *aï* pro *æ*, solemne apud veteres poëtas, Lucretio præsertim, ac Virgilio interdum *aquaï*,

V. 9. *Lunaï portum (est operæ) cognoscite, cives.* Hunc versum integrum restitui ex meo cod. cui assentiuntur codd. Thuan. Colbert. I et II, Fauchet. Pithoean. II, et septem alii. Vet. schol. hunc versum sic legit:

Lunaï, pretium est operæ cognoscere, cives,

quæ lectio glossam redolet. Putean. cod. vet. edit. Britannici, editt. Aldinæ, Casaub. Lub. et recentiores melius:

Lunaï portum, est operæ cognoscere, cives.

Nostra lectio vividior est, et codicum auctoritate præstat.

Cor jubet hoc Ennî, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus, pavone ex Pythagoreo.
Hîc ego securus vulgi, et quid præparet Auster

aulaï, pictaï, etc. — *Lunæ* vero portus est maximus, seu, verius, est sinus inter portum Veneris et portum Erycis, ambitu viginti millia pass. patens; hodie *golfo della Spezzia*, sic denominatus ab urbe Spetia, quæ sita est in intimo recessu. — *Est operæ*. Subauditur pretium, ut sæpe fit apud bonos scriptores Latinitatis. P.

10. *Cor jubet hoc Ennî*] Id est, hoc nobis imperat Ennius, vir cordatus et sapiens. Nam, cor radix vitæ et fons, ponitur pro mente et sapientia. « Peut-être, « inquit Gallicus interpr. *Le Mon-« nier*, Perse veut-il, en passant, « railler la folie d'Ennius, qui « avait prétendu avoir trois cœurs, « parce qu'il savait trois langues. « Dans ce cas, *cor* au singulier si-« gnifiera, *Ennius devenu sage, et « se contentant d'un seul cœur.* » — *Ennius.* Poëta epicus, post Liv. Andronicum vetustissimus, annales pop. Rom. epico carmine scripsit. De eo vid. quæ notavimus initio prologi, v. 2. — *Postquam destertuit esse Mœonides.* Hellenismus, pro destertuit se esse Mœonidem. — *Destertuit.* Somniare desiit se Homerum esse, et ad se reversus, omissa Pythagoræ de animarum in alia corpora transmigratione sententiâ, Quintus Ennius sibi videri cœpit, non Quintus Homerus, ut antea. Ita Turneb. Advers. Lib. XXX, cap. 7. Somnium autem Ennii satis notum. Vid. prolog. v. 2. A.

11. *Mœonides.*] Sic dictus Homerus a Mæonia patria. — *Quintus, pavone ex Pythagoreo.* Id est, postquàm factus est Quintus Ennius, ex pavone Pythagoreo. Ennius finxerat immigrasse in se animam Homeri, a quo illa in pavonem, ac deinde in Pythagoram, postea vero in Ennium transiisset. Hæ sunt nugæ Pythagoreæ de Metempsychosi, quas salse deridet poëta. P. et A.

12. *Hîc ego securus vulgi.*] In portu Lunæ, inquit, versor, ut antea dictum, parum curans rumores populares; procul ab ambitione et vulgari strepitu. Securitas hæc de qua sentit Persius, illa est quam conciliat sui studiosis sola virtus, cujus propria laus est, quòd animos omni perturbatione affectuum liberatos, in securo tranquillitatis portu, ἀκυμάντῳ, collocat. Chrys. in Matth. homilia XXV. Τίς ἐστιν, ait, ἡ ἰσχὺς τῆς ἀρετῆς; τὸ μετὰ ἀσφαλείας ζῆν· τὸ μηδενὶ τῶν δεινῶν εὐχείρωτον εἶναι. — *Et quid præparet Auster,*

V. 11. *Mœonides Quintus, pavone ex Pythag.* Nonnulli codd. *ex pavone Pythagoreo*, male. Thuan. cod. *a pavone Pythagoreo.*

V. 12. *Ego.* Male, et sine auctoritate, interpr. Gallicus *Le Monnier* legit *ago.*

Infelix pecori : securus et angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior : et si adeo omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapidâ naso tetigisse lagenâ.
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo

etc. Et securus, parum curans quid, etc. Ait se tantum in studio virtutis profecisse, ut paratus sit ad congrediendum cum fortuna, quod ad opes pertinet. Atque ita ostendit quàm alienus sit a divitiarum cupiditate, avaritiâ et invidiâ. — *Auster infelix pecori.* Auster ventus meridionalis, suo calore pecoribus noxius; quippe qui eis morbos et sæpe perniciem creat; ideoque, hoc loco, dicitur infelix. C.

13. *Securus et angulus ille, etc.*] Invidiam a se avertit quæ fere comes esse solet avaritiæ, et πλεονεξίας. Lucilius : *Nulli me invidere, neque strabonem fieri sæpius deliciis me istorum.* Non curo igitur, inquit poëta, si vicini mei angulus nostro longe pinguior est et fertilior. C.

15. *Ditescant orti pejoribus.*] Non invidiâ solum careo, inquit; sed ne justæ quidem indignationis ac νεμεσήσεως sensum habeo, etsi video mandari honores indignis, aut ignobilibus, pejoribus ortis, libertinis, equitibus Asianis, etc. — *Usque recusem, etc.* Et nunquam adducar, ut dolorem ex ea re ullum capiam, et, propter divitias acquirendas, senio minuar. C.

16. *Ob id.*] Quia quivis alius ditior me est. — *Minui senio.* Hesiodus : Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Nolo igitur senectutis incommoda accelerare per susceptos lucri causâ labores, et præ invidiâ meipsum discruciare. Ovid. I, de Pont. eleg. 5 :

Jam vigor, et quasso languens in corpore vires
. . . .
Confiteor facere hoc annos; sed et altera causa est,
Anxietas animi, continuusque labor.

— *Sine uncto.* Sine lautitiis; et, avarorum more, oleribus vesci, et defraudare Genium, ut divitias heredibus accumulem. — *Uncto.* Et delicato cibo. C. et P.

17. *Et signum in vapida, etc.*] Nec propterea minus liberaliter opibus meis fruar, nec unquam avarus, immo sordidus, fiam. « Duplex nota, inquit Casaub. « minutissimarum sordium quam « hic recenset : prior, obsignare « lagenas in quibus non vinum « sit, sed vappa; id enim est *vapida lagena :* deinde, cùm re« signandæ sunt, tanto studio « observare an integra sint signa, « ut naso contingat lagenas. »

18. *Discrepet his alius.*] Ego quidem ita vivere volo : alii aliter vivant, nihil contradico; si quidem, etc. — *Geminos, horoscope, varo producis Genio.* O horoscope,

Producis Genio. Solis natalibus, est qui
Tingat olus siccum muriâ vafer in calice emptâ,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,

etsi unus idemque es gemellis fratribus, tamen producis eos diverso ingenio. — *Horoscope*. Astrum natale: quod omnibus notum. — *Varo*. Id est, vario ac dissimili. Vid. sat. IV, v. 12. Non similes fuisse etiam gemellis fratribus, multo minus aliis, animi affectus, id confirmatur multis exemplis, præsertim Castoris et Pollucis (Horat. lib. II, sat. 1.), et Commodi atque Antonini, M. Aurel. Antonini geminorum exemplo, in quorum vita nil fuit simile, etsi pares fore ex astrorum cursu promittebant mathematici, ut scribit Lamprid. A.

19. *Solis natalibus.*] Ex duobus gemellis, alter adeo parcus et tenax erit, ut ne natalitio quidem die sibi quicquam indulgebit; et vix tinget, etc. De die natali, vid. passim apud Juvenalem et Persium, et Alex. ab Alex. A.

20. *Tingat olus, etc.*] Mirus est in hac phrasi verborum delectus, ad augendam vim satiricam, potissimum valens. Primo, non inspergit olus, sed tingit leviter, imbuit; 2°, adverte *olus siccum*, vetustate jam insulsum et rancidum; 3°, non oleo, aliisve condimentis lautioribus, sed *muriâ*, liquaminis genere vilissimo, ex sanie thunnorum confecto, vel potius aquâ salsâ, in qua aliquid servatum fuit aut maceratum: et tamen ille *vafer*, callidus in avaritia sua, muriam non nisi in vasculo coemit et comparat, unde et intincta olera sicca remanent saltem parte sui maximâ. A.

21. *Ipse sacrum piper, etc.*] Eadem descriptio avari emphatica producitur. *Ipse*, non coquus, nec servus mediastinus, vel alia quævis diobolaris ancilla, *irrorat*, infundit parce et guttatim, unde et *guttus* est appellatus, *sacrum piper*, cui tanquam rei sacræ parcit. Confer hanc avari descriptionem cum præcedenti, sat. IV, v. 25 et seqq. — *Hic bona dente, etc.* Alter autem geminorum prodigus, opes abligurit et dilapidat in conviviis et in luxu. Exemplum prodigi contrarium superiori. C.

22. *Magnanimus.... puer.*] Qui magnificentiam veram magnitudinem esse existimat. — *Puer.* Hic pro stulto, non ætate, sed moribus: quia, ut ait philosophus, διαφέρει οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεαρός. — *Peragit.* Absumit. Horat. *stringit:*

Præclaram ingratâ stringit malus ingluvie rem;

et alibi, *oblimat.* — *Utar ego, utar.* Inquit Persius utar, sed non abutar, ut prodigi faciunt. C.

Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenues solers turdarum nosse salivas.
Messe tenus propriâ vive, et granaria, fas est,
Emole. Quid metuas? occa: en seges altera in herba est.

23. *Nec rhombos ideo, etc.*] Non similis illis nepotibus et stultis, qui dum lauti volunt haberi, etiam libertis suis *rhombos* apponunt. Per rhombos intellige exquisitiores epulas. Romanorum autem multi libertos suos honore mensæ non dignabantur; aut certe diversa illis apponebant. Vid. Juven. sat. V.—*Lautus ponere.* Hellenismus, pro *lautus* in ponendis, etc. C.

24. *Nec tenues solers turdarum.*] Vet. schol. « Cognoscere turdarum sapores. Solent enim quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius sit: an masculus, an femina. *Turdarum* dixit abusive, cùm *turdorum* debuerat, ut Horatius ponit:

« Pene macros arsit, dum turdos versat in igni. »

— *Turdi*, inter volatilia celebrantur. Plin. lib. X, cap. 24, Athenæus lib. II, cap. 24, Aristot. et Horat. lib. I, epist. 15.—*Salivam.* Pro gustu et sapore frequens Latinis ex ratione physica: nam, quando anima movetur appetitu aliquid edendi, propter partium sympathiam, statim saliva in ore nascitur, tanquam supplente, pro sua virili natura, defectum rei optatæ. C.

25. *Messe tenus.*] Quantum ex agris per annum colligis tantumdem tibi impende et aliis. Esto liberalis κατὰ τὴν οὐσίαν, id est, pro modo tuarum opum. Est enim ἐλευθέριος, inquit philosophus, ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν δαπανῶν καὶ εἰς ἃ δεῖ. — *Messis.* Est annuus reditus. — *Granaria.... emole.* Quid cogitas, ô stulte, dum assidue bona congeris in horreis et granariis? quin potius promis quæ servas condita et amicis pauperibus illa elargiris?—*Emole granaria.* Ἀλινῶς, pro exhauri molendo, et largiter quotidie insumendo. C.

26. *Quid metuas.*] Quis est iste

V. 23. *Rhombos.* Codd. Thuan. Putean. Fauchet. Pith. I, et duo alii, *scombros*: et eam lectionem genuinam pene suspicarem; nihil tamen ibi mutandum judicavi.

V. 24. *Tenues salivas.* Restitui ex codd. Thuan. Putean. Colbert. I, Pithoei 8072, Mazarin. Fauchet. codd. 8050 et 8610, et tribus aliis. Vet. schol. et VII codd. *tenuem salivam.* At vet. schol. interpretatur *sapores*: ergo nostram lectionem in cod. veteris schol. insertam primo fuisse opinor. — *Turdarum.* *Turdorum* autem pro *turdarum* nonnulli codd. habent: forte melius.

V. 26. *Metuas.* Dimidia pars codd. *metuis.* Utrumque bene. — *Et.* Edit.

Ast vocat officium : trabe ruptâ, Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem, surdaque vota
Condidit Ionio ; jacet ipse in littore, et una
Ingentes de puppe Dei ; jamque obvia mergis

metus egestatis? quæ diffidentia? cùm tua granaria segetibus sint referta? — *Occa.* Labora, atque interea certâ fruaris spe, non defore laboranti quod futurum sit satis ; nam tibi jam secunda *messis in herba est.* — *Occa.* Proprie, ligone glebas frange. C.

27. *Ast vocat officium.*] In præcedentibus, bonum usum divitiarum ostendit. Præcepit, ut quisque opibus suis liberaliter frueretur, κατὰ τὴν οὐσίαν, et ex proventu annuo sibimet indulgendo, et amicis largiendo : nunc de altero opum usu loquitur, quem definit necessitate, et calamitate inexspectatâ amici egentis, cujus gratiâ etiam prædia vult vendi et rem partam imminui. Ast, inquit, officium amicitiæ et humanitatis me vocat, opibus meis fruitus sum ex proventu annuo, et, anno finito, nihil mihi superest de reditu, quo huic amico possim opitulari. En, sibimet respondet Persius, occasionem oblatam benefaciendi, καὶ τοῦ εὐεργετεῖν, *frange aliquid de cespite vivo.* Quidam hic dialogum inter avarum et Persium institui volunt, quasi avarus ad hæc, quæ antea poëta de liberali opum usu dixerat, avaritiam suam sub specie humanitatis prætexendi causâ, objecisset : *ast me vocat officium, etc.* Quæ minime necessaria est ista personarum suppositio. Simpliciter ergo et objectionem et responsum in ore poëtæ reposuimus. A. — *Trabe ruptâ.* Describit naufragium in freto Siciliæ. Nave ruptâ, inquit, amicus inops, etc.

28. *Prendit* (Bruttia saxa) *amicus inops.*] En, post naufragium, amicus inops ; enatans evasit in littora Brutiorum. Virgilius, Aeneid. VI, de Palinuro :

Prensantemque uncis manibus capita ardua montis.

— *Surdaque vota.* Et cum opibus in mare condidit sua vota a Diis rejecta, non exaudita, quibus Dii surdi fuerunt. — *Ionio.* Subauditur mari.

29. *Et una ingentes de puppe Dei.*] Et cum eo jacent Dii navis tutelares, ablati de puppe, quos, homo pius, secum tulit. In puppe autem sacrarium fuisse, quo Deorum imagines et simulacra reconderentur in tutelam navis, omnibus notum. A.

30. *Jamque obvia mergis, etc.*] Jamque navis diffractæ ligna, et trabes super mare fluitantia, obvia feruntur marinis avibus ad ea advolantibus, ut inde prædam captent.

vet. Britannici, et nonnullæ edit. recentiores habent *en* pro *et ;* non male, certe.

Costa ratis laceræ. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid; largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris heres
Negliget, iratus quòd rem curtaveris; urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.

31. *Costa ratis.*] Pro lignis quibus navis latera intexuntur. — *Nunc et de cespite vivo.* Quid moraris, inquit poëta, amico infelici debes opitulari, non de proventu annuo solum; sed et de ipsis fundis. — *Cespite vivo.* Hoc est, de segete ipsa, quæ adhuc in herba est. — *Cespes.* Est terra cum gramine. P.

32. *Ne pictus oberret, etc.*] Ne cogatur mendicando victum sibi quærere, sui naufragii exhibens imaginem, ex more naufragorum. Vid. sup. sat. I, v. 90, et Juven. sat. XIV, v. 301.

33. *Cærulea in tabula.*] Tabula dicitur *cærulea*, propter colorem maris quod exhibet. — *Sed cœnam funeris heres, etc.* Tangit simul quorumdam avarorum dementiam, qui, ait Senec. ut heredi suo procurent, sibi negant omnia; et aviditatem heredipetarum bonis futuris inhiantium, qui, cùm suas spes delusas vident, funera amicorum negligunt. Respondet igitur avarus: at enim, si ita patrimonium effuderis, iratus heres, ob imminutam hereditatem, mortuo tibi justà non persolvet, sumptus omittet, et apparatus funebres. Porro ridicula satis erat quorumdam ambitio, qui, cùm ingloriose vixissent, magnificum sibi funus duci et parari, imprimis ferales epulas et novendiales, instrui cuperent. — *Cœnam funeris.* Silicernium intelligit, quæ cœna in mortuorum solatium Diis Manibus inferebatur, et una cum funere cremabatur; vel potius epulas novendiales, circumpotationes, περίδειπνα dictas, quæ amicis et propinquis post exequias dabantur, in quibus mortui laudes recitari erat moris. P. et A.

34. *Quòd rem curtaveris.*] Quòd tantum de speratis bonis detractum sit. — *Urnæ ossa inodora dabit.* Cineres dèfunctorum urnæ immissos, in sepulchro solitos condi, nemini non compertum. — *Ossa inodora.* Sine ullis aromatibus. A.

35. *Seu spirent cinnama surdum.*] Ordo est: iratus heres, *paratus nescire*, id est, parum curans, an cinnama, etc.—*Cinnama* et *casiæ*. Synecdochice, pro omni aromate ponuntur. — *Spirent.... surdum.* Odorem obtusum, insensibilem.

36. *Seu ceraso peccent casiæ.*] Vel

V. 31. *Ratis. Navis* pro *ratis* habet cod. Thuan. Male, propter metrum.

V. 32. *Ne.* Ita omnes optimi codd. Nonnulli *nec.* Tres alii, *nunc*: male, propter sensum.

Tunc bona incolumis minuas? Sed Bestius urget
Doctores Graios: ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc, maris expers,
Fœnisecæ crasso vitiârunt unguine pultes.

adulteratæ fuerint gummi e ceraso. C.

37. *Tunc bona incolumis minuas?*] Dicet tibi heres tuus iratus. Debesne ita sanus, et nunc vivus, bona impendere tua?—*Sed Bestius urget.* Bestius cognomen Romanum apud Horat. lib. I, epist. 15, et alios: hîc nomen θετικὸν turpilucripidi hominis, hereditati alienæ inhiantis. — *Urget doctores Graios.* Bestius invehitur in philosophos Græcos, quòd secum attulerint artem liberaliter vivendi et honeste, quo fit ut hereditates minuentur C. et P.

38. *Ita fit, etc.*] Hic locus perobscurus sane est, cujus difficultas inest in verbis, *nostrum hoc maris expers*, propter ambiguitatem verbi *expers*, sicuti verbi *maris*. *Expers* duas habet significationes. Vulgo *expers*, ab *ex parte*, qui nullam habet partem, id est, qui caret. Aliquando etiam venit ab experiri, et locum tenet participii *expertus*, qui expertus est. Probat hoc vett. glossarum auctor, qui utramque notionem agnoscit, sic enim ille: *expers*, ἄπειρος καὶ ἔμπειρος. Ambigua etiam est, hoc loco, verbi *maris* significatio. Venitne a *mare, maris*; an, a *mas, maris*? Quæ cùm ita sint, ne lectorem vanis quæstionibus fatigemus, duas tantum afferemus interpretum sententias præcipuas. Illa sic: *Ita fit*, ait Bestius, *postquam nostrum hoc sapere*, id est, nostra hæc sapientia *maris expers*, masculo robore carens, mollis et effeminata, *urbi venit cum pipere, etc.* Altera, sic: *Ita fit, postquam sapere*, id est, sapientia Græcorum *venit cum pipere et palmis:* tunc *nostrum hoc*, id est, nostra propria sapientia a majoribus accepta, ut *maris expers*, id est, sine sale, insulsa, nullius pretii habita est, et contemni cœpit; tunc *Fœnisecæ vitiarunt, etc.* Illa Casauboni sententia, hæc Turnebi Advers. XXX, cap. 7, Casauboni quidem sententia simplex videtur, et rei accommodata. Alii tamen simplicius: postquam nostrum hoc sapere, *notre nouvelle sagesse*, maris expers, transmarina (vide notæ hujus superiorem partem), *qui a passé les mers*, venit, admissaque est in urbem; tunc *Fœnisecæ, etc.* A.

39. *Cum pipere.*] Ante piper inventum, baccas in usu fuisse testatur Plin. lib. XV, cap. 29.—*Palmis.* Pro earum fructibus, qui dactyli vocantur, Gall. *dattes.*—*Nostrum sapere.* Nostra sapientia.

40. *Fœnisecæ vitiarunt.*] Ex eo tempore, adeo depravata sunt

V. 39. *Venit nostrum hoc, maris expers.* Codex noster: *venit hoc nostrum, et maris expers.* Male omnino.

Hæc cinere ulterior metuas? At tu, meus heres,
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
O bone! num ignoras? Missa est a Cæsare laurus

omnia, ut viliores rustici, quales sunt qui fœnum secant, lautitias quæsiverint. — *Vitiarunt.* Additis condimentis, quasi violarunt. — *Unguen.* Unctura, condimentum crassum. Vet. schol. « Solent rustici, cùm oleum defuerit, pecuum adipe in pultem misso, pro oleo uti. » — *Pultes.* Vide Juven. sat. XI, v. 58, XIV, 171.

41. *Hæc cinere ulterior metuas?*] Avaro respondet: Has tu minas tui heredis metues, cùm eris mortuus? Has igitur jure, cùm eris *cinere ulterior*; sed nunc, vivus, quid metuas. — *Cinere ulterior.* Notandum est hoc loquendi genus, pro, cùm fueris fato functus. Sic Græci, περιαιτέρω κόνεως, ultra cineres, pro a morte. — *At tu, meus heres, etc.* Ubi alios reprehendit, quid ipse sentiat ostendit: quasi igitur dicat: Alius hoc timeat, scil. timeat alius, ne heredes sui funeris cœnam negligant; ego nihil timeo. Atque, ut tu, mî heres, quisquis eris, scias me vacuum ab hoc metu, narro tibi, si nescis, mihi in animo esse ludos edere magnificos, propter lætam de Germanis victoriam. Scis quanti sumptûs rem moliar; sed nil me terret impensæ magnitudo: faciam. Quid tu igitur ad hæc? C.

42. *Quisquis eris.*] Recte: nam heredes non habebat Persius. — *A turba seductior.* Remotis arbitris: quia vulgo philosophia laborabat invidia atque odio.

43. *O bone! num ignoras?*] Ὦ τ' ἂν εἶσθ' ὅ σοι λέξω; mire morata hæc oratio lectorem attentum detinet. — *Missa est a Cæsare laurus.* Num tu ignoras? A Caio Germ. Caligula Cæsare laurus, victoriæ index, cum litteris ad senatum missa est, ob egregiam Romanorum victoriam, et insignem cladem et stragem Germanæ pubis. Cui victori (Caligulæ) jam sacrificia et victimæ in triumphum parantur, et ab omnibus aris frigidus excutitur cinis, et altaria ad sacrificia præparantur. L.— Porro hæc ingeniose et satirice in Caligulam direxit poëta: is quippe, cùm triumphare vellet de simulato hoste, victoriam finxit (conchas tantum, jussu ejus, milites in littore legerant); et, quasi Germanos longe lateque vicisset, laureatas litteras ad senatum misit; simulque suis procuratoribus mandavit, ut, minimâ impensâ, quàm magnificentissimum triumphum appararent, datâ iis licentiâ, ut in omnium civium bona, ad hoc munus exequendum, incurrerent. Vid. Suet. in vita Calig. cap. 46, 47. Quomodò usi sint procuratores, nos satis docet Persius hâc descriptione. Cæterum, Persius ad utrumque genus

V. 41. *Hæc cinere ulterior.* Cod. Putean. *Hoc cinerem ulterior.*

Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis; ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos:
Dîs igitur, Genioque ducis centum paria, ob res

liberalitatis præstantissimâ hâc satirâ paratnm auditorem tenuit. Hactenus, de privatis impensis egit; hoc loco, de publicis, quibus convenit magnificentia. Cùm autem, hoc infelicissimo sæculo, Romani, qui antea tam magnifice, hilariter, et libenter erga victores usi erant, ad maximas impensas inviti adigerentur a tyrannis quorum dominium essent, necesse erat eos præceptis instrui quæ animnm adversus tales casus firmarent; qnod, quasi aliud agens, hoc loco, efficit poëta. — *Laurus.* Laureata epistola in signum victoriæ. Plin. lib. XV, cap. 10; Tit. Liv. lib. V; Martial. lib. VII, epig. 4, 5, 6, et alii. C. et A.

44. *Insignem ob cladem.*] Ironice. Vid. Suet. vit. Calig. cap. 46.

45. *Frigidus excutitur cinis.*] Postremi sacrificii residui cineres amoventur, novus ignis, nova sacra instaurantur. — *Jam postibus arma.* Tropæa militaria *postibus* templornm et arcubns triumphalibns spponuntur. Virgilius, Aeneid. VII:

Multaque præterea sacris in postibus ârma,
Captivi pendent currus, curvæque secures. P.

46. *Jam chlamydes regum.*] *Chlamys.* Militaris vestis pallio astrictior et brevior. — *Jam lutea gausapa captis.* Et *gausapa*, teste Varrone, vestes Gallornm villosæ, crocei coloris: stramenta, quibns ntuntur in castris milites. Vid. sup. sat. IV, v. 37. L.

47. *Essedaque.*] *Esseda*, currus Gallorum, Belgarum et Rheni incolarum vehicula, quibns etiam utebantur in præliis: ex iis enim olim depugnabant, et, rotarum ingruentium strepitu impetuque, hostium ordines proterebant, aut perturbabant. Virg. Georg. III:

Bellica vel molli melius feret esseda collo. P.

— *Ingentesque locat Cæsonia Rhenos.* Cæsonia uxor, mnlier perditissimæ libidinis. Vid. Juvenalem, sat. VI, v. 610 et 615. — *Ingentes Rhenos.* Rhenanos, Rheni accolæs. Rhenanos autem vocat quos Suet. Gallos fuisse ait: *conversus ad curam triumphi, præter captivos et transfugas barbaros, Gallorum quoque procerrimum quemque, et, ut ipse dicebat*, ἀξιοτριάμβευτον, *ac nonnullos ex principibus legit et seposuit ad pompam.* C.

48. *Dîs igitur, etc.*] Diis majoribus, Imperii patronis. — *Genioque ducis.* Caligulæ. Per Genium principis jurabant veteres,

V. 46. *Captis.* Pro *captis* habent nonnulli codd. *victis:* at parvi interest.

Egregie gestas, induco. Quis vetat? Aude.
Væ! nisi connives. Oleum, artocreasque popello
Largior. An prohibes? Dic clare. Non adeo, inquis:

et ipsi sacrificabant. — *Centum paria.* Centum paria gladiatorum, ut vult Turnebus: alii volunt becatomben, minus bene. Cæterum, bos sumptus non esse unius privati recte observat Casaubonus: supplicationes enim, deinde triumphus, immolationes bostiarum et ludi gladiatorum, et largitiones in populum collatæ, e publico ærario, aut e fisco principis decerni solebant: hæc igitur largitio quam hîc memorat, non erat collatio quædam usitata; sed per vim expressa a procuratoribus et Cæsonia: sicuti enim ædiles et alii magistratus, cùm ludos ederent, ab amicis sublevabantur; ita Caius necessaria ad triumphum suum a civibus extorsit. — *Ob res egregie gestas.* Ob insignem victoriam Caii. Ironice, nt supra. C. et A.

49. *Induco.*] Verbum arenæ ac muneris *induco*, ut *produco*, id est, in medium affero.—*Quis vetat? Aude.* Num audes refragari, ô heres! et deterrere me a consilio quod cepi?

50. *Væ! nisi connives.*] Impendet tibi malum si forte non assentiaris: nam, aut Imperatorem infensorem invenies, aut ego eo majoribus sumptibus exbauriam hereditatem, quo magis vetare conatus fueris. Paulo post:

.... Nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. . . . .

—*Oleum artocreasque popello.* Quin etiam oleum et *artocreas*, cibum ex pane et carne, atque adeo epulum et congiarium populo largior.—*Artocreas.* Ab ἄρτος et κρέας. Et hæc, ut recte observat Casaub. non privati hominis est impensa. Ita igitur jungenda sunt præcedentibus, et sunt exempla collationum quæ civibus fuerunt imperatæ a Caii procuratoribus, ad celebrandam victoriam ejus. Moris enim Romæ erat, ut epulum et visceratio darentur populo a triumphantibus, frumentum etiam viritim dividebatur, cum oleo et nummis. C.

51. *An prohibes?*] An tu, ô beres, illud fieri vetas?—*Dic clare.*

V. 51. *Non adeo, inquis.* Codd. Putean. Colbert. II, III, Mazarin. Fauchet. cod. noster, et multi alii, *non audeo, inquis;* quæ lectio genuina, et ab auctore profecta nobis videretur; nisi metrum ei adversaretur: unde suspicor fuisse prius scriptum: *Largior. An prohibes? Clare. Non audeo, inquis.* — *Clare.* Subanditur *dic*, *parlez net.* — *Audeo.* Vocalis o non eliditur, per licentiam poëticam. At melius, nostro judicio, vet. edit. Britan. *Non ausim, inquis;* ut sit versus spondaïcus. Quæ lectiones variæ nostram interpretationem confirmant: non *audeo*, vel non *ausim* accipere tuam hereditatem; nam ager tuus *exossatus*, exhaustus est. IV codd. tantum habent: *non adeo, inquis.*

Exossatus ager juxta est. Age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque aviâ nihilum superest; accedo Bovillas,

Quasi heres ringatur ad hæc, et murmuret. Ecquid hæc res tibi molesta est? L. — *Nan adeo, inquis.* Perobscurus hic locus multas accipit interpretationes. Alii: non adeo fertilis et optimus est fundus tuus, ut hereditatis tuæ avidus sim, et vetare velim, quin prorsus in largitiones effundas; vel potius non ita dives es, ut his sufficere possis. Quæ interpretatio eo contorta magis est, quòd interpretes extra sensum explicant *exossatum*, fertilem: porro, *exossatum* significasse unquam *fertilem*, quis unquam credat? Alii: non adeo tuæ largitioni adversor; est enim tibi, juxta, ager fertilis. Eumdem errorem creat verbum *exossatus*. Alii sensum separant, et dicunt: non adeo tuæ largitioni adversor: ad quæ poëta respondet: est mihi ager fertilis *juxta, etc.* Quæ interpretatio pene inepta est; nec hoc responsum poëtæ concordat cum heredis proposito; atque ut Galli dicunt, *c'est parler à bâtons rompus.* Alii demum: *non adeo* (verbum juris), non adeo, accipio hereditatem tuam; ager enim tuus his impensis, his largitionibus *exossatus*, exhaustus, ad nihilum pene redactus est. Porro, apud Romanos, prope infamis erat ille cujus hereditatem recusabant propinqui. *Age, eh bien! puisque tu n'en veux pas*, tu hereditatem meam non accipis, inquit dives, *age*, ita sit: alium heredem quæram; nec mihi deerit. Hanc explicationem veluti genuinam et solam aptam propositioni recipio. Vide supra varias lectiones. A.

52. *Exossatus.*] Exhaustus, et jam sine succo et bonitate. Ita passim apud Plautum et alios, pro enervatus, debilitatus. — *Juxta.* Hoc loco, idem ac prope, pene; ut in Cæsare, *juxta ad seditionem ventum.* — *Age, si mihi nulla, etc.* Responsio divitis quæ, in nostro sensu, recte heredis verbis aptatur. Vid. sup. A.

53. *Amitis.*] Amita, patris soror. *Patruelis.* Hoc loco, consobrina: præterquam quod patrueles dicuntur ex duobus fratribus editi, consobrini vero ex duabus sororibus. P.

54. *Sterilis matertera vixit.*] Si matris meæ soror nullum reliquit.

55. *Deque avia nihilum superest.*]

V. 55. *Bovillas.* « *Bouillas* omnes codd. habent, inquit Casaubonus, « non *bohillas;* quo tamen modo nonnullos scripsisse ex Nonio constat. « Falluntur, qui eam scripturam tuentur, quia Græci scribunt βοῦλλαι: « nam est ut βόες, *boves*, ὄϊς, *ovis*, et ita semper. » Cod. noster, et alii quos vidimus, habent *bouillas* (pro *bovillas*, *u* pro *v*), et omnes edd. priscæ.

Clivumque ad Virbî: præsto est mihi Manius heres.
Progenies terræ? Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater; haud prompte dicam. Tamen adde etiam unum,
Unum etiam, terræ est jam filius: et mihi ritu

Hoc dictum, ut vel remotissimi gradus cognationis intelligantur. —*Bovillas.* Vicus in Appia via, ad undecimum lapidem ab Urbe, ubi Clodius a Milone interfectus est. Sedes erat frequens mendicis, quia tritum iter est. P.

56. *Clivumque ad Virbî.*] Bovillæ et Aricia vicina admodum loca in via Appia: sed aliquando remotior ab Urbe Aricia, ubi *clivus Virbî*, id est, nemus Aricinum, et Nemorensis Diana. Vid. Strabonem, lib. V. C. — *Præsto est mihi Manius heres.* Hoc ironice accipiendum, id est, inter hos mendicos, qui Aricinos mendicant ad axes, et ad clivum Virbî, erit mihi heres, et quidem Manius, id est, vir fortis, strenuus, et similis Manio. Porro, Manius quidam, ut ait Festus, Dianæ agrum et lucum consecraverat, et, ne quis virtutis expers sacerdotium teneret, statuerat omnibus licitum fore sacerdotem interficere ac supplantare. Unde proverbium illud Romæ tritum, *multi Manii Aricinæ*: nam sacerdotium hoc solâ virtute poterat parari et conservari. A.

57. *Progenies terræ?*] Responsio heredis. At Manius iste est *progenies terræ*, id est, obscurus homo, genere incertus, et, ut ait Juvenalis, sat. IV, v. 98, *fraterculus Gigantis.* — *Quære ex me, etc.* inquit poëta. Tu dicis Manium istum esse sine parente, ideoque heredem meum non esse posse; at, pete a me quis sit meus abavus, non facile dicam. Si gradum cognationis unum adjicias, alterum etiam, nihil dicam: *terræ filius erit*, id est, obscurus, et mihi prorsus incognitus: tam igitur Manius erit mihi heres et propinquus quispiam remota cognatione affinis, de quo perinde dubitare mihi fas sit ac de Manio. — *Quartus pater.* Abavus. A.

58. *Adde etiam unum.*] Atavum.

59. *Unum etiam.*] Tritavum. — *Terræ jam est filius.*] Probat cognatum sibi Manium esse. Cognati dicuntur, inquiunt Masuri rubricæ, qui in uno tertio conveniunt: porro, tritavus meus

V. 58. *Haud prompte dicam. Tamen adde.* Sic interpunxi ex codice meo et editt. antiquis Britann. et Aldina. Vet. schol. Casaub. et recentiores sic: *haud prompte, dicam tamen. Adde, etc.* Minus elegans forte est nostra lectio, sed lucidior et ad rem aptior.

V. 59. *Unum etiam, etc.* Hic versus in codd. Puteano et Pithoeano, 8072 abest, et reipsa, salvo sensu, potest rejici; quippe qui glossam redoleat. Ita legeremus: tamen adde etiam unum, *ajoutez y cependant un seul degré*, Manius exit tunc prope major avunculus, etc.

Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille

et Manius filii terræ sunt; ergo inter se cognati; ergo quoque inter me et Manium exstat cognatio. Facetum argumentum. E terra antem natos homines docuerunt Empedocles et alii; ex aquis vero Thales. Hinc igitur terræ filii nuncupati, quorum genus ignorabatur. Vid. sup. 57. P.

60. *Manius.... major avunculus exit.*] Ista ratione Manius mihi cognatus probatur esse; non ille quidem proximus, sed tamen cognatus. Major avunculus Festo et jurisconsultis est avi aut aviæ avunculus: at Suetonio est matris avunculus. C.

61. *Qui prior es.*] Ad legitimum heredem redit, et ait: tu qui mihi propinquior es quàm Manius, cur de mea hereditate adeo sollicitaris. Alii interpretantur aliter *qui prior;* scil. tu qui es ætate major quàm ego sum, cur, etc. Sed, ut ait Casaubonus, nihil præcedit unde hoc eliciatur; neque semper verum est. — *Cur me in decursu lampada poscas.* In agonibus λαμπαδη-δρομίας, cùm accensas tædas manibus tenentes currebant, posterior cursor facem poscebat priorem; non contra: lampades autem tradebant non currentes, sed decurso stadio; sicut hereditatem tradit, non qui vivit, sed qui vixit: ita versûs istius sensus est: tu qui mihi propior es heres, cur me, dum adhuc curro, dum vitæ curriculum ago, lampada poscas? Allegorice, pro cur, dum vivo, hereditatem meam a me petis. Lampadis autem tria erant festa apud Athenienses, ut ait Snidas, Panathenæa, Vulcania, Promethea. De Promethei sacris, hoc loco agitur, in quibus juvenes accensas tædas gestantes decurrebant, certabantque, quis prior ad scopum perveniret, non extinctâ face. Primus defatigatus proximo, is postea defessus alteri, et deinceps alius alii tradebat ardentem facem. Vid. Alex. lib. V, cap. 8. Hujus consuetudinis meminerunt Varro, III, cap 16, Cic. ad Heren. IV, et ante illos, Lucret. lib. II, v. 77:

Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum,
Et quasi cursores vitaï lampada tradunt. C. et P.

62. *Sum tibi Mercurius.*] Quo animo recipi debeant hereditates ostendit: scil. ut bona inexspectata, quæ forte in viis inveniuntur. Ne igitur meam hereditatem ut tibi debitam jam nunc intuere; sed finge me esse Mercurium, qui

V. 60. *Exit.* Ita omnes codd. et editt. antiquæ. Vet. schol. et editores, *exstat:* minus bene, nostro judicio.

V. 61. *Lampada.* Putean. et Mazarin. codd. *Lampade.* — *Poscis* pro *poscas* habent nonnulli.

Pingitur. An renuis? Vin' tu gaudere relictis?
Deest aliquid summæ. Minui mihi; sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legârat Tadius; neu dicta repone paterna:
Fenoris accedat merces; hinc exime sumptus.

fortuitum tibi thesaurum auuuntio et ostendo captaudum: tunc mea hereditas, quautula sit tibi, ἑρμαῖον videri debet. — *Ut ille pingitur.* Mercurius crumeuam gravidam et turgentem pecuniâ manu tenens pingebatur. Vid. Suidam. C. et P.

63. *An renuis.*] An non vis mea bona veluti gratis data accipere? Horat. lib. II, sat. 3:

. . . . Excors,
Rejectâ prædâ, quam præsens Mercurius fert.

— *Vin' tu gaudere relictis?* Visne potiri bereditate meâ, quantula fuerit? P.

64. *Deest aliquid summæ.*] At summæ aliquid a me consumptum est. — *Minui mihi.* In meum usum converti. Numquid ego non essem liber, et meorum bonorum ex lege possessor? Regula juris est: rem illi perire cujus est, si dolus absit aut lata culpa. Bona bereditatis ante mortem defuncti, sunt ipsius. Quicquid igitur, illo vivo, de bouis perit, ipsi perit, non futuro beredi: quomodo enim aliquid amittat quisquam, quod non habet? Bene igitur *minui mihi.* — *Sed tibi totum, quidq. id est.* Quodcumque ego moriens reliquero, hoc tibi totum erit et integrum. C.

65. *Ubi sit, fuge quærere.*] Noli a me rationem petere bonorum meorum, sicuti solet herus a dispeusatore servo suo. P.

66. *Tadius.*] E majoribus quispiam, vel alius quilibet testator. — *Neu dicta repone paterna.*] Nec patruus mibi esto, nec dicta imperiosa, censoria et paterna, quibus uti solent patres in repetenda rerum filiis creditarum ratione, mihi pro meis beneficiis et facultatibus, quas tibi relinquo, repone et retribue. — *Paterna.* De suo patre uon loquitur Persius; uam puer patrem Flaccum amiserat. L.

67. *Fenoris accedat merces.*] Olim, cùm relictam a me bereditatem administrabis, rem amplifica: et fenoribus auge tuam sortem. — *Fenoris merces.* Pro fenus, quod est merces mutuo datæ pecuniæ. — *Hinc exime sumptus.* *Hinc*, ex fenore, non ex sorte. — *Sumptus.* Τὰ ἐπιτήδεια καθ' ἡμέραν, etiam apud Plautum: et Græcis ita, αἱ δαπάναι pro τροφαί. Ita Casaub.

V. 63. *Vin' tu.* Codd. Putean. Colbert. I, et duo alii, *vis tu.*

V. 66. *Tadius.* Cod. uoster, *Staius*, Fauchet. cod. et tres alii, *Stadius:* alii aliter, ut fit sæpe in nominibus propriis.

Quid reliquum est? Reliquum! Nunc, nunc impensius
unge,
Unge, puer, caules. Mihi festâ luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure;
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,

Ego verò, ita hanc phrasim interpretor : cùm hereditatem meam possidebis vive ut voles : hinc fenus augeat divitias tuas, *hinc exime*, tolle, aufer sumptus nimios, et dives eris. Nonnulli hæc volunt dici ab avaro heredipeta parenti suo avaritiam suadenti et dicenti : rem fenore duplica, et exime sumptus tuos, ut bonorum tuorum major pars eveniat mihi. Male, meo judicio. A.

68. *Quid reliquum est?*] Inquit avarus. Quomodo rem augere possim, cùm nihil mihi relinquas? *Comment voulez-vous que je m'enrichisse et par le commerce, et par l'économie, si vous ne me laissez rien?* Ostendit quàm sit aviditas pecuniæ, vitium insanabile. — *Reliquum!* Hoc cum magna indignatione legendum. *Comment rieu! Allons, enfants, allons etc.* Age, heres, deinceps curam hanc eximam tibi. — *Nunc, nunc impensius unge.* Quando video divitias meas pluris a te fieri quàm amorem meum, nihil impedit quin largiter et commode vivam. A.

69. *Unge, puer, caules.*] *Ungere*, hic Græcorum λιπαίνειν, ut ἐλαίῳ λιπαίνειν μᾶζαν, apud Synesium. C. — *Caules.* Posuit *caules*, pro quovis edulio. Horat. lib. II, sat, 3 :

Ungere si caules oleo meliore caputque
Cœperis. . . . . P.

— *Mihi festâ luce coquatur.* Scil. mibi prædiviti urtica apponetur, durum et agreste olus, et quidem die festo, meis natalibus, et exigua portio porcini capitis, in fumo per aurem perforatam suspensi, ut filius tuus abdomini suo et ventri serviens, etc? non ita sane erit. A.

70. *Urtica.*] Herba vilis, satis nota. — *Et fissa fumosum sinciput aure.* Porcinum videlicet. *Sinciput.* Pars anterior capitis. In satirico Arbitri : *Simul pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, et sincipitis vetustissima particula, mille plagis delata.* Mox : *Dum illa carnis etiam paululum delibat, et coæquale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella.* C.

71. *Ut tuus iste nepos.*] Nepos, ambigue et ingeniose dixit. Nam nepos significat unum e posteris,

V. 68. *Nunc, nunc impensius unge.* Colbert. I et III Mazarin. *nunc, nunc jam pensius unge.* Cod. noster et alii, *nunc, nunc impensius.*

V. 69. *Coquatur.* Codd. omnes, Puteano, Colbert III, et tribus aliis exceptis, habent *coquetur.* Cod. quoque noster, *coquatur*, quam lectionem prætulimus, utpote quæ magis concordet cum ordine ac serie phrasis.

Cùm morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? Mihi trama figuræ
Sit reliqua; ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare, atque excute solers

item, luxuriosum ac nebulonem. —*Anseris extis.* Anser olim in deliciis apud Romanos. Intelligit autem jecur. Horat.

Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi. L.

72. *Cùm morosa vago sing. etc.*] Sensus est: ut, *cùm*, postquàm, vulgivagæ et plebeiæ Veneri diu, dum pauper esset, se dederit, nunc, dives factus hereditate meâ, in thalamos nobilium matronarum irruat. — *Morosa.... vena.* Ut supra, *penem amarum*, τὸ τοῦ ἀνδρὸς μόριον, membrum virile. — *Vagum inguen.* Τὸ τῆς γυναικὸς, quodque vocat Horat. lib. I, sat. 4, *concessam Venerem.* — *Singultiet.* « Singultire, inquit Casaub. est « fastidire copiam alicujus rei: « nam, inter causas varias, singul- « tus est hæc, si imprudens ali- « quis, aut avidior quàm par erat, « majorem buccam diglutierit. » Nec mihi placet ista interpretatio. *Singultire*, proprie palpitare per intervalla. Hoc loco, verbum obscœnum, et mire pingens membri virilis singultus ac palpitationes in coitu. A.

73. *Patriciæ immeiat vulvæ.*] Hoc non eget interpretatione. — *Mihi trama figuræ sit reliqua.* Ut sit mihi sola species hominis, et ego fiam ossa et pellis. — *Trama figuræ.* Audax metaphora simul et perfecta ab omni parte. *Trama*, apud pannificos, constat filo duriore et retorto, qui, cùm pannus est vetustate attritus, apparet: sic nervi et ossa in corpore macilento et extenuato. *On ne verrait plus que la trame de ma figure*, pour *je serais maigre et décharné.* A.

74. *Ast illi tremat omento popa venter.*] Popa Latinis est θύτης, victimarius, sacerdotis minister ad mactandas victimas. Porro, homines isti, ut apud nos lanii, coqui, et illi qui carnes tractant, obesi admodum sunt: ita quoque videntur *popæ* in nonnullis signis anaglyphis antiquis. Metaphorice autem *popa venter* significatur. Hoc loco, popinonem et gulosum lurconem: poëticâ enim licentiâ, tribuit ventri quod toti homini conveniebat. — *Omento.* Panniculus intestina ambiens et contegens. Hic pro adipe et pinguedine. Cæterum, hic versus picturam offert haud indignam Marone. A.

75. *Vende animam lucro.*] Concludit Persius: scilicet, ut placeas avaro heredi, *vende animam lucro, etc.* — *Vende animam lucro.* Redime omnes lucri faciendi occasiones, vel jacturâ animæ, id est, vitæ. Respicit Persius ad navigantium pericula, ut patet his verbis, *atque excute solers omne lat. mundi.* Peragra orbem terrarum, omnes orbis angulos scrutare, ut merces

Omne latus mundi; nec sit præstantior alter
Cappadocas rigidâ pingues pavisse catastâ.
Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quarto,

novas et aliis irrepertas compares, et huc advehas. C. et P.

76. *Nec sit præstantior alter.*] Nullus esto tam turpis quæstus, qui tibi sordeat. Mangonium igitur exerce; et effice, ne quis paratior sit ad coemenda mancipia. C.

77. *Cappadocas rigida pingues pavisse catasta.*] *Ut non sit præstantior alter pavisse.* Hellenismus: ut alter non sit præstantior in pascendo, seu pascendis servis. — *Cappadocas.* Vet. schol. explicat de gladiatoribus: sed viri doctissimi intelligunt servos e Cappadocia venalitios: ex hac enim provincia pulcherrimi, robustissimi et pingues adducebantur. — *Pavisse.* Alii legunt *clausisse:* at hæc lectio glossam redolet. Alii *plausisse*, non male et erudite; ut sit sensus: palpasse manu servorum membra, ad ostendendam emptoribus bonam corporis habitudinem et nitorem, vel servos laudando et applaudendo incitasse ad saltandum, eâ consuetudine, et cantandum, more patrio. Sed has rationes e tam longinquo petiisse Persium quis credat? quapropter, lectionem eodiem nonnullorum prætulimus, veluti simpliciorem et aptiorem. — *Rigidâ catastâ.* Ob rigorem servitutis. — *Catasta.* Locus in Romano foro ubi servi venales exponebantur, ἀπὸ τοῦ καθίστασθαι. Item, castata erat lignea e tabulatis machina in qua vincti prostabant servi venales. Martial. epigr. lib. IX, 60:
Quos arcana servant tabulata catasta.
Similis autem huic erat catasta in qua martyres olim extendebantur. P. et A.

78. *Rem duplica.*] Naturam morbi de quo loquitur ob oculos ponit: nam ut temulenti sitim vinum, hydropici aqua irritat, non sedat; sic avari animum non explet quod partum est, sed ad majora concupiscenda allicit. Iisdem pene verbis sententiam expressit eamdem D. Basilius in homilia ad divites: Πολλῶν, ait, ὑμᾶς ἐνδεεῖς ποιεῖ τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἀκόρεστον· τοῖς δέκα ταλάντοις δέκα ἕτερα προστιθέναι σπουδάζεις. ἐπειδὰν δ' εἴκοσι γένηται, ἄλλα τοσαῦτα ἐπιζητεῖς· καὶ ἀεὶ σοι τὸ προστιθέμενον οὐχὶ τὴν ὁρμὴν ἵστησιν, ἀλλ' ἀναφλέ-

V. 76. *Nec.* Restitui ex codd. Vet. schol. et post hunc recentiores habent *ne*: utrumque bene.

V. 77. *Pavisse.* Ita Colbert. III, et Pithoei I: ita quoque edit. vet. Britann. et Aldina. Cod. noster, et decem alii, *clausisse.* Vet. schol. Fanchet. cod. et duo alii, *plausisse*, quam lectionem recentiores acceperunt, præter Lubin. Wedderburn. et nonnullos, qui habent *pavisse.* Cur autem hanc aliis prætulerim, vid. sup. commentarium.

Jam decies redit in rugam. Depinge ubi sistam,
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

γει τὴν ὄρεξιν. C. — *Feci*. Per prosopopœiam respondet avarus. Non solum duplicavi, sed rem auxi ter, quater, decies.

79. *Jam decies redit in rugam.*] Metaphora ducta a vestibus, quæ corrugantur proprie et plicantur: unde in similitudinem multiplicari opes dicuntur dum nummi nummis accumulantur et accrescunt. P. — *Depinge*. Id est, statue, perscribe. Alii legunt *depunge*, ut sit metaphora a libra in qua certum pondus iudicatur et notatur punctis. Sic, sat. V, v. 100, *certo compescere puncto*. B.

80. *Inventus, Chrysippe, tui, etc.*] Ἀδύνατον, ut vult Casaubonus, id est, ô Chrysippe, si potes præscribere, quà in propositione soritis quiescendum sit potissimum; si, inquam, id inveneris, et finem certum infinitæ propositionum congeriei statueris, tum ego meæ cupiditati et avaritiæ terminum inveniam; id est, nunquam. — *Chrysippe*. Hic stoicus fuit philosophus, Zenonis, vel, ut volunt alii, Cleanthis discipulus, vir acri ingenio: in dialectica excelluit: quoties contra Cleanthem disputârat, solitus dicere, fortunatum se adversus omnes, præterquam adversus Cleanthem: adeo vero superbus, ut Ptolemæi regis amicitiam aspernatus sit, et jactaverit de se: *non esset Porticus, nisi esset Chrysippus*. Ex effuso risu mortuum nonnulli tradunt. Diog. Laert. lib. VII, Cic. I, de Natura Deorum. — *Acervi*. Soriten intelligit: quæ argumentatio est acervus, seu cumulus propositionum quæ in infinitum progredi posse videntur: unde per ironiam dixit Persius *finitor*; et addit, *tui*, quia dissolvendæ istius acervalis argumentationis rationem investigavit Chrysippus, et de ea quatuor libros scripsisse fertur. Horatius, lib. II, epist. I:

Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.

Exemplum soritis est apud Ciceronem, Tuscul. Quæst. V, n. 45, ubi solum honestum esse bonum sic probatur per quinque gradus: *Quicquid est quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est: quod si ita est, laudabile sit necesse est: bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solum bonum*. Et I, de Natura Deorum: *Si Dii sunt, beati sunt; si beati, virtute præditi: si virtutis,*

V. 79. *Depinge*. Vet. schol. Codd. Mazarin. Fauchet. et duo alii, *depunge*: non male certe, et forte elegantius. Pithoei I, *sed scribe*. Hæc lectio glossam redolet.

et rationis erunt capaces: unde concluditur illic, Deos esse hominibus similes : quod ibidem refellit Tullius. Et certe nôrunt omnes soriten non tam esse argumentationem legitimam, rectam, certam; quàm argutiam et cavillationem. *Ita disserit Prateus.*

A. PERSII FLACCI SATIRARUM FINIS.

COMMENTARII VETERES
IN SATIRAS
A. PERSII FLACCI,
EX VETUSTISSIMO EXEMPLARI P. PITHOEI.

IN SATIRAM PRIMAM.

DE VATIBUS.

In prolog. v. 9. *Verba nostra conari.*] Et, *blandiri*, legitur.

V. 14. *Pegaseium melos.*] In aliis est, *nectar.*

In satiram I, v. 15. *Quantum est in rebus inane.*] Græcum est ὅσον τὸ κενόν.

V. 2. *Quis leget hæc?*] Hunc versum de Lucillii primo transtulit.

V. 4. *Labeonem.*] Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo, ridicule (1) satis, quod verba potius quàm sensum secutus sit. Ejus est ille versus :

Crudum manduces Priamum, Priamique phisingos (2).

V. 6. *Examenve improbum.*] Examen est lingua (3), vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet. Castigare autem est digito libram percutere, ut temperetur, et præ agitatione post æquum conquiescat. Trutina vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est.

V. 9. *Nostrum istud vivere triste.*] Figura Græca est, pro nostram vitam tristem.

V. 11. *Cùm sapimus patruos.*] Sic Cicero: *Objurgavit Cœlium, ut quidam patruus Censor.*

V. 12. *Petulanti splene cachinno.*] Cachinno nomen est, et declinatur per omnes casus, hic Cachinno, hujus Cachinnonis. Cachinnus est cum voce risus lascivior, quem Græci μονογερόντας*

dicunt. Et secundum physicos dixit, qui tradunt homines splene ridere, felle irasci, jecore amare, corde sapere, pulmone jactari.

V. 14. *Animæ prælargus.*] Animæ prælargus dicit vento abundans.

V. 16. *Et natalitiâ t. c. s. albus.*] Ambiguitas in *natalitia*, utrum eam natali suo munere acceperit, an tantum eo die gerere soleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt. Et, *albus*, aut festivâ veste indutus, aut recitandi pavore, ac meditandi et scribendi tædio perfunctus: vel veste candidâ, nondum purpureum adeptus vestimentum, quod laticlavium dicitur.

V. 18. *Patranti.*] Patratio est rei Venereæ perfectio, vel consummatio, unde et *patres* dicti, eo quòd patratione filios procreant.

Ib. *Ocello.*] Per ὑποκόρισμα: quia illum contrahendo minorem facit. Juvenalis:

> . . . . . . Oculosque in fine trementes.

V. 21. *Et tremulo scalpuntur.*] In libidinem excitantur. Juvenalis:

> . . . . Quod enim non excitat inguen
> Vox blanda, et nequam? digitos habet.

V. 26. *Usque adeone scire tuum.*] Hæc periodus apud Lucillium posita est, ut me scire volo mi mi conscius sum*, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.

V. 28. *At pulchrum est d. m.*] Hìc requiritur historia Demosthenis, qui, cùm transiret, et a mercenario tabernæ digito monstraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius, lib. IV carminum, sic posuit:

> Totum muneris hoc tui est,
> Quod monstror digito prætereuntium.

V. 29. *Ten' cirratorum.*] Occulte tangit Neronem, cujus carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.

V. 39. *Nunc non e tumulo.*] Tumulus dicitur terræ aggestio, * ubi nulla est memoria.

V. 43. *Nec scombros met. car. nec tus.*] Quæ carmina nullum

periculum habeant apud salsamentarios et turarios. Per scombros significat salsamentarios, per tus pigmentarios (4).

V. 44. *Quisquis es, ô modo, quem.*] Mimica et comica exclamatio: quoniam poëtæ nonnunquam, omisso recto sermone, extra scenam soli loquuntur, sustinentes personam suam; aut aliquorum hominum verba interponunt.

V. 50. *Non est hic Ilias Acci.*] Accius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit.

V. 54. *Scis comitem horridulum.*] Scis birrum attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbriis longis.

V. 56. *Quipote?*] Tractus sensus ex Græco versu (5), quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci.

V. 58. *Nulla ciconia.*] Tria genera sannarum: aut manu significare ciconiam, aut, opposito temporibus pollice, auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cùm alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.

V. 72. *Palilia.*] Varro: palilia tam privata, quàm publica sunt apud rusticos: ut, congestis cum fœno stipulis, ignem magnum transiliant, his palilibus se expiari credentes.

V. 82. *Trossulus.*] Trossulum oppidum fuit Hetruriæ, non longe a Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt, Numio quodam duce. Unde equites Romani Trossuli dicti sunt.

V. 86. *Librat in antithetis.*] Antitheta sunt hæc:

> Fortia neglecti (6) velabant colla capilli:
> Et per neglecti volitabant colla capilli.
> Aut quotiens (7) umbra porrexi brachia mota:
> Aut quotiens umbra reduxi brachia mota.

Antitheta autem ista sunt, quæ contra se ponuntur: ut, hinc pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: istinc fraudatio, illinc fides.

V. 95. *Sic costam longo.*] Omnia epicorum carmina, ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit,

exceptis admodum paucis, quos σπονδαΐζοντας appellant, ut apud Cornelium Severum :

Pinea frondosi coma murmurat (8) Apennini.

V. 97. *Subere coctum.*] Suber cortex arboris. Virgilius :

Huic natam libro, et silvestri subere clausam.

V. 99. *Torva mimalloneis.*] Versus Neronis sunt.

Ib. *Mimalloneis.*] Mimallones dicuntur ministri Liberi patris, ἀπὸ τῆς μιμήσεως. Calandrus Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit. Macedones, cùm parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis et thyrsis, in modum Baccharum, ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare, discesserunt.

V. 101. *Bassaris.*] Bassarides, Bacchæ. Quibusdam videtur a genere vestis, quâ Liber pater utitur, demissâ ad talos, quam Thraces* Bassarin. Quidam a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur. Vulpes Thraces bassares (9) dicunt.

V. 119. *Nec cum scrobe.*] Midæ historiam tangit.

V. 122. *Nulla tibi vendo Iliade.*] Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troïcon tradas. Scripsit Nero Troïcon.

V. 133. *Nonaria.*] Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant; ne, mane omissâ exercitatione, illo irent adolescentes.

IN SATIRAM SECUNDAM.

DE BONA MENTE.

V. 1. *Hunc, Macrine, diem.*] Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sane eruditum, et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto.

V. 12. *Proximus... expungam.*] Tractum a militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur. Item, metaphora a bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius.

V. 14. *Nerio jam tertia.*] Nerius morte conjugum locupletatus, fenerator est factus notissimus: de quo Horatius, *scribe decem Nerio.* Dos enim a cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet.

V. 19. *Vis Staio.*] Staius tutor pupillarius fuit: Gutta et Albus, et cæteri præpositi, fuerunt judices: qui in Juniano judicio corrupti, Oppianicum damnaverunt.

V. 26. *An, quia non fibris.*] In usu fuit, ut augures, vel haruspices adducti de Hetruria, certis temporibus, fulmina transfigurata in lapides, infra terram absconderent; cujus in patratione rei oves immolabantur.

V. 27. *Bidental* (10).] Locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab haruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.

V. 36. *Nunc Licini in campos.*] Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo dives cognominatus. Alii volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Cæsaris significari prædivitem: cujus monimentum est pretiosi operis via Salaria prope Urbem, ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis epigramma fertur:

> Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo:
> Pompeius nullo. Quis putet esse Deos (11)?

V. 39. *Non mando.*] Verbo usus est haruspico*. Cum eis dicitur:

> Mando tibi, ni maximum Jovem audias.

Ut quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat et in sacris, et in prece.

V. 42. *Tucetaque crassa.*] Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita, ac macerata: et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad saturarum jura (12). Hinc Plotius, Virgilii amicus, in eadem regione est nominatus Tuceta.

V. 56. *Nam fratres inter ahenos.*] Acron tradit quòd, in porticu Apollinis Palatini, fuerunt Danaidum effigies, et contra eas, sub divo, totidem equestres filiorum Aegisthi. Ex iis autem statuis, quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula.

V. 59. *Saturniaque impulit æra.*] Aes in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque signato: unde ærarium nomen accepit. Fuit autem assis libralis, et dipondius, quod hodie in usu remansit; et solebat pensari potius quàm numerari: unde et dispensatores dicti prorogatores.

V. 70. *Donatæ a virgine puppæ.*] Solebant virgines, ante quàm nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare. Hoc et Varro scribit (13).

V. 72. *Messalæ lippa propago.*] Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebræ ejus in exteriorem (14) partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius Maximus dicebatur, originem trahens ab Aurelio Messala, qui septies fuit consul: qui, cùm a quodam Gallo ad monomachiam in prælio vocaretur, corvus super galeam in capite ejus sedit, et, victo hoste, Corvinus vocatus est.

IN SATIRAM TERTIAM.

IN DESIDIOSOS.

V. 1. *Nempe hoc assidue.*] Hanc satiram poëta ex Lucillii lib. IV transtulit, castigantis divitum luxuriam et vitia.

V. 10. *Bicolor membrana.*] Bicolor, quòd pars crocea (15), pars glutinata apud antiquos erat.

V. 13. *Vanescat sepia.*] Sepiam pro atramento, a colore, posuit: quamvis non ex ea ut Afri, sed ex fuligine (16) cæteri conficiant atramentum.

V. 18. *Lallare.*] Nutrices infautibus, ut dormiant, solent dicere sæpe, lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte.

V. 21. *Contemnére.*] Hæc ab Horatio male translata intempestiva * sunt:

. . . . Quin tu
Invidiam placare paras, virtute relictâ?
Contemnêre miser.

Ib. *Sonat.*] Ut Virgilius:

Nec vox hominem sonat.

V. 26. *Cultrixque foci.*] Quia delibantiæ dapes in ea positæ, ad focum feruntur.

V. 28. *Stemmate quòd Tusco.*] An oportet te arrogantiâ inflatum dissilire, quòd in aliquo nobili Tusco stemmate, millesimus a magno auctore numereris, et ramum aliquem ac lineam successionis a genealogo in stemmate numeratus obtineas? vel in equitum Romanorum recognitione trabeatum censorem donis militaribus insignis salutas? Cognitio enim equitum Romanorum Censoribus erat subjecta, quæ nunc Consulum est officii.

V. 37. *Ferventi tincta veneno.*] Metaphora a lana, quæ corrupta ad pristinum colorem reverti non potest.

V. 45. *Morituro verba Catoni.*] Merito, inquit, mihi lippitudinem arcessebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moriatur, an non: aut quibus verbis uti potuit, cùm se destinaret interficere.

V. 48. *Quid dexter senio.*] Senio major missus, ut Sceva (17), immerito, inquit, flebam istas, cùm semper laudarem.

V. 89. *Inspice sodes.*] Sodes, antiquæ affectationis est: adeo ut soluto eo quidam usi sint, ut Plautus, qui per solutionem sic ait:

Dic mihi, si audes, quæ est, quam ducere vis uxorem?

V. 103. *Tandemque beatulus.*] Ambitionem irridet: non quia μάκαρες et μακάριοι dicuntur mortui; non est enim Romanæ consuetudinis; sed quia pretiosâ in funeribus veste stragulâ, cæterique, etiam pauperculi, exponebantur. Beatulus autem, qui nunquam splendidiore habitu fuit; aut certe, quia Romanæ consuetudinis fuit simpliciter sepelire.

V. 106. *Hesterni, capite induto.*] Hesterni, ait, a defuncto pridie manumissi, id est, liberti, et civis Romani facti.

Ib. *Capite induto.*] Quia manumissi ante manumissoris corpus pileati incedebant.

V. 112. *Populi cribro decussa farina.*] Farinam, panem non deliciosius cribro discussum, sed plebeium, de populi annona, id est, fiscalem, dicit.

IN SATIRAM QUARTAM.

DE MALIS PRINCIPIBUS.

V. 10. *Seis etenim justum.*] Revera scis justitiam in lance pensare, et ipsius lancis dubiæ rectitudinem calles discernere, et curvam regulam momentare, ubi inter curva subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum momentanæ stylum.

V. 13. *Nigrum præfigere theta.*] Judices litteram theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito θῆτα, ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quòd quasi habeat telum suum, ideoque triste intelligitur: vel mortis signum: unde quidam ait:

O multum ante alias infelix littera theta (18)!

V. 18. *Curata cuticula sole.*] Curata, scilicet a chromatiariis. Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, et in sole erant, ut oleum corpus imbiberet: ut Juvenalis:

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam.

V. 26. *Quantum non milvus oberret*] Secundum proverbium:

Quantum milvi volant.

V. 28. *Pertusa ad compita.*] Compita sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finitâ agriculturâ, rustici celebrabant. Merito pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta, vel compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ad diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium.

V. 44. *Cæcum vulnus habes.*] De gladiatoribus tractum qui, accepto vulnere, inaurato balteo tegunt.

V. 49. *Puteal.*] Feneratores ad puteal Scribonis Licinii (19); quod est in porticu Julia ad Fabianum arcum, consistere solebant.

IN SATIRAM QUINTAM.

AD CORNUTUM.

V. 1. *Cœnanda Clyconi.*] Glycon tragœdus populo mire placuit, et ideo a Nerone manumissus est, datis Virgilio tragœdo domino ejus, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum tercentis millibus (20). Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso: ante quàm subornaretur deformis: nescius jocari, propter quòd eum insulsum Persius dixit.

V. 14. *Verba togæ sequeris.*] Toga est purum pallium, forma rotunda et fusiore, atque inundante sinu: et sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur: cujus similitndinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ justæ senas ulnas habebat.

V. 22. *Quandoque nostræ pars tua sit, Cornute, animæ.*] Sententia a Pythagora tracta, dimidiam animæ suæ partem dicit Cornutum, ut Horatius Virgilium:

Et serves animæ dimidium meæ.

V. 31. *Succinctis Laribus.*] Quia Gabino habitu, cinctuque (21) Dii Penates formabantur, obvoluti togâ super humernm sinistrum, dextro nudo.

V. 33. *Candidus umbo.*] Συνεκδοχικῶς pro toga. Alioquin et in prætexta candidus umbo est.

V. 47. *Nostra vel æquali.*] Hoc secundum astrologos dicit. et hic sensus tractus est ab Horatio:

Seu libra, seu me scorpius aspicit.

V. 52. *Mille hominum species.*] Et Horatius:

Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia.

Et Terentins:

Quot capita, tot sententiæ.

V. 53. *Velle suum cuique est.*] Et Virgilius:

. . . . Trahit sua quemque voluptas.

V. 54. *Sub sole recenti.*] Est hic sensus ab Horatio tractus:

Hic mutat merces surgente a sole.

V. 73. *Quisque Velinâ.*] Velina tribus numero aliarum tribuum accessit: et qni circa Velinnm lacum habitabant, Romam translati sunt. Romæ autem erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentnm publicum acciperent.

V. 75. *Quibus una Quiritem.*] Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, et liberos confirmabant. Unde manumissio dicta, quòd manumitteretur. Quiritem autem singulariter abusive dixit, licentiâ poëticâ. Nam sicut Pater Conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus.

V. 88. *Vindicta.*] Virga est, quâ manumittendi a Prætore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. *Masurius* autem hic Sabinus legis consultus fuit: et rubricas, vocat minium, quo tituli legum annotabantur.

V. 100. *Certo compescere puncto.*] Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis, et unciis signatur.

V. 104. *Frontem de rebus.*] Pudorem. Templum enim pudoris est frons.

V. 112. *Mercurialem.*] Ideo dixit, quia ipsnm Deum lncri dicnnt. Unde et cum sacello * pingitur, et a negotiatoribus plurimum colitur.

V. 119. *Digitum exere.*] Digito sublato ostende, victum te esse a vitiis. Tractum a gladiatoribus, qui victi, ostensione digiti veniam a populo postulabant.

V. 123. *Moveare Bathylli.*] Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus.

V. 137. *Verte aliquid.*] Negotiare, et speciem pro specie commuta.

V. 138. *Baro, regustatum.*] Lingua Gallorum barones, vel varones dicuntur servi militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum.

V. 140. *Et œnophorum aptas.*] Oenophorum vas vinum ferens, οἶνος enim vinum est, de quo est illud:

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

V. 145. *Urna cicutæ.*] Cicuta (22) calorem in nobis frigoris sui vi extinguit: unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent.

V. 153. *Hoc quod loquor inde est.*] Horatius:

Dum loquimur, fugit invida ætas.

V. 161. *Dave, cito, hoc credas.*] Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adolescens alloquitur, tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus*: idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. Apud Terentium, personæ immutatæ sunt.

V. 165. *Et udas Chrysidis.*] Udas fores dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante januam illarum noctem vigiliis, et cantu transigere.

V. 177. *Vigila et cicer.*] Ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum, ut tellus velut muneribus suis placaretur.

V. 180. *Herodis venére dies.*] Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani (23) ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata: quo die lucernas accensas, et violis coronatas in fenestris ponunt.

V. 184. *Recutitaque sabbata.*] Instituta Judæorum significat, propter circumcisionem, quam, auctores suos* secuti, faciunt.

V. 185. *Ovoque pericula rupto.*] Sacerdotes qui, explorandis periculis, sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus.

V. 186. *Cùm sistro lusca sacerdos.*] Sistrum sacerdotes Isidis portant. Lusca autem, ideo quòd nubiles deformes, cùm maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant.

IN SATIRAM SEXTAM.

IN AVAROS.

V. 1. *Admovit.*] Hanc satiram scribit Persius ad Cæsium Bassum, poëtam lyricum, quem fama est, in prædiis suis positum, ardente Vesuvio monte Campaniæ, et late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse. Hic ergo, dum viveret, Româ ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore in calido loco carmina scribebat.

V. 6. *Mihi nunc Ligus ora.*] Seipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines, videlicet, propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat.

V. 7. *Hybernat.*] Sævit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hybernare dicimus; sic et mare, cùm non navigatur.

V. 10. *Cur jubet hoc Ennî.*] Hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit.

V. 24. *Turdarum nosse salivam.*] Cognoscere turdorum sapores. Solent enim quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius (24) sit : an masculus, an femina. Turdarum dixit abusive, cùm turdorum debuerat, ut Horatius ponit :

Pene macros, arsit, dum turdos versat in igni.

V. 30. *Ingentes de puppe Dei.*] Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt.

V. 35. *Ossa inodora.*] Sine unguentis : vel *inhonora*, sepulturæ honore carentia.

V. 40. *Crasso vitiarunt unguine.*] Solent rustici cùm oleum defuerit, adipem* pecudum in pultem misso pro oleo uti.

V. 55. *Accedo bovillas.*] Bovillæ (25) sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ : quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillæ dictæ.

V. 56. *Clivumque ad Virbî.*] Quatuor millibus ab Urbe est Virbii clivus, quà iter est ad Ariciam, et ad nemus Dianæ,

ubi Virbius colitur, id est Hippolytus, quòd bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium fabula est.

Ibid. *Mannius.*] Mannium dicit deformem et ignotnm hominem, eo quòd Maniæ (62) dicuntur indecori vultûs personæ, quibus pueri terrentur.

V. 61. *Qui prior es, cur me.*] Apud Athenas cùm juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat : deinde sequenti se* tradebat, et secundus tertio : similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.

V. 67. *Fenoris accedat merces.*] Tractum est hoc a patribus (27), qui dicunt filiis suis; hoc, quod vobis lucri de fenore accessit, ad fructum, id est, ad usum vitæ vobis proficiat: reliqunm vero pecuniæ reservate integrum.

V. 77. *Cappadocas rigida.*] Gladiatores dicit. Nam apud antiqnos, venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici. Vel quia Cappadoces dicerentur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda: qui nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et cùm in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent.

Ibid. *Pavisse.*] Legitur et *plausisse :* quoniam venales, antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter, more gentis suæ.

V. 80. *Inventus, Chrysippe.*] Chrysippus, philosophus stoicus, syllogismum σωρίτην vocavit, quem per adjectionem et detractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit.

FINIS VETER. COMMENT. IN PERSIUM.

P. PITHOEI JURISCONSULTI

IN VETT. COMMENTARIOS PERSII

EMENDATIONES.

N. B. *Notæ asterisco signatæ ab editore proficiscuntur.*

(1) *Ridicule satis.*] Al. ridiculose.

(2) *Priamum Priamique phisingos.*] Al. pisinnos, et in aliis glossis Pisinni, liberi.

(3) *Examen est lingua, vel lignum.*] Al. ligua, vel linum, et infra, intra quod est linum, de quo examinatio est.

* Μονογέροντας.] Mendose. Hîc, forsan, μονογέλοντας, à μόνος, *solus*, et γελάω, *rideo*. A.

* *Mi mi conscius sum.*] Ita forte legendum: *ut, me scire volo, mihi conscius sum*. A.

* *Terræ aggestio, ubi nulla est mem.*] Hîc, videtur aliquid deesse ad complementum propositionis. Lego : *tumulus dicitur terræ aggestio;* hoc loco, sepulchrum, *ubi nulla est memoria.* A.

(4) *Per tus pigmentarios.*] Al. unguentarios.

(5) *Ex Græco versu.*] Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

(6) *Fortia neglecti.*] Velabant, al. volitabant, et versu seq.

Et per neglectos volitabant colla capillos.

(7) *Aut quotiens.*] Ah! quotiens.

(8) *Coma murmurat Apennini.*] *Sibilat*, apud Charis.

* *Thraces Bassarin.*] Supple, vocant. A.

(9) *Vulpes Thrases bassares.*] Vide Hesychium.

(10) *Bidental.*] Κεραυνοπλήξ. Artemid. lib. II.

(11) *Quis putet esse Deos?*] In quibusdam codicibus : *Credimus esse Deos?*

* *Aruspioo.*] Lege cum Schrevelio, *Aruspicum.* A.

(12) *Aut ad saturarum jura.*] Al. ad assaturarum jnra.

(13) *Hoc et Varro seribit.*] Fortassis, *Aboriginibus.* Nonins in Puppæ. Græci νίννια fictitio etiam verbo dixernnt. Zonar. Cedr.

(14) *In exteriorem.*] Al. dexteriorem. Cæterum, hic esse videtur Aurelius, cujus meminit Ovidius de Ponto.

(15) *Quod pars crocea.*] Isidor. lib. VI Etym. (Vid. apud Juven. sat. VII, v. 23, et ibi notam.)

(16) *Ex fuligine.*] Al. ex figulinis, male.

* *Intempestiva.*] Et, cur intempestiva sunt hæc verba: *effluis amens; contemnére?* Aut somniat vet. schol. aut ejus editor. A.

(17) *Sceva.*] Al. sena.

(18) *O multum!*] Isidor. lib. I Etym.

(19) *Scribonis Licinii.*] Al. Libonis, et, ad Fab. circum.

(20) *Tercentis milibus.*] Al. sexcentis.

(21) *Cinetuque.*] Al. cinctique.

* *Saecello.*] Legendum opinor *sacculo.*

(22) *Cicuta.*] Idem Tertull. Hieronym.

* *Tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus.*] Lege cum Schrevelio: *Tanqnam amorem Chrysidis meretricis derelicturus.*

(23) *Herodiani.*] Hiuc illa lucem accipient, quæ de Herodianis in sacra historia legimus, Matt. XXII, Marc. III et XII. Quod sequitur de circumcisione, non videtur ab homine christiano scriptum.

* *Auetores suos.*] Intellige patres suos. A.

(24) *An terrarius sit.*] Al. vivarius.

* *Adipem.*] Male et contra leges sermonis. Lege ergo, *adipe.* A.

(25) *Bovillæ.*] Nonius, in Hillas. (Quid voluerit Nonius his verbis, nescio. Mendosa certe est hæc lectio. A.)

(26) *Maniæ.*] Fest. sic et Manius legendus accipiendusque in epigrammate Augusti apud Martialem.

* *Se tradebat.*] Inutile omnino, et ingratum τὸ *se* opinor. A.

(27) *Traetnm a patribus.*] Et illud Isidor. lib. X Etym. De tntore in consnetudine vulgari dicitur: *Quid me mones?* et tutorem et

pædagogum pridem obrui, est ex satir. III, v. 96. Adeo plerisqne veteribus similitudine quadam ingenii Persins in deliciis fnit, ut, inter majorum gentium scriptores, suos commentatores habuerit, etiam ante tempora Hieronymi: qui et ejus verbis frequenter utitur, Juvenalem ne nominat quidem, quod meminerim: etsi apologetico ad Domnionem versum illum usurpet: *et nos sæpe manum ferulæ subduximus*, ut et Macrob. lib. III, Saturn. c. 10. Adscribam sancti viri verba ex apologia adversus Rnfinnm, quod aliis etiam locis usui esse possint, et ad hunc quodammodo pertineant. « Puto, inquit, « quòd puer legeris Aspri in Virgilinm et Sallustinm commentarios, « Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos ejns, et in « Terentii comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilinm, et « aliorum in alios, Plautum, Lucretinm, Flaccnm, Persium, atqne « Lucanum. Argue interpretes eorum, quare non unam expla- « nationem secuti sunt, et in eadem re quid vel sibi, vel aliis « videatur, enumerent. »

SULPICIAE SATIRA.

VITA SULPICIAE

EX L. GREG. GYRALDI

DE LATINIS POETIS

DIALOGO IV.

Fuit et per hæc tempora Sulpicia, ex nobilissima Sulpiciorum familia, quæ nitida admodum et casta poëmata scripsit. Virum habuit Calenum, cum quo annos XV amantissime et conjunctissime vixit. Mariti et uxoris meminit Sidonius Apollinaris, sic inquiens:

Non quòd Sulpiciæ jocos Thaliæ
Scripsit blandiloquos suo Caleno.

Exstat et elegans Martialis Epigramma, maximum pudicitiæ et poëticæ hujus Sulpiciæ testimonium:

Omnes Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene æstimârit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Aegeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hâc condiscipula, vel hâc magistra,
Esses doctior et pudica Sappho;
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
Non Bacchi, nec Apollinis puella,
Erepto sibi viveret Caleno.

Exstat et poëma hexametris versibus conscriptum, de Domitiani Cæsaris temporibus, quod huic ipsi Sulpiciæ adscriptum est; tametsi alicubi inemendatum adeo, ut dubitari possit. Hactenus Gyraldus: cui et alterum quoque ejusdem poëtæ epigramma, Caleno Sulpiciæ marito inscriptum, adsuas licebit.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua jugales
Indulsit Deus, et peregit annos!
O nox omnis, et hora, quæ nota est
Caris littoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lectulus et lucerna vidit
Nimbis ebria Nicerotianis!
Vixisti tribus, ô Calene, lustris.
Aetas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel unam
Malles, quàm Pyliam quater senectam.

De eadem Sulpicia, Principis viri J. Cæsaris Scaligeri elogium (*Ex ejusdem Poëtices libro VI, qui* Hypercriticus *inscribitur.*

A femina incipiendum est: aiunt enim Sulpiciam fuisse temporibus Domitiani. Ejus satira falso Ausonio attributa fuit: satis enim patet a femina factos versus, in quibus Musam cultricem appellat suam; quæque ait sese primam docuisse Romanas mulieres posse cum Græcis poëtriis comparari:

Primaque Romanas docui contendere Graiis.

In ea multum dexteritatis, ad satiricam amarulentiam aspirantis. Numeri vero, ut in eo genere poëmatis, non contemnendi. Igitur, ut tam laudabilis heroinæ ratio habeatur, non ausim objicere ei judicii severitatem.

SULPICIAE SATIRICON CARMEN,

SIVE ECLOGA DE EDICTO DOMITIANI

QUO PHILOSOPHOS URBE EXEGIT.

MUSA, quibus numeris heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium: quare, nec carmine curro Phaleuco,
Nec trimetro iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cætera quin etiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus princeps et facundissima calles,

4. *Phaleuco.*] Scribe *Phalæco*, quanquam in hujus nominis scriptura, apud Athenæum, Hephæstionem, Victorinum, Diomedem, Terentianum, Ausonium, magna est varietas. *V. schol.*

5. *Nec qui pede fractus eodem.*] Fractum versum vocat scazontem, cujus Hipponax auctor est. Si quidem, testimonio Halicarnassæi, constat Hipponactem infregisse trimetrum Archilochium in scazontem, quo inimicos pungeret acerbius: Σκάζουσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη. *Hadr. Jun.*

6. *Duce Clazomenio.*] Hipponacte. Suidas vero hunc in modum de eo memoriæ prodidit: *Hipponax patre Pythæo, et matre Protide natus, Ephesius fuit, sed expulsus a tyrannis Athenagora et Coma, Clazomenas habitatum concessit.* Quia autem extorris patria Clazomenas, Ioniæ urbem, commigraverat, a Sulpicia epitheto Clazomenius vocatur. Idem scripsit in Bupalum et Athenin statuarios celebres; quòd ipsius imagines ad ludibrium expressissent (erat enim notabili fœditate vultûs). Unde dicitur, Horat. epod. 6, *acer hostis Bupalo*, et Politian. in Nutritia sua:

Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus,
Bupalon, et stratum morsu laniavit Athenin.

Vide Hadrian. Jun. Animadv. lib. I, cap. 16.

10. *Teque, etc.*] Sic distinguen-

Aggredior. Precibus descende clientis, et audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? An terras et patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos
Non aliter, primo quàm cùm surreximus ævo,
Glandibus, et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, et urbes,
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput; virtus belli, et sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, et socialibus armis,
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia, et totum simul abstulit orbem.
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, et immotâ secum virtute fatiscit;
Sic ïtidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges, et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terrâ quæsita, marique
Præmia consilio, et molli ratione regebat.
Stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis,
Aut frustra uxori, mendaxque Diespiter olim,
Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.
Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,

dum. Carmina Calliope libris heroica mandat. Cæterum; et ante Sulpiciam, sub Augusto, Cornificia versus scripserat, sed non Phalæcos, jam Scazontas Hipponactios, et alios lyricos, quibus prima Sulpicia poëtriæ nomen inter Latinos meruit. *V. schol.*

19. *Remulique, etc.*] Vulgo, *Remique*, unde malim, *Romique*, quod et Vineto nostro placuit. *V. schol.*

33. *Aut frustra, etc.* Est hoc vitium memoriæ, majorum etiam gentium scriptoribus, eo usque frequens, ut nonnunquam affectasse videri possint. *V. schol.*

Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,
Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.
Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his instructa magistris:
Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Ensibus et trutinâ Galli fugere relictâ,
Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi,
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rhoido crevit formante magistro,
Cætera et illa manus bello fecunda secundo,
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis: nam, cùm defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva Penatibus uxor;
Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetæ,
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.

44. *Ferale.*] Funestum, infelix. *Ed. n.*

46. *Qui, etc.*] Scribe *Rhodio*, ut de Panætio potius minore quàm de Ennio intelligatur. Male vet. schol. *rudio. Ed. n.*

47. *Bello fecunda, etc.*] Sic malo, quàm *facunda*. Vide Aulum Gellium, lib. XIX, cap. 21. *V. se.*

53. *Convenit, ut vespis.*] Hujus loci ordo est et sensus: nam, cùm amor patriæ suadet defendier armis, cùmque captivæ sunt nostræ uxores intra Penates suos, id est, cùm Annibal stat contra muros, nobis, sicuti vespis, convenit ut simus semper strictis telis, parati ad congrediendum cum hoste. Gall. *Pour soutenir notre vertu, il nous faut l'ennemi à nos portes.* Juven. sat. VI, v. 287:

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi
Annibal, et stantes Collinâ turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, etc.

Ed. not.

Ast ubi apes secura redît, oblita favorum
Plebs, materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax.
Hæc fabella modo pausam facit. Optuma posthac
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus, dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint; vel denique quidvis
Ut Dea, quære aliud: tantum Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariterque adverte Sabinos.
Hæc ego: tum paucis Dea me dignatur, et infit:
Pone metus æquos cultrix mea, summa tyranno
Hæc instant odia, et nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale, manet hunc pulchrum tua fama dolorem
Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

56. *Plebs, materque una, etc.*] Vulgo, *fraterque*. Plinius crabronum duo genera facit, plebem, opifices et matres: quod an vespis quoque conveniat, videndum est. *V. schol.*

V. 64. *Me dignatur et infit.* Alii, *me dignarier infit. V. schol.*

JANI DOUSAE

NORDOVICIS

AD SULPICIAE SATIRAM

SCHEDIASMA.

Sulpiciae Poëtriæ Romanæ satiram, quæ de edicto Domitiani inscribitur, ad finem novissimæ Petronianæ editionis appensam, percursitare obiter stat sententia: facto (quod bonum siet) ab ipsis usque carceribus auspicio. Sic igitur illa condigna Caleno conjux:

Vers. 1. Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas.]

Frequentas, pro *concelebras*, proinde ut Carus loquitur, hoc est, celebres concinnas, reddisque honoratos ac insignes.

v. 2. Fabellam permitte mihi detexere paucis.]

Eleganter sane, pro *pertexere*, et ad exodium usque perducere, estque metaphora a tela, ad rei patrandæ consilium. Titinnius Fullonib.

> Quæ, inter decem annos, nequisti unam togam detexere.

Adde a comico nostro:

> Neque exordiri primum unde occipias, habes,
> Neque ad detexundam telam certos terminos.

Pergamus cum Sulpicia:

v. 10. Teque quibus princeps, et facundissima calles,
Aggredior.]

Quid hoc sibi velle dicam, nescio: nihil enim ineptius, indigniusve adeo laudabili ac pererudita Sulpiciæ gentis heroide,

cujus existimationis rationem si pro personæ matronalis dignitate habere voluerimus, totam pene prioris hemistichii partem, retexamus necesse erit. Sed enim, hoc absque auctoribus libris infirmum, neque adeo tutum satis: quos quidem ego suffragatores si haberem mihi, libenter hercule reposuerim.

> Teque tuosque, praes queis facundisssima, colles
> Aggredior.

Vel etiam, *calles.* Habes protenus:

v. 12. Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat?]

Mirum, ni ad aureum illud, atque ex omni parte beatum Flavii patris, ac Titi Vespasiani filii sæculum respexerit Poëtria nostra, cujus adeo memoria, immo sublati ex oculis desiderium potius recens etiam tum mortalium animis obversabatur, ac tantum non impressum residebat; et quidem eo firmius, ac propius medullis, quò major Reipublicæ mutatio facta, Domitiani successoris insolentiâ maxime, terribilis cunctis et invisi. Merito: quippe quem non solum magnæ, sed et callidæ inopinatæque sævitiæ Imperatorem fuisse, perhibet Suetonius.

v. 13. .... Patria sæcula mutat?]

Patria ergo *sæcula*, haud alia utique, quàm Saturnia illa omnium poëtarum præconiis celebrata.

v. 15. Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos.]

Hoc est, inopes bonæ mentis, sive consilii, nec jam rationis amplius, vel judicii ullius sanioris compotes, veluti muta (hoc enim τὸ *tacitos* vult sibi) pecora sub jugum missa, vel (cum Flacco ut dicam)

> .... Iniquæ mentis asellos,

auriculas demittentes,

> Cùm gravius dorso subiere onus.

Eâdem illâ, quam memoravi modo, tyrannicâ Domitiani dominatione oppressos, ac modo non redactos ad extremissimam rerum omnium penuriam ac desperationem. An hoc potius quærit Sulpicia, quod sequentia confirmant oppidò, utrumne Jovi decretum sit, consentientibus Fatis, artium, doctrinarum,

ac disciplinarum omnium universo mortalium generi oblivionem inducere aliquando, vitæque istius melioris præmia cultumque; Atticæ, inquam, philosophiæ *bonæque mentis* ac humanitatis studia, divinitus antea dilargita nobis, in perpetuum porro dediscere jubere, ad primi illius ac rudis ævi infantiam et plus quàm brutam stupiditatem revocatos? videlicet, ut omnis agriculturæ expertes, Cereri ac Libero renunciantes, ad glandes rursum ac Acheloia pocula, post tot sæculorum sæcula, nescio quo postliminii jure, versoriam denuo capiamus? an magis necessitatem istam fatalem nobis, hoc est, uni Italicæ genti solisque Romuli nepotibus interminatur Jupiter, quos summis opibus atque industriis, reliquarum etiam nationum, immo hostium salute maxime, exterminatos perditosque expetit, Capitolio ipsius suo iratus infestusque, ultoris scilicet, ne dicam prædatoris cognomine assumpto sibi, custodis ac conservatoris deposito: ubi tamen legendum forte:

v. 19. .... Remulique exturbat alumnos.]

Non uti in exemplari nostro viditur *Romulique*, repugnante numerorum ratione. Romulum enim et Remum identidem a poëtis confundi videmus, alterumque pro altero promiscue nominari: interdum utrosque pariter conjungi simul, ut æquum est fratres, et quidem germanos geminos: sicuti apud Catullum:

> At vobis mala multa Dii Deæque
> Dent opprobria Romuli Remique!

Propertius autem, *regna Remi* pro urbe Roma posuit, cùm ait:

> Regnave prima Remi aut muros Carthaginis altæ.

Habes non longe ab hoc loco:

v. 22. Sed virtus agitata domi, et socialibus armis.]

Bene addit *socialibus*, ad externorum bellorum et Asiaticorum discrimen, quæ quidem non pro vera gloria aut reipub. salute, sed pro præda scelerumque ac flagitiorum omnium impunitate suscepta videri poterant, jam inde a Sullanis temporibus maxime, quæ teterrima luxuriæ omnis ac nequitiæ fomenta victoribus subministrarunt. Quod vero ibidem subjungit protenus, *virtutem eam*, seu fortitudinem populi Ro-

mani, quam domi, ac socialium bellorum procellis acriter multumque ac diu exercitam memoraverat modo, in *freta demum Sicaniæ, et Carthaginis arces exiisse*, hoc est, desiisse, modumque in hostem pugnandi, et quasi pausam fecisse sibi, innuit a Romanis post Siciliam, *longumque* ac *magnum* illud Mediterraneum pelagus in Imperii unius dominationem redactum, Carthaginemque eversam, Punicæque æmulationis omnes reliquiarum reliqnias exstinctas; omni Galliâ denique cis Rhenum, atque inter mare súpra dictum atque Oceanum, nisi quæ a paludibus invia fuit, perdomitâ, sic, quasi effeta parente (id quod in Catilina conqueritur Crispus), nihil præclarum postea aut memorabile quod esset, belli militiæque patratum: quippe quibus hostis nullus exercitor superesset jam amplius, in quo oppugnando vera et antiqua illa Romana virtus enitescere posset; ideoque, depositâ armorum curâ, ad litterarum studia, pacisque artes, ac sapientiæ præcepta in tempore devolutos animum tandem requieti adjecisse; atque ita optime constitutam rempublicam in otio ac tranquillitate sustentasse facillime.

Antequam ulterius progrediamur, telamque, quam conatu majore quàm successu, pro ingenii nostri captu, satis tamen commodule exorsi sumus, ad terminos porro deducere properemus, sustinendum prius hic etiam paulisper nobis, donec Sulpicianorum versuum ordinem, qui in codicibus nostris, quantum est Formulariis, nusquam non transpositus ac perturbatus legitur, in pristinam aliquando reduxerimus dignitatem, qui quidem nobis ad hoc exemplum reconcinnandus videtur.

Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? An terras et patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos,
Non aliter, primo quàm cùm surreximus ævo,
Glandibus, et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, et urbes,
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, et sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, et Socialibus armis

(Cætera quæ imperia, et totum simul abstulit orbem)
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Deinde velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, et immota secum virtute fatiscit;
Sic itidem Romana manus contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges, et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terrâ quæsita marique
Præmia consilio, et molli ratione regebat.
Stabat in his, etc.

In quibus ordinandis, Petronianæ editionis œconomiam secuti sumus, usque ad illius hexametri finem:

Sed virtus agitata domi, et Socialibus armis.

post quem, ordine duorum inter se versuum commutato, *cætera quæ* (ita enim potius quàm *cæteraque* restituendum censuimus)

Imperia, et totum simul abstulit orbem
In freta Sicaniæ, etc.

Protinus sequi fecimus comparationem illam Circensem de equo senescente, *deinde velut stadio, etc.;* versu, qui in medio erat, indidem in locum commodiorem, hoc est, in sedem suam pristinam, unde, nullo suo merito, per vim exturbatus fuerat, postliminiùm restituto, non sine necessaria correctione, qua in postremis illis usi, pro

Omnia consilio, et molli ratione regebat,
Præmia consilio, etc.

emendare instituimus, Scaligeri fiduciâ maxime, in cujus catalectis ordinem a nobis supra repræsentatum post similitudinem illam, *deinde, velut stadio, etc.* in novissima hac superiorum carminum parte manifesto ac palam deprehendimus, non item in priore, ubi tergemini hexametri illi (*quid reputemus enim, etc.* usque ad hemistichii istius exitum *et socialibus armis*), parenthesi inclusi leguntur, medii inter versus quos ponam:

Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos,
Non aliter, etc.

Ille vero:

In freta Sicaniæ et Carthaginis exiit arces,

non post *armorum socialium* mentionem, et *virtutem illam Romanam, cætera quæ imperia, et totum simul abstulit orbem,* sed

post *exturbatos illos alumnos Remuli*, loco, hercule, alienissimo collocati; inibique *exigit* pro *exiit*, nullo existente idoneo sensu, incogitanter suppositum. Nec minor in editione Ausoniana turbatio, quæ *exilit* habet, et versus gemellos illos proxime memoratos, ante tres istos, quos in catalectis parenthesi interclusos diximus, *quid reputemus enim ? etc.* perperam dispositos repræsentat, cùm post eopse istos collocari debeant. Idem etiam de versu illo dictum cupio,

Omnia bellorum terrâ quæsita, marique,

qui, propter omnem verborum ac sententiarum ordinem, non bene præmissus legitur hexametro isti,

Ipsa domi leges, et Graia inventa retractans, etc.

qui, si modo recte rationem instituere velimus, eumdem antecedere debuerat. Ad ulteriora porro gradum capessamus.

v. 35. Nunc igitur qui res Romanas imperat inter.]

Mira Latinitatis ratio, et non nostri stomachi ægre hanc ipsam coquentis: quamobrem, tempus fuit, cùm *res* istas *Romanas* ita interpolandas putarem:

Nunc igitur qui rex Romanos imperat inter,

ut invidiose Domitiani plusquam regium dominatum sugillet poëtria nostra: tum phrasim illam, *imperat inter Romanos*, sic dictam interpretemur, quomodo Propertii istud:

Ut regnem mixtas inter conviva puellas.

nisi si quis, *temperat* rescribi maluerit, quod etiam sine ulla præpositionis virtute, *Romanis* ipsis, accusandi casu positis, temperandis sat esse possit. Sed vero, *inter* istud, tantum non cerebrum excutit nobis: et mirum ni, ratione poëticâ, retro cùm τῷ *rex* construendum, ut ne id quidem Domitiano dignum habeat Sulpicia, quem vel legitimum regem appellet, innuens, puto, principatum ejus brevi dilapsurum, id quod etiam Calliopen suam vaticinantem inducit postea, neque multo secus, quàm si cum interregiâ potestate summæ rerum præfuisset modo, imperio excisurum.

v. 39. Quid facimus ? Graios, hominûmque reliquimus urbes.]

Salsum ac satiricum, quasi vero non alia natio quàm Græca

in hominum lustro reponi digna, solique Achivi modo humanitatis laude censeri possint.

v. 41. Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo,
Ensibus et trutinâ Galli fugere relictâ, etc.]

Camillus enim Gallos in captivo auro pendendo deditos atque occupatos de improviso adortus Româ pepulit. Proin, *turbante*, hoc loco, absolute positum observabis: sic Cœlius ad M. Tullium: *M. Servilius, postquam ut cœperat, in rebus omnibus turbârat.* Sed clarius aliquanto Plautus noster Bacchid.

Turbat equus lepide ligneus:

et passim alibi. Etiam, *ensibus* scripsi, spretâ earum editionum scripturâ, quæ *lancibus* habent, ut respiciat ad illud scilicet, quòd, Româ captâ ab iisdem Senonibus illis quos dixi, Brennus eorum rex, dum aurum ex pacto appenditur, de iniqua ponderum exactione quærenti Ap. Claudio, adjecto ad pondera gladio, responderit: *Væ victis!*

v. 47. Cætera et illa manus fecunda (al. *facunda*) secundo.]

Bellum Punicum secundum intelligit, quâ tempestate efflorescere maxime, ac sese extollere cœperunt Romana ingenia, juxta veteris illam poëtæ sententiam:

Punico bello secundo Musa pennato gradu
Intulit se bellicosam Romuli ingentem feram.

Habes porro:

v. 48. Quos inter Prisci sententia dia Catonis.]

Prisci, hic non epithetum est, sed cognomentum quo a Romanis insignitus Cato, auctor Plutarchus; eo dico, ne quis hoc ipsum ad censorii illius ætatem falso pertinere persuadeat sibi: neque aliter Horatii locus accipiendus, libri III, od. 21:

Narratur et Prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

ubi *Prisci Catonis virtutem* pro Catone ipso summa virtute prædito positam operæ pretium est observare. Proinde et capitali littera utrobique scribendum. Sed et postremum hexa-

metri hujus hemistichium quis ab Horatio esse non videt ita, lib. I, sat. 2, scriptitante:

> .... Macte
> Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.

Ad imitationem Luciliani illius maxime:

> Valeri sententia dia.

Pergit Sulpicia:

> v. 49. .... Utrumne secundis,
> An magis adversis staret Romana propago.
> Scilicet, adversis.]

Hoc est, facile scias adversis potius quàm secundis consistere majestatem Imperii Romani: est enim *scilicet*, scire licet: quomodo et *videlicet* apud Plautum, pro *videre licet.* Neque quicquam hâcce sententiâ verius: unde et Nasica ille, ad reprimendam nequitiam, servandosque optimos illos, hoc est, antiquos mores (quibus *rem Romanam stare* potissimum Ennio quoque persuasum fuerat jam olim), cujusmodi scilicet in populo Romano, inter secundum et postremum bellum Carthaginense, maxime viguisse, non quidem amore justitiæ, sed formidine infidæ pacis, cognitum nobis ex fragmentis Sallustianis; Nasica ille inquam cordatus, quamvis Catone adversante, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti; quod ut, cum iis quæ sequuntur, rectius etiam intelligatur, nonnulla argumento huic consentanea ex Catonis ipsius censoria pro Rhodiensibus oratione apud A. Gellium lecta, huc oblatâ bellissimâ occasione transcribam; sunt vero hæc ex V. Originum ejusdem libro a politissimo illo Atticarum noctium auctore nobis quasi per manus tradita:

Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellentem atque superbiam, atque ferocitatem augescere atque crescere (ubi item notabis duarum linearum spatio conjunctionem *atque* iteratam plus minus quinquics), *quod nunc mihi magnæ curæ est, quod hæc res tam secunde processerit, ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confricet, neve hæc lætitia nimis luxuriose eveniat. Adversæ res se domant, et docent quid facto opus*

sit. Secundæ res lætitiâ transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo.

Et deinde postea:

Atque haud scio, an partim eorum fuerint, qui non nostræ contumeliæ causâ id voluerunt evenire; sed enim metuere, si nemo esset homo quem vereremur, quicquid liberet, faceremus.

Ad Sulpiciam tandem reveniamus.

v. 51. .... Nam cùm defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva Penatibus uxor,
Convenit ut vespis.]

Convenit pendere a *Penatibus* videtur, ut dicat satirica *Penatibus*, hoc est, cultoribus Penatium et domorum Urbis statim, ubi quid adversi coortum est, convenire inter se concorditer, unoque animo in hostem pergere quamvis inimicissimis antea. Cæteroqui, quonam *convenit* istud alio referri possit, non video.

v. 55. Ast ubi apes secura redît oblita favorum,
Plebs, fraterque una somno moriuntur obeso.]

Quid est frater? nescio equidem, *neque ego istud verbum emissim titivilitio.* Itaque, non dubito, quin *plebs, patresque* scripserit Sulpicia apum situ marcessentium Rempublicam concilia, ducesque ac vulgus, senatui populoque Romano (quos quidem plebis, ac patrum nomine comprehendit) jam murcido prorsus, incultuque proinde ac socordià torpescenti, aptissimâ utique similitudine componens ac circumscribens.

v 58. Hæc fabella modo pausam facit.]

Malim potius:

Hoc fabella modo, etc.

v. 62. .... Tantum Romana Calenos
Mœnia, jucundos pariterque adverte Sabinos.]

Emendandum *Caleno,* item *averte Sabinos,* non *adverte.* Unum enim hoc deprecatur Sulpicia, ne conjugi suo (a quo tenerrime amari sese, certissimis experimentis cognitum ac provisum habebat) in tanta Reipublicæ perturbatione, Musis scilicet, cum omni disciplinarum cœtu, importunissimâ tyran-

nici edicti proscriptione procul emigrantibus, carissimo Caleno, inquam, Romæ porro lubeat permanere, cœli Sabini desiderium, atque urbanum illud togatæ comitatis otium uxoriis complexibus præferenti. Subjicit eadem haud multo post ex persona Calliopes respondentis sibi :

v. 67. Nam Laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et, comite Aegeriâ, ridemus inania cœpta.]

Quo non inscite accommodare poteris illa Juvenalis, ex sat. III, de Umbritio Româ itidem emigrante, et quidem iisdem pene temporibus, de quibus apud Musam suam, tanta cum indignatione, queritur heroina hæc nostra :

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:
Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.
Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, et ejectis mendicat silva Camœnis.
In vallem Aegeriæ descendimus, etc.

Concludit porro præsagitiones suas Calliope Sulpiciana, aiens :

v. 69. Vive, vale: manet hunc pulchrum tua fama dolorem.]

At concinnior exstitura sententia videtur, si, *sua*, potius rescribatur. Addit postremo promissi sui præstationem :

Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

Propter ædem Apollinis Palatini scilicet, ac bibliothecam inibi ab Augusto jampridem consecratam: qua de re plura commentariolum nostrum Horatianum, qui volet, consulito.

CAII LUCILII

SUESSANI AURUNCANI

EQUITIS ROMANI

SATIRARUM QUAE SUPERSUNT

FRAGMENTA

EX RECENSIONE FRANCISCI JANI F. DOUSAE.

PARISIIS

SUMPTIBUS ET TYPIS FIRMINI DIDOT.

MDCCCXI.

C. LUCILII VITA

E FRANCISCI DOUSAE NOTIS EXCERPTA.

ANTEQUAM operam meam reliquiis Lucilii commodem, res ipsa postulare videtur, ut pauca prius de ipso, genere, vita, ac denique scriptis ejus, quæ fortean cui negotium facessere possent, expediam. Primum itaque moneo nomen ipsius LUCILIUS simplici *l* ubique rescribendum, non LUCILLIUS, ut jam passim receptum video. Testes omnes veteres libri tam formis excusi, quàm manu exarati, Ciceronis, Horatii, Festi, Nonii, et aliorum, qui testimonia ejus sæpius advocant: in quibus semper LUCILIUS disertim expressum invenies, neque unquam aliter in lapidibus priscis; ad cujus rei fidem stabiliendam hanc insuper auctoritatem addebat vir omni laude et invidia major Josephus Scaliger, cùm ei meam mentem aperuissem. Siquidem, veteres haud aliter I productam, quàm EI diphtongum enuntiare solitos, quod ex antiquorum monumentorum inscriptionibus probare supervacuum fuerit, atque hinc LUCEILIUS eàdem ratione quâ SERVEILIUS scribi veteribus consuevisse, itaque rescribendum apud Martialem hunc ipsius Lucilii versum:

Luceili Columella heic situ Metrophanes.

quo salebrosior quodammodo sit, et antiqnitatem magis resipiat, cujus gratiâ eum laudat Martialis. Eamdem porro rationem in SERVILIO obtinere probant nummi veteres, quos exstare non paucos vidi, cum his notis: C. SERVEILIUS; nam vocem hanc secunda syllaba productam legi debere satis indicat, præter Silium Italicum apud quem sæpicule eam reperias, Claudianus, lib. I, in Eutropium, hoc versu:

Indomitos curru Servilius egit Isauros.

unde manifesta suspicio est versum illum Ennii, quem, inter alios, A. Gellius, lib. XII, cap. 4, producit:

Hunc inter pugnas compellat Servilius sic.

magistellorum audaciâ, an imperitiâ, fœde interpolatum esse, ac fortean restituendum ad hoc exemplum:

> Hunc inter pugnas Serveiliu' sic compellat.

illos enim verisimile est asperitate carminis offensos, dum ei rei consultum ire cupiunt, numerorum rationem nullam habuisse. Ne vero quis eorum sententiæ accedat, qui temere Lucii prænomen faciunt Lucilio nostro: nam Caium semper vocant Cicero, Quintilianus, alii. Luciliam gentem duplicem fuisse, patriciam unam, alteram plebeiam ex diversis scriptoribus colligo, præter eorum opinionem, qui plebeiæ ejus tantum meminerunt. At patriciæ quidem fuit poëta noster, cujus nobilitas vel ex solo Paterculo plana est, qui eum equidem sub P. Africano militasse scribit; cui accedant testimonia Horatii, quamvis ab invito expressa, et in eodem genere scribendi æmulo, hæc de semet, sat. I, alterius Sermonum libri, coram C. Trebatio jurisconsulto profitentis:

> .... Me pedibus delectat claudere verba.
> Lucili ritu, nostrum melioris utroque.

et statim post:

> .... Quidquid sum ego, quamvis
> Infra Lucili censum, ingeniumque.

ad quæ Porphyrion vetus interpres: *Constat enim Lucilium majorem avunculum Pompeii Magni fuisse; etenim avia Pompeii soror Lucilii fuerat.* At Acron alter interpres eum *avum Magni Pompeii* facit: quorum utri potius accedam nescio, cùm nihil ea de re certi legendo potuerim comperire. Certe Velleius Paterculus eum magnum avunculum, sed ex fratris filia, non sorore, ut vult Porphyrion, videtur agnoscere; ita enim capio verba ejus de Cn. Pompeio, qui postea Magni cognomen sortitus est, *fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ;* cui conjecturæ meæ vir ampliss. Ant. Augustinus subscribere videtur: ille enim in libro de gentibus ac familiis Romanorum, matrem Cn. Pompeii Magni ex fratre C. Lucilii poëtæ natam autumat. Nec enim, si ea filia poëtæ nostri fuisset, C. Velleium rem tam insignem silentio præteriturum fuisse verisimile existimo.

In Lucilia gente plebeia, varias familias fuisse comperio, ut Balbos, Bassos, Rufos, Secundos, Longos, Capitones, de quibus singulis consulendi Cicero in Bruto; Epistolarum Famil. lib. III, epist. 5; ad Atticum, lib. XII, epist. 5; Tacitus, lib. XI Histor. Pomponius J. C. de Origine Juris; Inscriptiones veteres, alii.

Natus est Lucilius, Sp. Posthumio Albino, L. Calpurnio Pisone coss. anno *V. C.* DCV, bello Punico tertio, Olympiade CLVIII, Suessæ Auruncorum; unde satiræ ejus *Camœna Suessa* ab Ausonio dicuntur, et *magnus Auruncæ alumnus* a Juvenale vocatur, observante magno Scaligero. Sub P. Scipione Africano minore, bello Numantino (quod incipit in annum *V. C.* DCXX), stipendia meruit, quo quidem tempore, eum ad annos maxime natum sexdecim colligimus. Ejusdem Scipionis vitam privatam postea descripsit, in quo Pseudoporphyrionem manifesti erroris convincit parens meus, qui *Lucilium vitam privatam Scipionis, Ennium vero bella descripsisse* annotat: ubi male nomina Scipionum inter se confusa. Ennium enim Scipionis majoris res gestas cecinisse constat. Lucilius autem ut ejusdem vitam privatam descripserit, ratio temporum plane vetat. Amicos ac familiares Lucilii hos fuisse potissimum reperio: P. Scipionem Africanum minorem, C. Lælium, M. Licinium Crassum, Sp. Albinum, L. Aclium Stilonem, Q. Vectium, Archelaum, P. Philocomum, Lælium Decimum, Q. Graninm Præconem.

Nominatim carpsit et exagitavit in satiris, quantum qnidem ex panculis his fragmentis odorari possumus, Mutium Scævolam, T. Albutium, Q. Cæcilium Metellum, P. Rutilium Lupum, Torquatum, M. Carbonem, L. Tubnlum, P. Gallonium, C. Cassium, L. Cottam, Claudium Asellum, Q. Opimium, Nomentanum; C. Cœlium Judicem, Trebellium, P. Pavum Tuditanum, alios; quin universum quoque populum Romanum tributim, ut inquit Horatius, arripiens, hoc est, omnes XXXV tribus urbis antiquæ, probrosis carminibns laceravit: ac, ne a poëtis quidem mortuis Euripide, Ennio, Cæcilio, Pacuvio, Accio, aliisque item illustribus obtrectandis temperare potuit sibi, quominus scriptis uniuscujusque sæpius

detraheret. Hinc ei libertatem et acerbitatem summam Quintilianus adscribit : qui locus non patitur me oblivione præterire alium similem de Lucilio locum, sed corruptum, cujus auctor vetus Horatii interpres, apud quem ita legitur : *Satira Horatii inter Lucilii satiram et Juvenalis media est; nam et asperitatem habet, qualem Lucilius; et suavitatem qualem Juvenalis:* ubi audacter repono, *acerbitatem*, quam apte suavitati opponi, quæ statim Juvenali tribuitur, nemo negabit; et acerbitas cæteroqui propria satirographorum. Sic enim Horatius de se, lib. II sermonum, sat. I :

Sunt quibus in satira videar nimis acer.

Amavit Lucilius Collyram puellam, ejusque nominis titulo decimum sextum librum inscripsit. Servum habuit nomine Metrophanem, cujus fidem ac probitatem publice epitaphio ei condito testatus est. Habitavit Romæ in domo, quæ Antiochi regis filio obsidi publice ædificata fuerat. Neapoli mortuum ac publico funere elatum ait Eusebius, anno ætatis suæ quadragesimo sexto : cui annorum rationi vide an non repugnet Horatius, qui eum senem facit illis versibus :

....................Quo fit, ut omnis
Votivâ pateat veluti descripta tabellâ
Vita senis.

quod quo pacto cum Eusebianis chronicis conciliari possit nullus hercule video, nisi si solemnem illam Servitulliani lustri rationem sequendam ducamus, quâ, ut lib. X, cap. 28, ex Tuberone docet A. Gell. *juniores* ad annum usque quadragesimum sextum, supraque eum *seniores* fuerint appellati. Lucilium autem primum omnium se ac elegantissimum ingenium suum in hoc scribendi genere exercuisse, ac satirica carmina scribere cœpisse, ex Horatio liquido apparet, qui modo illum *Inventorem* ejus facit, modo *ausum*, ait, *primum in hunc operis componere carmina morem.* Nam quòd Ennium aut Pacuvium quis objiciat nobis, quorum etiam satirarum libri a grammaticis laudantur, minus nihilo est. Titulo tenus quidem iis cum Lucianis satiris conveniebat, re ipsa dissimillimis. Nam præter quòd diversis metrorum generibus eos conscriptos comperimus,

variis etiam rebus confertos fuisse (si quidem satiræ titulus id promittere videbatur), nec quidquam fellis, aut amarulentiæ in se continuisse satis patet ex Diomede scribente, lib. III Grammat. *Satira est carmen apud Romanos, non quidem apud Græcos, maledicum et ad carpenda hominum vitia Archææ comœdiæ charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius: sed olim carmen quod ex variis poëmatibus constabat satira vocabatur, quales scripserunt Pacuvius et Ennius.* Possem eidem rei firmandæ advocare testimonia Quintiliani, Donati, et veterum interpretum Horatii; sed ea ut minime in re certa et indubitata necessaria, et quia partim alibi ea collocavi, hic sciens prætereo. Hinc etiam manifesto liquere arbitror vanitatem illorum, qui Lucilium iambicos et trochaïcos heroicis versibus immiscnisse persuadere conati sunt nobis. Nec vero iambico ac trochaïco carmine eum omnino usum fuisse negaverim: nam id, præter ipsas Lucilii reliquias, Diomedis auctoritate confutare facillimum sit, qui eum cum Catullo, Horatio, Bibaculo inter præcipuos iambici carminis scriptores recenset: sed, sicubi iis usus est, nullum præterea aliud metri genus ibidem usurpasse affirmare ansim. Sic igitur de scriptis ejus in universum habeto. Triginta libros satirarum eum reliquisse, qnorum XX priores hexametris totos constitisse ipsa fragmenta indicium pariter ac fidem faciunt; reliqui omnes, præter trigesimum (qui denuo ex heroicis compositus fuit), aut iambicis, ant trochaïcis numeris constituti fuisse videntur. Si quos vero in iisdem libris aliquando versus heroicos offendas, eos ab aliis aberrasse putato incuria librariorum maxime: quàm frequenter enim ab iis in numeris peccatum sit, ei qui aliquando veteres codices cum recentioribus contulerit liqnido constare arbitror. Idem erroris commissum scias, quoties fragmenta aliqua ex libris XXXVI, aut XXXIX apud Nonium citata invenias: illa enim in emendatioribus libris ad XXVI, aut XXIX referuntur, ac similis mendæ Charisium manifestum puto, apud quem ex XLIII Lucilii vox *calx* adducitur. Quid enim, obsecro? An verisimile sit ex tanto librorum numero, quot inter XXX et XLIII reliqui sunt, nullum ab ullo grammaticorum verbum productum? Existimo proinde

nota deceptos librarios pro XXIII nobis XLIII succidaneum fecisse. Nominatur et *comœdia Lucilii* apud veterem interpretem Horatii, et *Lucilius comicus* apud Fulgentium de prisco sermone, quem non esse eumdem cum nostro poëta pene præstare ausim; idque eo magis quòd in veteri libro Fulgentii *Lucretii comici* nomen exstabat. Illustriss. autem Scaliger *Rutilium* reponendum putabat, quem citat idem Planciades, et est ille, cujus meminerunt Cicero I de Finib. libro: item Velleius Paterculus. Ego aut *Luscium*, aut *Licinium*, aut etiam *Turpilium* utrobique substituendum putabam, quorum omnium comœdiarum, præter alios, Volcatius Sedigitus apud A. Gellium meminit, et vicinitas litterarum facile imposuerit, non satis attento librario. Uno item loco, apud Nonium, *Lucilius Serrano* citatur, quo nomine Varro satiram Menippæam scripserat, ut probat idem grammaticus, diversis testimoniis ex eo productis; unde suspicatus fui semper has voces perperam scriptoris librarii oscitantiâ coaluisse, ac desiderari ibidem exemplum Lucilii, et nomen Varronis, et quidem id genus errores in Nonio a negligentibus librariis, locis prope infinitis, commissos, et alii animadverterunt, et nos jam sæpe observavimus: qualem etiam illum puto, quandocumque *Lucilius Hymnis* citatur; nam Hymnidem fabulam ex Menandro Latinam fecerat Cæcilius, ex qua testimonia aliquoties advocantur a Nonio et Festo, ejusdemque meminit Cicero. Sed hactenus: nec plura addo de ipso; transeo ad reliquias.

Quod spectat ad testimonia veterum de Lucilio, nihil, hoc loco, nobis dicendum arbitror: ea enim sunt innumera. Omnes scriptores Latini Lucilium satirographorum principem nobis proposuerunt legendum. De eo vide imprimis Ciceronem, lib. I, de Oratore, lib. II, ibidem, Academ. Quæst. lib. II; Horatium, lib. I Serm. sat. 4, sat. 10, lib. II Serm. sat. 1; Persium, sat 1; Quintilianum, lib. X, cap. 1 Instit. Orat. ibid. lib. I, cap. 6; Juvenalem, lib. I, sat. 1; Plinium, lib. I, Nat. Hist. Martialem, epigram. lib. XII, et alios.

CAII LUCILII
SATIRARUM QUAE SUPERSUNT
FRAGMENTA.

EX INCERTO LIBRO.

I.

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
Queis iu versamur, queis vivimu' rebu' potesse:
Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res.
Virtus, scire homini rectum, ntile, quid sit honestum;
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestum:
Virtus, quærendæ rei finem scire modumque:
Virtus, divitiis pretium persolvere posse:
Virtus, id dare, quod re ipsâ debetur honori:
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentûm, tertia jam postremaque nostra.

II.

Nunc vero, a mane ad noctem, festo atque profesto,
Totus item pariterque dies, populusque patresque
Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti;
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditiâ certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

1. Lactantius, Divinarum Institutionum, lib. VI, cap. 5.

2. Lactantius, Divinarum Instit. lib. V, cap. 9.

III.

Græcum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titii, Anni Centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum; signiferumque
Maluisti dici: Græce ergo, Prætor Athenis,
Id quod maluisti, te, cùm ad me accedi', saluto:
Χαῖρε (inquam) Tite: lictores, turma omni', cohorsque
Χαῖρε, hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.

IV.

Quam lepide lexeis compostæ? ut tesserulæ omnes,
Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato?

V.

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

VI.

.... Corneliu' Popliu' noster
Scipiades dictus, tempusque intorquet in ipsum
Oti et deliciis, Luci effictæ, atque cinædo.
Et sectatori adeo ipsi suo, quo rectiu' dicas,
Ibat forte domum: sequimur multi atque frequentes.

VII.

Quo facetior videare, et scire plus quàm cæteri,
Pertisum hominem, non pertesum dicere ferunt:
Nam genus.

VIII.

Quid? Decius, Nuculam, an confixum vis facere? inquit.

IX.

Nam si tu fluctus undasque e gurgite salso
Tollere decreris, ventum prius Hæmatium tu
Ventum, inquam, tollas t. c. q. i. l.

X.

Armamenta tamen, malum, vela omnia servo;

3. Cicero, de Finib. bonor. lib. I.

4 et 5. Cic. de Oratore, lib III.

6. Festus: Scurræ vocabulum Verrius ineptissime aut ex Græco tractum ait, quod est σκοροάζειν (lege συγχυρεῖν.), aut a sequendo.

7. Festus: *Pertisum* non *pertesum* dixerunt Antiqui.

8. Cicero, lib. II, de Oratore.

9. Julius Rufinianus, de Figuris.

10. Nonius: *Anquinæ*, vincula quibus antennæ tenentur.

Funis enim præcisu' cito, atqne anquina soluta est.

XI.

Hanc catapiratem puer eodem deferat, uncum,
Plumbi paxillum rodus, linique metaxam.

XII.

Queis hunc currere equum nos atque equitare videmus;
His equitat, curritque: oculis equitare videmus:
Ergo oculis equitat.

XIII.

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnes.

XIV.

Et velut in fabricam fervens cùm marculu' ferrum
Multorum magnis tuditantium ictibu' tundit.

XV.

Qnidni? Et scruta quidem ut vendat scrutariu' laudat,
Præfractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam.

XVI.

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est:
Quantum habeas, tanti ipse sies, tantique habearis.

XVII et XVIII.

Ante fores autem, et triclinî limina quidam
Perditu' Tiresia tussi grandævu' gemebat.

XIX.

Querquera consequitur febris, capitisque dolores,
Infesti mihi, tanquam Rondes Icadionque.

XX.

Tum laterali' dolor certissimu' nuntiu' mortis.

11. Isidorus, Orig. XIX, 4. *Catapirates*, linea cnm massa plnmbea quâ maris altitudo tentatnr.

12. A. Gellius, Noct. Att. XVIII, 6.

13. Festus: *Mamphula* appellatur panis Syriaci genns, qnod, nt ait Verrius, in clibano, ante quàm percoquatur, decidit in carbones, cineremqne.—*Empleuron.* Ἔμπλευρον, validam, latera plena habentem.

14. Isidor. *Marculus*, malleus pusillus.

15. A. Gellins, lib. III, cap. 14.

16. Vet. schol. in Juven. sat. 3.

17 et 18. Donatus, Eun. act. II.

19. Festus: *Querqueram febrem*, gravem et magnam.—*Rondes Icadionque.* Nomina sævissimorum piratarum.

20. Maximus Victorinns.

XXI.

Nos esse arquatos? Surgamus, eamus, agamus.

XXII.

Inguen ne existat; papulæ, tama, ne boa noxit.

XXIII.

Hæc odiosa mihi vitiligo est, non dolet, inquit.

XXIV.

.... Nondum etiam hæc omnia habebit.
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.

XXV.

Si me nescire hoc nescis, quod quærere dico,
Quare divinas quidquam, aut quare debes ipse.
Et si scis q. b. e. scire hoc d. te.

XXVI.

.... Ut me scire volo mihi conscius sum, ne damnum faciam: scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.

XXVII.

.... Sponte ipsa suapte
Adducta, ut tunicam et cætera rejiceret.

XXVIII.

.... Per mihi lectum
Imposuique pedem pellibus habes.

XXIX.

.... Quibu' mendæ
Omnibus in rebus fiunt, fierique potis sunt.

XXX.

.... Velut olli
Auceps ille facit cùm improviso, insidiisque.

21. Nonius: *Arquatus* morbus dictus est, qui regius dicitur.

22. Festus: *Tama* dicitur, cùm labore viæ sanguis in crura descendit et tumorem facit.—*Boa*, serpens aquatilis.

23. Festus: *Vitiligo* in corpore hominis macula alba, quam Græci ἄλφον vocant, a quo nos album.

24. Porphyrion, I, sat. 3. Horat.

25. Julius Rufin. Enthymema fit, cùm periodus orationis ex contrariis sententiis adstringitur.

26. Vet. schol. Persii sat. I.

27. Varro, lib. V, de Ling. Lat.

28. Janus Dousa legit:

.... Lectum
Perminxi, imposuique pudendam pellibu' labem.

29. Non. *Menda* feminino genere.

30. Servius Petri Danielis.

XXXI.

Luna alit ostrea, et implet echinos, muribu' fibras
Et pecui addit.

XXXII.

Uno oculo, pedibusque duobus, dimidiatus
Ut porcus.

XXXIII.

Vis est vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.

XXXIV.

Nequam et magnus homo, laniorum immani' canes ut.

XXXV.

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.

XXXVI.

Hæc te imbubinat, et contra te imbulbitat ille.

XXXVII.

Quem præclarus helops, quem Aegypto sargu' movebit.

XXXVIII.

Et pedibus lævâ Sicyonia demit honesta.

XXXIX.

Suasa quoque omnino dirimit non solla dupondi.

XL.

Nequam aurum est, auris quod vi vehementius ambit.

XLI.

Sicuti mechanici, cùm alto exsiluere petauro.

XLII.

Ut petimen naso, aut lumbos cervicibu' tangat.

31. A. Gellius, lib. XX, cap. 8.

32. A. Gellius, lib. III, cap. 14.

33. Varro, de Ling. Lat. lib. IV.

34. Varro, de Ling. Lat. lib. VI. — *Canes* et *canis* idem.

35. Festus: *Me*, pro mihi.

36. Festus: *Bubinare* est menstruo mulierum sanguine inquinare; *imbulbitare*, est pnerili stercore inquinare.

37. Festus: *Sargus*, piscis genus, qui in Aegyptio mari fere nascitur.

38. Festus: *Sicyonia*, genus calceamenti.

39. Festus: *Sollo* Osce dicitur id, quod nos totum vocamus. *Suasa* quoque o. d. non solla d. id est, non tota.

40. Festus, in voce *nequam*.

41. Festus: *Petauristas* Lucilius a *petauro* appellatos existimare videtur. Vid. Juven. sat. XIV, v. 265.

42. Festus: *Petimina* in humeris jumentorum ulcera et vulgus appellat.

XLIII.

Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro.

XLIV.

Varronum, ac rupicum squarrosa, incondita rostra.

XLV.

Ut veles bonu', sub vitem qui sumicit hastas.

XLVI.

Si verò das, quod rogat, et si suggeri' suppus.

XLVII.

Tapullam rident legem conceræ Opimi.

XLVIII.

Nemo hic vindicias, numen, neque sacra veretur.

XLIX.

Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.

L.

Uti esurienti leoni ex ore exsculpere prædam.

LI.

Intereunt, labuntur, euntur omnia versum.

LII.

Velle tolutim hic semper incœpturu' videtur.

LIII.

Hærebat mucro gladium in pectore totum.

LIV.

Saxa et stridor ubi atque erunt, dum sibilus institis.

43. Festus: *Spara*, minimi generis jacula, a *spargendo* dicta. — *Rumex*, genus teli.

44. Festus: *Squarrosi*, ab eadem squamarum piscium similitudine dicti, quorum cutis exsurgit, ob assiduam illuviem. — *Rupices*, duri et agrestes.

45. Paulus ex Festo: *Sub vitem hastas jacere* dicitur veles, cùm eas sub manu sursum mittit.

46. Festus: *Suppum* antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus ex Græco.

47. Festus: *Tapullam legem* convivialem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus.

48. Festus: *Vindiciæ* appellantur res eæ, de quibus controversia est.

49. Festus: *Solox*, lana crassa, vel pecus lanâ contectum.

50. Non. *Exsculpere*, extorquere.

51. Nonius: *Interfici* et occidi ad inanimata veteres vehementi auctoritate posuerunt.

52. Nonius: *Tolutim* dicitur, quasi volutim, vel volubiliter.

53. Non. *Gladium* neutri generis.

54. Nonius: *Sibilus*, masculino genere.

LV.

Durum, molle voras; fragmenta interfici' panis.

LVI.

Concilio antiquo sapiens vir solu' fuisti.

LVII.

Qui campos, collesque gradu perlabitur uno.

LVIII.

Non tango, quòd avarus homo est, quòdque improbu' mitto.

LIX.

Vellem cum primis, fieri si forte potisset.

LX.

Vicimus, ô socii, et magnam pugnavimu' pugnam.

LXI.

Rhodos Carpathium in pelagus se inclinat apertum.

LXII.

Carpathium mare transvectus cœnabis Rhodi.

LXIII.

Judicis Hortensî est ad eam rem nata palæstra.

LXIV.

Ut prætori' cohors, ut nostris dixit haruspex.

LXV.

Principio exitu' dignus, exodiumque sequetur.

LXVI.

Magna penus parvo spatio consumpta peribit.

LXVII.

Si tibi porro isthæc res idcirco est cordi, quod rere utilem.

55. Nonius, ut supra, ad 51.

56. Servius Petri Danielis Aurelii.

57. L. Apuleius Florid. lib. IV.

58. Julius Rufinianus.

59. Asconius Pædianus in Divinat. Cicer.

60. Donatus, in Eunuchum Terentii, act. V, sc. 2.

61. Porphyrion, in Horat. carm. I, od. 7.

62. Junius Phylargyrius in IV, Georg. Virgil.

63. Porphyr. in Horat. carm. I, od. 27.

64. Porph. in lib. I, sat. 7 Horatii.

65. Vetus schol. in Juven. sat. 3.

66. Priscian. lib. VI: *penus* quoque et masculini, et feminini, et neutri generis.

67. Nonius: *Cordi est*, honeste dictum.

LXVIII.

Sanctum ego a Metello Romam repedabam munere.

LXIX.

Caput collo sustentatur, truncus sustinetur a coxendicibus.

LXX.

Quænam vox ex te resonans meo gradu remoram facit?

LXXI.

Neque prodire in altum, præliari procul sub vite.

LXXII.

Quod mihi commodum est, aut uda vestimenta deposneram.

LXXIII.

Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse.

LXXIV.

Homini amico ac familiari non est mentiri meum.

LXXV.

Quin amplexetur, qui velit, ego non sinam me amplectier.

LXXVI.

Pro obtuso ore pugil, piscinensis res est.

LXXVII.

Tirei leontado et Pomani et thermo Parnime.

LXXVIII.

Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

LXXIX.

Pulchre invitati sumus, acceptique benigne.

LXXX.

.... Et ventrem et gutturem eumdem.

68. Nonius: *Repedare*, pede iterare.

69. Nonius: *Coxendicas*, coxas.

70. Festus: Remeligines et *remoræ*, a morando dictæ sunt.

71. Festus: *Sub vitem præliari* dicuntur milites, cùm sub vinea militari pugnant.

72. Donatus in Phorm. Terent. act. IV, sc. 3.

73. Servius, in X Aeneid. ad illud Virg. *Et tacitis regnavit Amyclis.*

74. Lactantius, Instit. Divin. lib. VI, cap. 18.

75. Priscianus, lib. VIII: *Amplexetur*, περιπλεκέσθω.

76. Festus: Piscinæ publicæ hodieque nomen manet.

77. *Hic locus plane inextricabilis.*

78. Acron in Horat. lib. I, sat. 4.

79. Nonius: *Invitare*, pro replere.

80. Nonius; *Guttur* masculini generis.

LXXXI.

Asparagi molles, sed viride cyma.

LXXXII.

Nam tam algu atque nigrore majus.

LXXXIII.

Verna acer cupit hæc.

LXXXIV.

.... Hippocampi elephanto camelos.

LXXXV.

Si argenti indiges.

LXXXVI.

Atque omnes mandonum gulæ.

LXXXVII.

Andronius Flacci teget utria.

LXXXVIII.

Impermistum lymphorem.

LXXXIX.

.... Palmisque misellam
Depuvit me.

XC.

.... Non omnibu' dormio.

XCI.

.... Agipes vocem mittere cœpit.

XCII.

Jactans me ut febris querquera.

81. Nonius: *Cyma*, neutro genere.

82. Nonius: *Algu*, pro algore.

83. Nonius: *Vernas* veter. appellabant, qui vere sacro fuerant nati.

84. Nonius: *Hippocampi* equi marini a flexu caudarum, quæ piscosæ sunt.

85. Nonius: Genitivus casus positus pro accusativo.

86. Nonius: *Mandones*, edaces.

87. Nonius: *Utria* generis neutri.

88. Nonius: *Lympha*, aqua genere fem. ut sæpe masculino.

89. Festus: *Depuvere*, cædere: Græce, παίειν.

90. *Non omnibu' dormio.* Proverbium natum a Cipio quodam, qui Pararhenchon dictus est, quòd simularet dormientem, quò impunitius uxor ejus mœcharetur.

91. Festus: Pedarium senatorem significat Lucilius, cùm ait: *Agipes vocem, etc.*

92. Paulus ex Festo: *Querqueram*, frigidam cum tremore, a Græco κακηρα, certum est dici.

XCIII.

.... Mantisa opsonia vincit.

XCIV.

Equum pedibus stlembum.

XCV.

Vinum crucium.

XCVI.

Qui schedium facit inconditum et inelaboratum.

XCVII.

Terra abiit in nimbos, imbresque.

XCVIII.

.... Cæcilius Prætor ne rusticu' fias.

XCIX.

Ergo Prætorum est ante præire.

C.

.... Quantum hinnitum atque equitatum.

CI.

.... Quadranti' ratiti.

CII.

Persium non curo legere hæc; Lælium Decimum volo.

CIII.

Priusquam Theognis nasceretur.

CIV.

Lactentia coacla cum melle bibi.

CV.

Huic Terentiæ Orbiliæ.

93. Festus : *Mantisa* additamentum dicitur linguâ Tuscâ, quòd ponderi adjicitur.

94. Fest. *Stlembus*, gravis, tardus.

95. *Crucium*, vinum insuave.

96. Festus : *Schedia*, genus navigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt post amissam navem.

97. Varro, de Ling. Lat. lib. IV.

98. Varro, de Ling. Lat. lib. VI.

99. Varro, de Ling. Lat. lib. IV.

100. Varro, de Ling. Lat. lib. VI.

101. Varro, de Ling. Lat. lib. IV. Opilius Aurelius dictum putat, quòd in quadrante et in triente *ratis* fuerit effigies, ut navis in asse.

102. Cicero, de Oratore, lib. II,

103. A. Gellius, lib. I, cap. 3.

104. *Coacla.* Forte, *Coa clam.*

105. Martianus Capella, lib. III: Lucilius in dativo *a* et *e* conjungit.

CVI.

Mænius columnam cùm peteret.

CVII.

.... Valeri sententia dia.

CVIII.

.... Murexque marinus.

CIX.

.... Echinus
Cinnabari infectus.

CX.

.... Gustavi crustula solus.

CXI.

.... Brutace bilingui.

CXII.

.... Efflantque elati naribu' lucem.

CXIII.

Gnatis parce tuis.

CXIV.

.... Horret et alget.

CXV.

...... Et vellit mappas, mantella, merumque.

CXVI.

At quidem te senium, atque insulse sophista.

CXVII.

Tuam ut memoriam retineas.

CXVIII.

.... Myconi calva omni' juventus.

106. Porphyr. in Horat. lib. I, sat. 3.

107. Idem, in Horat. lib. I, sat. 6.

108. Acron, in Horat. lib. II, sat. 4.

109. Acron, in Horat. lib. I, sat. 6.

110. Acron, in Horat. lib. I, sat. 1. Vide quoque Juven. sat. IX, v. 5.

111. Porphyr. in Horat. lib. I, sat. 10. — *Brutace*, pro Brutiate.

112. Marius Victorinus, lib. de syllabis.

113. Servius, in X Aeneidos.

114. Servius, in XI Aeneid.

115. Servius, in lib. IV Georg.

116. Donatus, in Eunuch. act. II, scen. 3.

117. Donatus, in And. Act. V, sc. 4.

118. Donatus, in Hecyr. act. III, sc. 4.

CXIX.

.... Carcer vix carcere dignus.

CXX.

.... Lecti omnes: Atticon hoc est.

CXXI.

.... Animo ac virtutibus.

CXXII.

Centum genera solœcismorum.

CXXIII.

A me auxiliatus si est.

CXXIV.

.... Anseris herbili' virus.

CXXV.

.... Stat sentibu' fundus.

CXXVI.

Ex facie florem delegeris.

CXXVII.

Pedetentim hunc resalutem.

CXXVIII.

.... Fici comeduntur et uvæ.

CXXIX.

.... Exta acceptoris et unguis.

CXXX.

.... Gibbere magno.

CXXXI.

Cùm illa fora itant.

CXXXII.

Plure foras vendunt.

CXXXIII.

Assiduas ficos.

119. Donat. in Adelp. act. III, sc. 2.

120. Donat. in Phorm. act. I, sc. 2.

121. Donat. in Adelp. act. II, sc. 1.

122. Isidorus, Orig. lib. I, cap. 32.

123. Priscianus, lib. II et VIII.

124. Servius Petri Danielis: *Virus*, id est, fœtor.

125. Donat. in Andr. act. IV, sc. 2.

126. Donat. in Eun. act. IV. sc. 4.

127. Charisius, lib. II.

128. Charisius, lib. I.

129. Charisius, lib. I. *Acceptor*, et accipiter idem.

130. Char. lib. I. *Gibber*, ut tuber.

131. Charisius, lib. I.

132. Char. Ibid. *Plure* aut minore emptum antiqui dicebant.

133. Charisius, lib. I.

CXXXIV.

.... Legem
Vitemus Licini.

CXXXV.

.... Fanni, centussisque misellos.

CXXXVI.

Anu noceo.

CXXXVII.

.... Prodes amicis.

CXXXVIII.

.... Primum facie quod honestas
Accedit.

CXXXIX.

Scinde, puer, calam, ut caleas.

CXL.

.... Resultantes ædesque lacusque.

CXLI.

Ecquem Pamphilum quæris.

CXLII.

.... Χῖοςτε δυνάστης.
Οἶνος.

CXLIII.

Uxori legata penus.

CXLIV.

Apollo Pulcher dici non vult.

CXLV.

Scorta pyrgentia.

CXLVI.

Vultis? empta est: noltis? non empta est.

CXLVII.

Et suffocare conatur.

134. A. Gellius, lib. II, cap. 24.
135. A. Gellius, lib. II, cap. 24.
136. A. Gellius, lib. IV, cap. 16. Lucil. in dat. casu *anu* dicit, non anui.
137. Macr. de different. lat. serm.
138. A. Gellius, lib. I, cap. 14.
139. *Calas* veteres dicebant fustes.
140. *Lacus*, idem ac laquear.
141. Servius, in I Aeneid.
142. Servius, in II Georg.
143. Servius: Hic, hæc et hoc *penus*.
144. Servius P. Danielis Aurelii.
145. Servius ejusdem.
146. Diomedes: *Noltis*, non vultis.
147. Diomedes, lib. I.

CXLVIII.

.... Pergit capulare cadaver.

CXLIX.

Serenu' fuit.

CL.

Subulo, pullipremo.

CLI.

.... Viscus aprinum.

CLII.

.... Agrariu' mergus.

CLIII.

Oleum cassinas.

CLIV.

Carissam.

CLV.

Ἄλγη ἔθηκεν.

CLVI.

Ninguis.

CLVII.

Strigilim.

CLVIII.

Jugerum.

CLIX.

Εὔφωνα.

CLX.

Canaliculam.

CLXI.

Corolla.

148. Fulgentius Planciades de prisco sermone : *Capularem* nominari volunt senem jam morti contiguum; quin et reos capulares dicebant, qui capulo digni fuerant.

149. Quintil. Instit. Orat. IX, 4.

150. *Subulones*, pædicones dicti. — *Pullipremo*. Puerorum plagiarius.

151. Charisius, lib. I.

152. Jul. Capitol: Vit. Pertinacis.

153. Priscianus, lib. VII: *Oleum cassinas*, neutrum pro *cassinate*.

154. Festus: *Carissam* apud Lucilium vafram significat.

155. Servius, in X Virg. Aen.

156. *Ninguis*. Vetus verb. pro nivis, a *nix*.

157. Charisius, lib. I.

158. Charisius, lib I.

159. Consultus Chirius Fortunatianus, Rhetor. lib. III.

160. Non. *Canalis* feminino: Lucil. ὑποκοριστικῶς *canaliculam* dixit.

161. Isidor. Orig. lib. XIX, c. 32.

CLXII.

Vappones.

CLXIII.

Aquilum.

CLXIV.

Gulioca καρυοτόμια. Gulliocæ.

VERSUS

Aliquot citati quidem omisso auctoris nomine, aut perperam adscripto, a doctis tamen Lucilii *esse existimati.*

CLXV.

.... Cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non?

CLXVI.

.... Granius autem
Non contemnere se, et reges odisse superbos.

CLXVII.

Quid? Puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse,
Ut frontem ferias.

CLXVIII.

Displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore.

CLXIX.

O domus antiqua! heu quàm dispari dominare domino!

CLXX.

Sustineat currum, ut bonu' sæpe agitator, equosque.

CLXXI.

Atque aliquos ibus ab rebus clepsere foroque.

162 Probus in Catholicis nominum.

163. Glossarium : Aquilum μέλαν, ὡς Λουκίλλιος.

164. Glossarium : Gullioca, καρυοτόμια Gulliocæ κάρυα μακρὰ παρὰ Λουκιλλίῳ.

165. Juvenalis, lib. I, sat. 1.

166. Cic. ad Attic. lib. VI, ep. 3.

167. Cic. ad Attic. lib. I, ep. 1.

168. Cic. ad Attic. lib. II, ep. 18.

169. Cicero, de Officiis, lib. I.

170. Cic. ad Attic. lib. XIII, ep. 21.

171. Varro, lib. VI, de L. Lat. *Clepsere* dixit, unde etiam alii *clepere*, id est, *corripere*.

CLXXII.

Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat.

CLXXIII.

Non frustillatim, nec minutatim dari.

CLXXIV.

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

CLXXV.

Græcia Sulpicio sorti data, Gallia Cottæ.

CLXXVI.

Ructantur juvenes, et sputis omnia fœdant.

CLXXVII.

.... Ore salem exspiravit amarum.

CLXXVIII.

.... Quanquam fuit ipse.

CLXXIX.

.... Clopo
Subsidio occurrat.

CLXXX.

.... Næ ridicule mihi cillus.

EX LIBRO I SATIRARUM.

Servius in X Aen. Virgilii, ad illum locum:

Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.

« Totus hic locus de Primo Lucilii translatus est, ubi indu-

172. Varro, lib. IV, de L. Lat. Utrum primum *una canis*, an canes sit appellata.

173. Nonius: *Frustatim* et *frustillatim*, per frusta, ut *minutatim*.

174. Festus: *Oufentinæ tribus*, initio causa fuit nomen fluminis *Oufens*, quod est in agro Privernate, inter in mare et Terracinam. Postea deinde a Censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti.

175. Isidorus, Orig. lib. I, cap. 35.

176. Nicol. Perottus in Martialem, ad epigr. 116 in Fescenniam.

177. Hieron. Columna in explicationibus fragmentorum Ennii.

178. Cic. ad Attic. lib. IV, ep. 7.

179. *Clopo*, vel *cloppo* pro *clippo*, quod in MSS. legitur διὰ συγκοπῆς, pro claudipus, ut clausua pede, appellatur claudus. Forte quoque ex Græco, χωλὸς τοὺς πόδας.

180. *Cillus*. Idem ac cilium.

« cuntur Dii habere concilium, et agere primo de interitu Lupi « cujusdam judicis rei, postea sententias dicere. » Sed hoc, quia indignum erat heroico carmine, mutavit Virgilius, et induxit primo Jovem loquentem de interruptis fœderibus, cujus orationem interrupit Venus : post secuta Junonis verba sunt, quibus redarguit Venerem.

I.

Concilium summis hominum de rebus habebant.

II.

Vellem concilio vestrûm, quod dicitis, olim
Cœlicolæ; vellem, inquam, adfuvissemu' priore
Concilio.

III.

Ut nemo sit nostrûm, quin Pater optimu' Divum,
Ut Neptunu' Pater, Liber, Saturnu' Pater, Mars,
Janu', Quirinu' Pater, nomen dicatur ad unum.

IV.

.... Tubulus si Lucius unquam,
Si Lupus, aut Carbo Neptuni filiu' Divos
Esse putasset, tam impius, aut perjuru' fuisset?

V.

Quo pacto populum atque urbem servare potissit
Ampliu' Romanam.

VI.

.... Ut multos mensesque diesque,
Non tamen ætatem tempestate hâc scelerosi
Lætentur.

VII.

Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

VIII.

Nec si Carneaden ipsum ad nos Orcu' remittat.

1. Servius in IX Aen. v.

2. Jul. Rufinianus de figuris sententiarum et elocutionis.

3. Lact. lib. IV, cap. 3, Div. Inst.

4. *Neptuni filius*, id est, ferus, auct. Gellio, lib. XV, 21.

5. Charisius, lib. XI. Amplius.

6. Donatus, in Eun. act. V, sc. 5.

7. Nonius: *Pausa* est quies alicujus rei.

8. Lactantius, lib. V, cap. 15, Divin. Inst.

IX.

Per satiram, Aedilem factum qui legibu' solvat.

X.

Cui, si conjuret, populus vix totu' satis sit.

XI.

Munu' tamen fungi, et muros servare potissent.

XII.

Si non amplius, ad lustrum hoc protolleret unum.

XIII.

Ad cœnam adducam, et primum hisce abdomina thynni
Advenientibu' priva dabo, cephaleaque atarnæ.

XIV.

Porro quæcumque, et cuicumque, ut diximus ante,
Obstiterit, primo hoc minuendi refert res.

XV.

.... Ut contendere possem
Thestiadas Ledæ, atque Ixionas Archilochio.

XVI.

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

XVII.

Quis leget hæc? Min' tu istud ais? Nemo, hercule, nemo.

XVIII.

Serpere uti gangræna mala, atque herpestica posset.

XIX.

Vultus item ut facies, mors, icteru' morbu', venenum.

XX.

Infamem, honestam, turpemque odisse popinam.

9. *Satira.* Hoc loco, lex, quæ uno rogatu multa comprehendit.

10. Charisius, lib. II.

11. Nonius: Accusat. pro ablat.

12. Nonius: *Protollere* est differre.

13. A. Gellius, liv. X, cap. 20: Veteres *priva* dixerunt, quæ nos singula dicimus.—*Atarne*, piscis genus.

14. Nonius: Ablativ. pro genitivo.

15. Nonius: *Contendere*, significat comparare.

16. Auctor Rhetoricæ ad Herennium, lib. IV, de ornamentis.

17. Veter. Glos. in Persium, sat. 1.

18. Nonius: *Gangræna* est cancer. —*Herpestica.* Forsan, *herpes ita.*

19. Nonius: Vultus et facies hoc distant: *vultus* est voluntas quæ pro motu animi in facie ostenditur; *facies* ipsa oris species.

20. Nonius: Popinones, vel hi quos nunc dicimus tabernarios, a

XXI.

Prætextæ, ac tunicæ Lydorum opu' sordidum omne.

XXII.

Siplæ atque amphitapæ villis ingentibu' molles.

XXIII.

Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit.

XXIV.

Nodum in scirpo insane facere vulgus.

XXV.

Et mercede meret relligiones.

XXVI.

.... Miracla cient elephantes.

XXVII.

.... Arutænas et aquales.

XXVIII.

Vulturius.

EX LIBRO II SATIRARUM.

I.

Quem cùm vidissent Hortensiu', Posthumiusque,
Cæteri item in capulo hunc non esse, aliumque cubare.

II.

.... Hostilibu' contra
Pestem perniciemque, catax quam et Manliu' nobis.

popinis, vel luxuriosos, qui se popinis dedunt.

21. Nonius: *Tunica* est vestimentum sine manicis.

22. Nonius: *Amphitapæ* vestes dicuntur utrimque habentes villos. —*Sipla*, tapeta ex una parte villosa.

23. Nonius: *Irritare* dictum est propr. provocare: tractum a canibus, qui, cùm provocantur, irriunt.

24. Donatus: in Andr. Terent. act. V, sc. 4: *Scirpus*, palustris res et levissima.

25. Nonius: *Meret* humillimum et sordidissimum quæstum capit.

26. Nonius: Mira et *miràcula* veteres pro monstris et horrendis ponebant.

27. Charisius, lib. I.

28. Charisius, lib. I: Vultur dixit Virgilius in VI; sed et *vulturius* Lucilius in Primo.

1. Nonius: *Capulum* dicitur, quidquid aliquam rem intra se capit.

2. Nonius: *Catax* dicitur, quem nunc coxonem vocant.

III.

. . . . Quæ horis sublata duabus
Omnia sunt, sole occaso, ductoque.

IV.

Injuriatum hunc in fauces invasse, animamque
Elisisse illi.

V.

Nunc Nomentani quæ ex testibus ipse rogando
Exsculpo, hæc dicam.

VI.

Quæ nunc Aemilio præcanto, atque exigo, quæque
Excanto.

VII.

Non dico, vincat licet et vagus exsulet, erret
Exlex.

VIII.

Nunc Præter tuus est meu', si discesserit hornò.
Gentilis.

IX.

Si natibus natricem impressit crassam et capitatam.

X.

Stulte saltatum te inter venisse cinædos.

XI.

Succussatoris tetri, tardique caballi.

XII.

Homo impudicus et impune est rapinator.

3. Priscianus, lib. IX: Ab occido *occasus* pro ὁ δύνας.

4. Nonius: *Elidere* excludere significat.

5. Nonius: *Exsculpere* est extorquere.

6. Nonius: *Excantare* significat excludere.

7. Nonius: Illex et *exlex* est qui sine lege vivit.

8. Donatus, in Andr. act. V, sc. 6.

9. Nonius: *Natrices* dicuntur angues natantes.

10. Nonius: *Cinædi* dicti sunt apud veteres saltatores, vel pantomimi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα.

11. Nonius, *Caballus*. Idem: *succussare* est sursum frequenter excutere.

12. Nonius: *Impune* quod est impudenter. Idem: *rapinatores*, pro raptoribus.

XIII.

Ricini et aurati, ricæ et oraria mitræ.

XIV.

Quid dicis? Cur est factum, quod conjicis istuc?

XV.

Qui te, Nomentane, malum, jam cætera perdat.

XVI.

Tum ferto omnia sunt circumlata.

XVII.

.... In vulgam penetrare pilosam.

XVIII.

.... Vix vivo homine ac monogrammo.

XIX.

Duceret has greges.

XX.

.... Ut jure peritus.

XXI.

.... Lustratu', piatus.

XXII.

.... Noctiluca : medica.

EX LIBRO III SATIRARUM.

Porphyrion in Horat. lib. I, sat. 5: « Lucilius, lib. III, de- « scripsit iter suum, quod Româ fecit Capuam, et indè ad fretum « usque Siciliense. » Hunc imitatus Horatius iter suum ab urbe

13. *Ricinum*, genus vestis.—*Rica* est quod sudarium dicimus. — *Oraria*, quibus os obvolvebatur.

14. Nonius: *Conjicere*, furari.

15. Donat. in Phorm. act. I, sc. 2.

16. Nonius: *Circumferre*, lustrare.

17. Nonius: *Vulga* capacitas, vel sinus cum laxitate.—Forte, *vulvam*.

18. Nonius: *Monogrammi* dicti sunt homines macie pertenues ac decolores: tractum à pictura.

19. Charisius, lib. I: Feminina omnia monosyllaba sunt, excepto *grege*, *rege*, quorum alterum ex diverso genere constat.

20. Charis. lib. I: Jurisconsultus dici debet, non jureconsultus.

21. Nonius: *Lustrare*, expiare.

22. Festus: *Noctilucam* Lucilius cùm dixit, obscœnum significat.

Roma descripsit Brundusium usque, commemorans ejus itineris incommoda.

I

Millia porro bis quina octoginta videbis
Commoda de Capua. Hinc quinquaginta atque bis octo.

II.

Ad portam mille, a porta est sex inde Salernum.

III.

Inde Dicæarchum populos, Delumque minorem.

IV.

Campana Capua.

V.

.... Longe tria millia passuum.

VI.

Verum hæc ludus ibi, susque omnia deque fuerunt,
Susque et deque fuere, inquam, omnia, ludu' jocusque:
Illud opus durum ut Setinum accessimu' finem;
Αἰγίλιπα montes Aetnæ omnes, asperi Athones.

VII.

Præterea omne iter hoc est labosum atque lutosum.

VIII.

Porro homines nequam malus ut quartariu' cippos
Colligere omnes.

IX.

Mantica cantheri costas gravitate premebat.'

1. Nonius: *Commodum*, integrum, totum.

2. A. Gellius, lib. I, cap. 16: *Mille* numero singulari dictum est.

3. Festus: *Minorem Delum* Puteolos esse dixerunt, quòd Delus aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum.

4. Porphyr. in Horat. lib. I, sat. 6.

5. Charisius, lib. II: *Longe*, pro præcipue, maxime.

6. Gellius, lib. XVI, cap. 9: Significat autem *susque deque ferre* animo æquo esse, et, quod accidit, non magni pendere, atque interdum negligere et contemnere.

7. Nonius: Ab eo quod est *labos*, *labosum* facit, non laboriosum.

8. Festus: *Quartarios* appellabant antiqui muliones mercenarios, quòd quartam partem quæstûs capiebant. —Et, quia mali muliones sua jumenta in cippos eminentes, non per rectam viam ducebant, unde ea vel caderent, vel everterent vehicula, ideo dicuntur *colligere cippos*.

9. Porphyrion, in Horat. lib. I, sat. 6. *Mantica*, pera est.

X.

Promontorium remis superamu' Minervæ.

XI.

Quattuor hinc Silari ad flumen, portumque Alburnum.

XII.

Hinc mediâ remis Palinurum pervenio nox.

XIII.

.... Et sæpe quod ante
Optasti, freta Messanæ, et Rhegina videbis
Mœnia, tum Liparam, et Fasceliti' templa Dianæ.

XIV.

Hic.... summi superat carchesia mali.

XV.

.... Viamque
Vis degrumari, ut castris mensor facit olim.

XVI.

.... Et spatium curando corpori honestum
Sumemus.

XVII.

Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris.

XVIII.

Asparagi nulli.

10. Servius P. Danielis Aurelii.

11. Probus, in IV Georg. Virg. Silarum flumen est Lucaniæ; portus Alburnus, et ejus nominis mons ad sextum a primis taberuis.

12. *Nox*, ἀρχαικῶς, pro noctu.

13. Probus, de vita Virgilii et bucolici carminis ratione: Orestes post parricidium furens, responso didicit quòd deponeret furorem ita demum, si, recuperatâ sorore Iphigeniâ, ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur. Diu vexatus, cùm in Taurica Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum; ibique invento flumine elutus, trajecit in Siciliam: et juxta Syracusas a somnio admonitus, simulacrum Deæ, quod secum de Taurica advexerat, templo posito consecravit, quam appellavit *Fascelitin:* sive quòd fasce lignorum tectum de Taurica simulacrum extulisset.

14. Nonius: *Carchesia*, aliàs summa pars mali. Item foramina quæ summo mali funes recipiunt.

15. Nonius: *Grumæ* sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur et conveniunt viæ.

16. Nonius: *Sumere* etiam significat eligere.

17. Nonius: *Ostrea* generis feminini.

18. Charisius, lib. I. Sicut et fas-

XIX.

. . . . Ergo,
E somno pueros cum mane expergitu' clamo.

XX.

Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

XXI.

Broncus novit lanius, dente adverso, eminulo, hic est
Rhinoceros velut Aethiopus.

XXII.

. . . . Ille alter abundans,
Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se.

XXIII.

Romanis ludis forus olim ornatu' lacernis.

XXIV.

Symmachu' præterea jam tum depostu' bubulcus
Exspirans animam pulmonibus æger agebat.

XXV.

Crebræ ut scintillæ; in stricturis quod genus olim
Ferventi ferro.

XXVI.

Non peperit, verum posticâ parte profundit.

XXVII.

Conturbare animam potis est, quicumque adoritur.

XXVIII.

. . . . Labosas
Tantalu' qui pœnas ob facta nefantia luvit.

ces dicuntur *asparagi*, quamvis *asparagos* pluraliter dicamus.

19. Diomedes, lib. I: *Expergor*, *expergitus*.

20. Nonius: *Cernuus* dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat.

21. Nonius: *Bronci* sunt producto ore, et dentibus prominentibus.

22. Donatus, in Phorm. Terent. *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit.

23. Nonius: *Forus* generis masculini.

24. Nonius: *Deponere* est desperare, unde et *depositi* desperati dicuntur.

25. Nonius: *Stricturæ* dicuntur proprie scintillæ, quæ de ferro ferventi exeunt.

26. Nonius: *Posticam* feminino genere consuetudine appellamus.

27. Priscianus: *Adoriri*.

28. Nonius: *Nefantia*, pro nefan-

XXIX.

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

XXX.

Illud ad incita cùm redit, atque internecionem.

XXXI.

Exhalat placidos tum demum pectore ructus.

XXXII.

Malas tollimu' nos atque utimur rictu.

XXXIII.

.... Caupona hic tamen una
Syra.

XXXIV.

Student hi ligna videre.

XXXV.

Et pulvino fultus.

XXXVI.

Ut pote.

EX LIBRO IV SATIRARUM.

Veteres glossæ in Persii satir. lib. III : « Hanc satiram poëta « ex Lucilii libro quarto transtulit, castigantis divitum luxuriam « et vitia. »

I.

O lapathe, ut jactare necesse est, cognitu' cui sis?
In quo Læliu' clamores sophos ille solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros!
O Publi! ô gurges Galloni! es homo miser, inquit.
Cœnasti in vita numquam bene, cùm omnia in ista

da.—*Labosas*, ut supra, fragment. 7.

29. Nonius: *Sententia*, sensibilitas.

30. Nonius: *Incita* dicitur egestas.

31. Nonius: *Ructus* a ructando dictus.

32. Nonius: *Rictum* ferarum dici volunt, cùm Lucilius etiam auctor sit hominis dici debere.

33. Priscianus, lib. VI: *Caupona* feminini generis a *caupo;* ut a leo leæna.

34. Charisius, lib. I: *Ligna* pluraliter dicit.

35. Servius P. Danielis.

36. Charisius, lib. II.

1. Cicero, lib. II, de Finib.

Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.
Læliu' præclare et recte sophos, illaque vere.

II.

Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto.

III.

Nam quid mutino subrectoque huic opu' signo?
Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim
Parum conficeret.

IV.

Fingere præterea adferri quod quisque volebat.
Illum sumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.

V.

Illi præciso, atque epulis capiuntur opimis.

VI.

Thynnos captato, cordulum exclude: minores
Occidunt, Lupe, saperdæ te, et jura siluri;
Sumen te, atque amia.

VII.

.... Vinum
Defusum quibus e pleno fiet œnophoro, cui
Nil dempsit hir, et cui sacculus abstulerit nil.

VIII.

.... Editque bibitque
Jucunde atque ἀδεῶς; nec solum id, sed bene cocto, et
Condito sermone bono, et, si quæri', libenter.

IX.

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

2. A. Gellius, lib. IV, cap. 16. Lucilius in dativo casu *victu* dicit non victui.

3. Nonius: *Lurcare* est cum aviditate cibum sumere.—*Mutinum*, est σφραγὶς, vel φυλακτήριον. Nam pudenda pro amuletis suspendi e collo pueris, auctor est Varro.

4. *Catillo*, lupus, piscis exquisitus.

5. Nonius: *Præcisum* et omasum partes carnis et viscerum.

6. Varro, de Ling. Lat. lib. VI: Piscium nomina sunt, eorumque in Græcia origo.

7. *Hir*, siphon, vel *Ir*, vola manus, et sumitur pro haustu.

8. Cic. ad Att. lib. XIII, epist. 50.

9. Nonius: *Lurcones* a lurcando.

X.

Aeserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis, spurcus homo, vitâ illâ dignu' locoque;
Cum Placideiano hic componitur, optumu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

XI.

Occidam illum equidem, et vincam, si id quæritis, inquit:
Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipse
Quàm gladium in stomacho; surâ ac pulmonibu' sisto.
Odi hominem; iratus pugno; nec longiu' quidquam
Nobis, quàm dextræ gladium dum accommodat alter:
Usque adeo studio, atque odio illius efferor ira.

XII.

. . . . Quamvis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus cuivis satis asper.

XIII.

Quòd si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto,
Et manus uberior lactanti in sumine sidat.

XIV.

Tisiphone residet pulmonibus, atque ad id unguen
Excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erinnys.

XV.

Assequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum
Commanducatur totum complexa, comestque.

XVI.

Hæret verticulis adfixum in posteriore
Parte, atque articulis, ut nobis talu' genusque.

10. Nonius: *Spurcum*, sævum vel sanguinarinm.

11. J. Scaliger totum hunc locum ita refingendum nobis indicavit:

. . . . In os prius occipiam ipse
Quàm gladium stomacho, sicam pulmonibu' sisto.

12. Cicero, de Oratore, lib. III.

13. Nonius: *Sumen*, proprie a sugendo dictum. Nam et mulieris mammam *sumen* veteres dicebant.

14. Nonius: Sebum et *unguentum* habent hanc diversitatem. Sebum fit ex adipe ruminantium.

15. Nonins: *Commanducatur*. *Idem*: *Comest* pro comedit.

16. Nonius: *Genu* masculini generis. Festus: *Verticulas* cùm dixit

XVII.

Hi præ se portant ingentes munere pisces
Triginta numero.

XVIII.

Tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum
Partisses.

XIX.

.... Ne agitarem,
Nam tu pessulus, hunc vectem, possis cuneo ipso.

XX.

Longior hic quàm grus, grue totâ cùm volat olim.

XXI.

Concursaret agros, catulos, fetumque ferarum.

XXII.

Cùmque hic tam formosus homo, ac te dignu' puellus.

XXIII.

Sufficit huic: clavis fulmentas quattuor addet.

XXIV.

Nam omnibus unus.... dolor receptu' labosque.

XXV.

Qui edit se, hic comedit me.

XXVI.

Obtursi ebrius.

Lucilius, articulos intelligi voluit.

17. Servius P. Danielis.

18. Nonius: *Partiret*, pro partiretur.

19. Non. *Vectis* generis masculini.

20. Non. *Grues*, genere feminino.

21. Nonius: *Catuli*, non solum canum diminutive, verum omnium animalium appellantur.

22. Festus: *Puelli*, per diminutionem a pueris dicti sunt. Nonius: *Puellos*, pueros. Priscianus, lib. VI, *puellus* et puella.

23. Nonius: *Fulmenta*, feminino genere. Fulmenta autem sunt κατ-τύματα. Id est, quatuor clavis fulmentas addet.

24. Servius P. Danielis.

25. Priscianus, lib. X: Vetustissimi, *edo*, *edis*, *edit*, dicebant, correptâ primâ syllabâ.

26. Priscianus, lib. IX: *Turgeo*.

EX LIBRO V SATIRARUM.

I.

Quo me habeam pacto, tamen etsi haud quæri' doccbo.
Quando in eo numero mânsti, quo maxima nunc est
Pars hominum, ut periisse velis, quem nolueris, cùm
Visere debueris. Hoc nolueris, et debueris te
Si minu' delectat, quod ἄτεχνον Isocration est
ὀχληρῶδεςque simul totum ac συμμειρακιῶδες;
Non operam perdo. Si tu hic.

II.

Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc cùm hoc non est, qui credimu' porro
Divitias ullas animum mi explere potisse?

III.

Sicuti cùm primos ficos propala recenteis
Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos.

IV.

Si tam corpu' loco validum, ac regione maneret,
Scriptores quam vera manet sententia cordi.

V.

.... Dic, quam cogitat, vis ire minutim
Per commissuras rimarum nocti' nigrore?

VI.

Sanute soli mihi in magno mœrore,
Tristitia in summa, creperaque inventu' salutis.

VII.

.... Hic solus vigilavit, opinor,
Et cùm id mi visus facere est, tum retia nexit.

1. A. Gellius, lib. XVIII, cap. 8.

2. Nonius: Multum et *satis* distant; quod multum infinitum est, satis finitum.

3. Nonius: *Dare*, petere.

4. Nonius. *Sententia*, sensibilitas.

5. Nonius: *Minutim*, pro minute.

6. Nonius: *Crepera*, res dubia. —Ex F. Dousa lege:
Sane tu solus magno in mœrore metuque.

7. Priscianus, lib. I et lib. IX. A *necto*, *nexui*, protulerunt plerique.

VIII.

. ... Et Divos thure precemur,
Consilium facsint placeat; tu impune luperis.

IX.

...... Cecidisse senem veterum tamen unum
Tiresiam æqualem constat.

X.

Nec designati rostrum Prætori', pedesque
Spectet.

XI.

Livin' pauperem ait se ingentia munera fungi.

XII.

Lippus edendâ acri assiduo cepariu' cepâ.

XIII.

Intybu' præterea pedibus perserpsit equinis.

XIV.

Flebile cepe simul, lacrymosæque ordine tallæ.

XV.

Urceus, et gemina longus mistarius ansa.

XVI.

Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto.

XVII.

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

XVIII.

Lascivire pecus jussit rostrique repandum.

8. Non. *Lupari*, ut scortari, vel prostitui. Alii, *superbis*, male.

9. Nonius: *Aequales* sunt similes, et ex æquo.

10. Nonius: *Rostrum* hominis dici non debere consuetudo præsumpsit.

11. Nonius: Accusativus positus pro ablativo.

12. Nonius: *Cepe* feminini generis. Priscianus, lib. VI: Quamvis antiquissimi *cepa* in *a* quoque singulari feminino genere recte protulisse inveniuntur.

13. Nonius: *Intybus* generis masculini. Charisius, lib. I, *intyba*, neutro genere.

14. *Talla*, allii folliculum, vel cepe.

15. Nonius: *Mistarium*, quo miscemus.

16. Non. *Mactare*, magis augere.

17. Priscianus: *Potior*.

18. Nonius: *Pecus*, non solum

XIX.

Postquam præsidium castris educere crevi.

XX.

Major erat natu; non omnia possumus omnes.

XXI.

Custodem classis catapulta instila sarissas.

XXII.

Possitne elabi, an porro prodenda dies sit.

XXIII.

Scutam ligneolam cerebro infixit.

XXIV.

.... Interea stat sentibu' pectus.

XXV.

.... Et cruribu' crura
Dilaxat.

XXVI.

Adipatam pultem.

XXVII.

Fiscina fallaci cumulo.

EX LIBRO VI SATIRARUM.

I.

Cui neque jumentum est, nec servus, nec comes ullus,
Bulgam, et quidquid habet nummorum, secum habet ipse:

quadrupes animal, verum omnia animalia *pecudes* vocantur.

19. Nonius: *Cernere*, rursum disponere.

20. Macrobius, libro VI, cap. 1, Saturn. ad illud Virgil.
Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.

21. Nonius: Catapulta, jaculum celer, vel sagitta.

22. Nonius: *Prodere*, differre, vel excludere.

23. Priscianus, lib. III: Hoc *scutum*, vel hæc *scuta*, id est, forma rotunda *scutula* et *scutella*.

24. Nonius: *Stat* etiam quod plenum est dicitur.

25. Porphyrion in Horat. lib. I, sat. 11: Hoc est, quod Lucilius ait in quinto: *et cruribus crura dilaxat*.

26. Charisius, lib. I: Similiter et opus pistorium, quod adipe conficitur, omni genere dici potest, et hic *adipatus*, quo intelligitur panis, aut aliud aliquid, hæc *adipata*, hoc est, pars, et hoc *adipatum*, opus scilicet.

27. Servius P. Danielis.

1. Nonius: *Bulga*, est folliculus

Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnis in una
Spes hominis bulga, hâc devincta est cætera vita.

II.

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' possent.

III.

Hic, inquam, rudet e rostris atque ejulabit
Concursans uti arenarius, clareque quiritans.

IV.

.... Peccare impune rati sunt
Posse, et nobilitate facul propellere iniquos.

V.

.... Thaunomeno, inquit, valva sororem
Lanificam dici siccam atque abstemiam ubi audit.

VI.

.... Si hic vestimenta elevit luto,
Ab eo risum magnum ad cachinnum imprudens subjicis.

VII.

.... Qui te bonu' Juppiter, inquit
Crasso Mutium cùm cœnabat dominum fortem.

VIII.

Verum et mercaturæ omnes, et quæsticuli insti-
Tuti.

IX.

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitasque.

X.

Si nosti, non magnus homo est, nasutu', macellus.

omnis, quam et *erumenam* veteres appellarunt: et est sacculus ad brachium pendens.

2. Nonius: *Protelare*, rursus adjuvare.

3. Nonius: *Quiritare*, est clamare, tractum ab iis, qui Quirites invocant.

4. Nonius: *Facul*, pro faciliter.

5. Nonius: *Abstemius*, qui vino abstinet.

6. Nonius: *Elevit*, maculavit.

7. Nonius: *Dominus* rursus appellatur convivii exhibitor.

8. Nonius: *Mercatura* feminini generis habetur.

9. Nonius: *Prodigitas*, dicta profusio.

10. Nonius: *Macellum*, dictum pro macilentum, Lucilius probat.

XI.

Id solum adversæ fortunæ, reique resistit.

XII.

Hortare illorum si possim capi sortiri.

XIII.

Tres a Deucalione grabati restibu' tenti.

XIV.

Pluma atque Amphitapæ, et si aliud quid deliciarum.

XV.

Zonatim circa impluvium cinerari' cluebat.

XVI.

Hoc tu apte, credit quanquam latrina petisse.

XVII.

Pretium emit, qui vendit equum musimonem.

XVIII.

Suam enim invadere atque innubere censent.

XIX.

.... Non te porro procedere porcent.

XX.

.... Salvere jubere.

XXI.

Date bibere ab summo.

XXII.

Sardinensem terram.

11. Nonius : *Ablativum* pro genitivo. *A re procul videtur ista interpretatio.*

12. Non. Genitivus pro ablativo.

13. Nonius : *Tenta* dictum pro extensa.

14. Nonius : *Amphitapæ* vestes dicuntur utrimque habentes villos.

15. Nonius : *Zonatim*, per gyrum.

16. Nonius : *Latrina*, genere feminin. Et est *lavatrina*, quod nunc balneum dicitur.

17. Nonius : *Musimones*, asini, muli, aut equi breves.

18. Nonius : *Innubere* positum pro transire, quòd hæ, quæ nubunt, ad domos maritorum transeant.

19. Nonius : *Porcere*, prohibere sæpius legimus.

20. Nonius : *Jubere* est velle.

21. Donatus, in Andr. act. III, sc. 11 : Consuetudine magis quàm ratione dixit, pro date ei potionem.

22. Porphyrion in Horat. lib. I, sat. 3 : Annotandum *Sardum* et *Sardinensem* dici posse.

EX LIBRO VII SATIRARUM.

I.

Hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere ejus,
Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
Præcidit caulem, testesque unà amputat ambo.

II.

Dixi, ad principium venio, vetulam atque virosam
Uxorem cædam potius, quam castrem egomet me.

III.

Qui te diligit, ætati facieque tuæ se
Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur.

IV.

Aptari caput. atque comas fluitare capronas
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

V.

.... Servorum est festu' dies hic,
Quem plane hexametro versu non dicere possis.

VI.

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.

VII.

Hunccine ego unquam Hyacintho hominem Cortinipotentis
Deliciis contendi?

VIII.

Quinque hastæ, aureolo cinctu rorariu' velox.

1. Nonius: *Samium* acutum, unde et *samiare* dicitur acuere, quòd in Samo hoc genus artis pollest.

2. Nonius: *Virosæ* mulieres, dicuntur virorum appetentes.

3. A. Gellius, lib. IX, cap. 14: In casu autem dandi, qui purissime locuti sunt, non *faciei*, uti nunc dicitur, sed *facie* dixerunt.

4. Nonius: *Capronæ* dicuntur comæ, quæ ante frontem sunt, quasi a capite pronæ.

5. Porphyrion in Horat. sat. 5, lib. I: Equotutium significat.

6. Nonius, *Desquamat*, squamis exspoliat.

7. Nonius: *Contendere* significat comparare. *Cortinipotentis*, Apollinis.

8. Nonius: *Rorarii* appellantur milites, qui ante quàm congressæ

IX.

Primum fulgit, uti caldum ex fornacibu' ferrum.

X.

Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim.

XI.

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis.

XII.

Aetatem et faciem, nt saga et bona conciliatrix.

XIII.

Phryne nobilis illa ubi amatorem improbius quem.

XIV.

Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculique.

XV.

Queis oculi non sunt, neque nasum, equalia sunto.

XVI.

Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.

XVII.

Solam auram adversam segetem immutasse, statumque.

XVIII.

Caldissima, ac bene plena jam solorum, atque anseri' collus.

XIX.

.... Rate ad catulos accedere inultum.

XX.

Muginamur, molimur, subducimur.

essent acies, primo non multis jaculis inibant prælium.

9. Nonius: *Fulgit* pro fulget.

10. Nonius: *Simat*, deprimit.

11. Nonius: *Evannetur* dictum est ventiletur, vel moveatur, a *vanno*, in qua legumina ventilantur.

12. Nonius: *Sagæ* mulieres dicuntur feminæ ad libidinem virorum indagatrices.

13. Non. *Nobilis* dicitur est notus.

14. Nonius: *Caries* est vetustas, vel putrilago.

15. Nonius: *Nasum* genere neutro.

16. Nonius: Genitivus casus positus pro accusativo.

17. Nonius: *Segetem* etiam ipsam terram dicimus.

18. Nonius: *Collus*, masculini generis.

19. Nonius: *Catuli*, non solum canum diminutive, verum omnium animalium appellantur.

20. Nonius: *Muginari*, murmurare.

XXI.

Eodem pactolo gannis.

EX LIBRO VIII SATIRARUM.

I.

Gallinaceu' cùm victor se gallus honeste
Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues.

II.

Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Fingens compono, hoc est, cùm ψωλοκοπεῦμαι.

III.

Verum flumen uti, atque ipso divortio aquarum,
Ilignis pedibus cercurum concinit æquis.

IV.

.... Quod gracila est, pernix, quod pectore puro,
Quod puero similis.

V.

Quarum et abundemus rerum, et quarum indigeamus.

VI.

Tum compone latus lateri, et cum pectore pectus.

VII.

Si omne iter evadit, stadiumque acclive tolutim.

VIII.

Sallere murænas, mercem in frigdaria ferre.

21. Nonius: Etiam humanam vocem nonnulli *gannitum* vocaverunt.

1. Nonius : Priores et *primores* hanc habent diversitatem : priores enim comparativi sunt gradus; *primores*, summæ quæque res.

2. Nonius : *Fingere* est jungere. Idem : *Componere* est conjungere.

3. Nonius : *Cercurus* navis est Asiana prægrandis.

4. Nonius : *Gracila* pro gracilis.

5. Nonius : *Genitivus* positus pro ablativo.

6. Nonius : *Componere*, conjungere.

7. Nonius : *Tolutim* dicitur quasi volutim et volubiliter.

8. Priscianus, lib. X : *Sallere*, non a salio, sed *sallo*. — *Frigdaria*, pro frigidaria.

IX.

Inde parectato chlamides, ac barbula prima.

X.

Hiberam insulam fomento omnicolore colustra.

XI.

Pistrinum appositum, posticum, sella, culina.

XII.

A læva lacrymas mutoni absterget amica.

XIII.

Intu' vero modo stet rectus subtegmine panus.

XIV.

Hic est Macedo, si agron longiu' flaccet.

XV.

Anicula aspera atque præcox est fuga.

XVI.

.... Gigeriæ sunt,
Sive adeo hepatia.

XVII.

Lentet opus.

XVIII.

Vinibuæ.

EX LIBRO IX SATIRARUM.

Isidorus: Orthographiam, id est, scripturam rectam contra imperitiam librariorum Lucilius poëta primum scripsit. Terent.

9. Nonius: *Parectati* hi, qui de pueritia veninnt ad pnbertatem.

10. Nonius: *Colustra*, lac novnm in mammis.

11. Non. *Posticum*, nentro genere.

12. Porphyrion, in Hor. lib. I, sat. 2: *Muto*, membrum virile.

13. Priscianus, lib. III: *Panus*, a qno panula, vel panicula.

14. Nonius: *Flaccet*, languet, deficit. Hunc versum ita jungit cum n° 12, Scaliger:

Hic est Macedo. Si lorum loogiu' flaccet,
Læna manu lacrymas mutoui abstergit amicá.

15. Nonius: *Præcox* et præcoqua, quod est immatura.

16. Nonius: *Gigeria*, intestina gallinarum cum his et ita cocta.

17. Priscianns, lib. VIII: Nam a *lenteo*, *lentesco*, derivatnr, cùm a dureo, dnresco, et a vireo, viresco.

18. Non. *Buas* potionem positam parvulornm. Lucil. l. VIII, cùm vinolentas diceret, *vinibuas* designavit.

Scaurus : Lucilius in IX satirarum de Orthographia præcipiens.
Velius Longus : Lucilius in IX de litteris disputat.

I.

A primum est ; hinc incipiam, et quæ nomina ab hoc sunt.
A, primum longa et brevi' syllaba : nos tamen unum
Hoc faciemus, et uno eodem, ut diximu', pacto
Scribemus *Pacem*, *Placide*, *Janum*, *Aridum*, *Acetum*,
Ἄρες, Ἄρες Græci ut faciunt.

II.

At non multum abit hoc cacosyntheton, atque caninâ
Si linguâ dico, nihil *ar* me ; nomen hoc illi est.

III. .... AI........

IV.

.... Atque *Accurrere* scribas,
D ne, an T, non est quod quæras atque labores.

V.

Abbire multum est D sive, an B habet.

VI.

Jam *puerei* venere : E postremum facito, atque I,

1. Q. Terentius Scaurus, de Orthographia : Singulares vocales et produci et corripi possunt ; unde etiam Lucilius, IX satirarum, de orthographia præcipiens, ait : *A primum est, etc.*

2. Velius Longus, de Orthographia : Inventi sunt tamen, qui et sine vocali putent posse syllabam fieri.

3. Quintilianus, lib. I, cap. 13 : AI syllabam, cujus secundam nunc E litteram ponimus, varie per A et I efferebant, quidam semper, ut Græci, quidam singulariter tantum, cùm in dativum vel genitivum casum incidisset. Unde, *pictaï vestis*, et *aulaï*, Virgilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit.

4. Velius Longus, de Orthogr. Videmus autem prope in omnibus verbis quæ a P littera incipiant, hanc præpositionem cogi ut, B littera omissâ, P geminent, ut ab eo quod est paret, apparet ; et in eo quod est ponit, opponit ; et in pungit, oppungit : sic in his partibus orationis, quæ incipiunt a C littera, non facile potest hæc, præpositione admotà, sonare D littera, hæc similiter littera geminatur, in eo quod est *capio*, *accipio* : itaque Lucilius : ....*Atque accurrere scribas* D *ne*, *an* T, *etc.*

5. Velius Longus : *Abbire* etiam quidam, geminatâ B, maluerunt et dicere et scribere, ut intermissâ D. Et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius, qui ait, *Abbire multum est, etc.*

6. Quintilianus, lib. I, cap. 7.

Ut plures puerei fiant. I si faci' solum
PupilI, PuerI, LucilI : hoc uniu' fiet.
Hoc *illi* factum est uni : tenue hoc facies I.
Hæc *illei* fecêre : addes E, ut pinguiu' fiat.
Meile hominum, duo *meillia*, item huic utroque opu', *meiles*,
Meilitiam, tenues I, *pilam* qua ludimu' : *pilum*
Quo pinso, tenues I ; plura hæc feceri', *peila*
Quæ jacimus, addes E, *peila*, ut pleniu' fiat.
Mendacei fureique addes E, cùm dare *furei*
Jusseris.

VII.

Quare servandi numeri, et versus faciendi,
Nos CaelI, NumerI, numerum ut servemu' modumque.
.... Porro hoc si filiu' LucI.
.... Ferit collum ut CorneLI, CornificIque.

VIII.

S nostrum et semi-Græce quod dicimu' sigma
Nil erroris habet.

IX.

.... L liciendo congeminat L.

X.

Quid tibi ego ambages *ambivi* scribere coner.

7. Charisius, lib. I : Lucius, Aemilius et cætera nomina, quæ ante U habent I, duplici II genitivos singulares finire debent, ut necesse sit adversus observationem nominativo non minorem fieri genitivum, idque Varro tradens adjecit vocativum singularem quoque talium nominum per duplex II scribi debere, sed propter differentiam casuum corripi. Lucilius tamen et per unum I in genitivo scribi posse existimat.

8. Velius Longus : Sed scilicet si hoc sectentur, possent etiam plærasque consonantes, et omnes semivocales pro syllabis ponere ; nam apud Lucilium in IX (in quo de litteris disputat) omnes vicem syllabarum implent, cùm dicit : *S nostrum et semi-Græce, etc.*

9. Velius Longus : *Per*, præpositio omnibus integra præponitur, nisi cùm incidit in L litteram, ad finem consonantem, quam elegantis sermonis viri geminare magis voluerunt, quàm R litteram exprimere, ut *compellabor* malim dicere quàm *comperlabor*, nec aliter apud Lucilium legitur in præpositione *per : L liciendo* (quod est inducendo) *congeminat L. Pellicere* malunt quàm *perlicere*.

10. Varro, de Ling. Lat. lib. VI :

XI.

Ut perhibetur *iners*, ars in quo non est ulla.

XII.

Nam velut *intro* aliud longe esse atque *intu'* videmus:
Sic et *apud te*, longe alid est, neque idem valet *ad te:*
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

XIII.

Porro *Chenopodas*, sic *Clinopodas lychnos*que
Diximu' σεμνῶς ante *pedes lecti* atque *lucernas.*

XIV.

Fervit aqua, *et fervet, fervit nunc, fervet ad annum.*

XV.

Fervere ne longum vero hoc lectoribu' tradam.

XVI.

Nunc hæc quid valeat, quidve huic intersiet illud
Cognosces: primum hoc quod dicimus esse poëma,
Cujusvis operis pars est non magna, poëma,
Pars est parva poëma, proinde ut epistola quævis:
Illa poësis opus totum, ut tota Ilias, una
Est θέσις, Annalesque Ennî, atque istoc opus unum,
Est majus multo, quàm quod dixi ante poëma.
Quapropter dico: nemo qui culpat Homerum
Perpetuo culpat, neque, quod dixi ante poësin
Versum unum culpat, verum enthymema malignum.

XVII.

Quòd deformi' senex, ac pædidus, ac podagrosus;

Profectum a verbo *ambio*, quod est in *ambitu* et *ambitioso.*

11. Servius, in IV Georg. Virg. *Iners* ponitur et pro eo qui sine arte sit. Junius Philargyr. ibidem.

12. Charisius, lib. I: *Intro* est in locum, *intus* in loco dicimus: ut etiam apud Græcos ἔσω, εἴσω, καὶ ἔνδον; ideoque Lucilius ait: *Nam velut intro aliud, etc.*

13. Macrobius, Saturn. lib. VI, cap. IV: Inseruit operi suo Virgilius et Græca verba: sed non primus hoc ausus: auctorum enim veterum audaciàm secutùs est. *Dependent lychni laquearibus aureis.*

14. Quintilianus, lib. cap. 10.

15. Nonius: Ab eo quod est *fervit*, breviato accentu, *fervere* facit.

16. Nonius: *Poësis* et *poëma* hanc habent distantiam. *Poësis* est textus scriptorum; *poëma*, inventio parva, quæ paucis verbis expeditur.

17. Nonius: *Ramices* dicuntur pulmones, vel herniæ.

Quòd mancus, miser, exilis, ramice magno.

XVIII.

Arripio rostrum, labiasque hujus Zephyri, atque im
Percutio, denteisque adversos excutio omnes.

XIX.

Nam laterem qui ducit, habet nihil amplius unquam,
Quam commune lutum e paleis, cœnumque aceratum.

XX.

Si nihil ad faciem, et solum lupa, prostibulumque
Nummi opus atque assis.

XXI.

.... Quid ego, si cerno ostrea,
Cognorim fluvium, limum ac cœnum sapere ipsum?

XXII.

Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum
Unà affert.

XXIII.

.... Labora
Discere, ne te res ipsa, ac ratio ipsa refellat.

XXIV.

Rugosi passique senes eadem omnia quærunt.

XXXV.

Tu milli nummûm potes uno quærere centum.

18. Nonius: *Rostrum* hominis dici.—*Im*, id est, eum.

19. Nonius: *Acerosum* et *aceratum* utrumque nove positum, sed distante proprietate signatum. *Acerosum* namque panem farre minus purgato, nec sordibus a candido separato dicendum veteres putaverunt. *Aceratum* vero est lutum paleis mistum, ut laterarii usus est.

20. Non. Genitiv. positus pro abl.

21. Non. *Ostrea*, generis neutri. Juven. sat. VIII:

Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum.

22. Non. *Rutrum*, dictum a radendo.

23. Nonius: *Discere* est ignotam rem meditando assequi.

24. Nonius: *Passum*, est proprie rugosum vel siccum.

25. A. Gellius, lib. I, cap. 16: *Uno milli nummûm*, pro unis mille nummis: aperteque ostendit *mille* et vocabulum esse, et singulari numero dici, ejusque plurativum esse *millia*, et casum etiam capere ablativum; neque cæteros casus requiri oportere, cùm sint alia pleraque vocabula, quæ in singulos tantum casus, quædam etiam, quæ in nullum declinentur.

XXVI.

Scaberat ut porcus contritis arbore costis.

XXVII.

Hinc ancilia, ab hoc apices, capidasque repertas.

XXVIII.

Præsul ut amptruat, inde et volgu' redamptruat olli.

XXIX.

.... Ipsa si se corio omnia lora.

XXX.

Ut discrepat hac quem rapuit Apollo fiat ergo.

EX LIBRO X SATIRARUM.

Veteres glossæ in vita A. Persii: Sed mox ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit, cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectatis, cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit.

I.

.... Honorum est
Judicium Crassis, ut nos describimus ante.
Hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus.

II.

Pone: paludatus stabat rorariu' velox

26. Priscian.lib. X, *scabo*, *scabi*.

27. Priscianus, lib. VI: *Capis*, *capidis*, unde diminutivum *capidula*, vasis genus pontificale. — More Græco, in *as* protulit accusativum pluralem.

28. Festus: *Redamptruare* dicitur in Saliorum exsultationibus, cùm *præsul amptruavit*, quod est, motus edidit, et referuntur invicem iidem motus.

29. Charisius, lib. I: *Lora*, correptâ primâ syllabâ, et feminino genere dicenda est; productâ autem, neutraliter e corio vincula, ut et Lucilius in IX. .... *Ipsa si se*, *etc.*

30. Porphyrion, lib. I, sat. 9.

1. Nonius: *Sumere*, eligere.

2. Nonius: *Rorarii* appellantur milites, qui antequàm congressæ essent acies, primo non multis jaculis inibant prælium: tractum quòd ante maximas pugnas cœlum rorare incipiat.

III.

Quamvis desubito trinis deducere scalis.

IV.

Tonsillas quoque prævalidis in funibus aptas.

V.

Fluctibus a ventisque adversis firmiter essent.

VI.

Languor et oppressit, pigror, torporque quietis.

VII.

Næ in arce bovem discerpsi magnifice, inquit.

VIII.

Improbu', confidens, malus et nequam videatur.

EX LIBRO XI SATIRARUM.

I.

Quintus Opimius ille Jugurthini pater hujus,
Et formosus homo fuit, et famosus, utrumque
Primo adolescens, posterius directiu' sese.

II.

Cassiu' Caius hic operariu', quem Cephalonem
Dicimu' sectorem, Furiumque, hunc Tulliu' quidam
Judex heredem facit, et damnati alii omnes.

III.

Luciu' Cotta senex Crassi pater huju' Panæti
Magnus trico fuit nummariu', solvere nulli
Lentus.

3. Nonius: *Desubito*, pro snbito.

4. Nonius: *Aptum*, connexum et colligatum significat.

5. Nonius: *Firmiter*, pro firme.

6. Non. *Pigror*, generis masculini.

7. Don. in Andr. act. II, sc. 1: *Næ*, valde, aut, ut quidam volunt, ô quam.

8. Nonius: *Confidentia*, rursum temeritas, audacia.

1. Nonius: *Famosum*, infamem.

2. Non. *Damnare*, est exheredare.

3. Nonius: *Tricones*, morosi et ed reddendum duri. Idem: *Lentum*, facile. — Vel potius, *lentus solvere nulli*, archaismus est: duæ negationes pro una: *lentus*, non promptus solvere nulli, id est, nulli promptus solvere.

IV.

Prætor noster adhuc quàm spurcu' st ore, quod omnes
Extra castra, ut stercu', foras ejecit ad unum.

V.

Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus,
Lustrum, illo censore, malum infelixque fuisse.

VI.

.... Et jam
Conjicere in versus dictum præconi' volebam
Granî.

VII.

Conventus pulcher, bracæ, saga, fulgere torques
Magni.

VIII.

.... Viamque
Sternendam et jaciendum huc aggerem, et id genu' rudus.

IX.

Annos hic errat jam plures miles, hyberna
Nobiscum meret.

X.

Inde venit Romam tener ipse etiam atque puellus.

XI.

Nec mihi amatore hoc opu', nec tricone vadato.

XII.

Non laudare hominem quemquam; neque mu facere unquam.

4. Nonius: *Spurcum*, etiam fœtidum.

5. A. Gellius, lib. IV, cap. 17: *Objiciebat*, *o* littera producta multos legere audio; idque eo facere dicunt, ut ratio numeri salva sit.

6. A. Gellius, lib. IV, cap. 17: In hoc prima verbi præpositio producitur.

7. Nonius: *Fulgere*, pro fulgère.

8. Nonius: *Rudus*, arenca quod raditur.

9. Nonius: *Meret*, militat.

10. Priscianus, lib. VI: Non est tamen ignorandum, quòd etiam hic *puerus*, hic et hæc *puer*, vetustissimi protulisse inveniuntur, et *puellus* et *puella*.

11. Nonius: *Tricæ* sunt impedimenta et implicationes, et *intricare*, impedire, morari: dictæ quasi tericæ; quòd pullos gallinaceos involvant et impediant capilli pedibus implicati.

12. Charisius, lib. II: *Mu facere*, pro mutire.

XIII.

Hic strigosu', bovinatorque, ore improbu' duro.

XIV.

Crissavit, ut si frumentum clunibu' vannat.

XV.

Hic ubi consessum, pellesque ut in ordine tentæ.

XVI.

Qui in latrina lacuque.

EX LIBRO XII SATIRARUM.

I.

Huic homini Quæstore aliquo esse opus atque chorago,
Publicitus qui mî atque Episeo præbeat aurum.

II.

Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non possunt.

III.

Firmiter hoc, pariterque tuo sit pectore fixum.

IV.

Insignis varis est cruribus atque petilis.

V.

Quibus fructibus me decollavi.

VI.

Assensus sum homini.

13. A. Gellius, lib. XI, cap. 7: Tergiversatorem *bovinatorem* dicit. Nonius: *Bovinatores*, quos nunc malitiosos et tergiversatores dicimus.

14. Nonius: *Evannetur* dictum est ventiletur, vel moveatur, a vanno, in qua legumina ventilantur.

15. Nonius: *Tenta*, pro extensa.

16. Nonius: *Latrina* genere feminino, et est *lavatrina*, quod nunc balneum dicitur.

1. Nonius: *Publicitus*, pro publice.

2. Nonius: *Protelare* rursus adjuvare.

3. Nonius: *Firmiter*, pro firme.

4. Nonius: *Petilum* tenue et exile.

5. Diomedes, lib. I: *Decollo*, *decollavi*: hoc verbum apud veteres decipio significat.

6. Priscianus, lib. VIII: *Sentio* neutrum: ex eo *assentio* et *assentior*, et *dissentio* et *dissentior*, in una eâdemque inveniuntur significatione.

VII.

Diomedes, lib. III : Alii a vino tragœdiam dictam arbitrantur; propterea quòd olim dictabatur τρύξ, a quo τρύγητος hodieque vindemia est, *quia, Liberalibus apud Atticos, die festo Liberi patris, vinum cantoribus pro corollario dabatur*, cujus rei testis est Lucilius in duodecimo.

EX LIBRO XIII SATIRARUM.

I.

Si forte omnino, ac Fortunâ vincere bello:
Si forte ac temere omnino; quid cursum ad honorem?

II.

Cui parilem Fortuna locum, fatumque tulit fors.

III.

His itidem in cœna dabis ostrea millibu' nummûm
Empta.

IV.

Acribus inter sese armis confligere cernit.

V.

Primum dominia atque sodalitia omnia tolluntur.

VI.

Adde Syracusis sola, pasceolum, alutam.

VII.

.... Unu' modo, de multis qui ingenio sit.

1. Nonius : *Fors* et *fortuna* hoc distant. *Fors* est casus temporalis; *Fortuna*, Dea.

2. Nonius, *ibidem*.

3. Nonius: *Ostrea*, generis neutri.

4. Nonius: *cernere* rursum, disponere.

5. Nonius : *Dominus* appellatur convivii exhibitor, unde et *dominia* convivia.

6. Nonius : *Pasceolus*, ex aluta sacculus.

7. Nonius: Veterum memorabilis scientia *paucorum* numerum pro bonis ponebat; *multos* contra malos appellabat.

EX LIBRO XIV SATIRARUM.

I.

Idne ægri est magis, an quòd pane et viscere privo,
Quòd viscus dederas tumidum, hos in viscera largi.

II.

Quin potius vitam degas sedatu' quietam,
Quàm tu antiquiu', quàm facere hoc, fecisse videris.

III.

Publiu', parvu' mihi Tuditanus Quæstor Ibera
In terra fuit lucifugus nebulo, id genu' sane.

IV.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, et
Calces: delectes te, hilo non rectiu' vivas.

V.

Nam paucis malle ac sapientibus esse probatum,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

VI.

Si mihi non Prætor siet additus, atque agitet me,
Non male sic ille, ut dico, me extenderat unus.

VII.

Nam vetus ille Cato dignum quemcumque lacessim
Appellare, quod ipse sibi non conscius esset.

1. Nonius: *Viscus*, positum pro viscere. Idem: *Largi*, pro largire.

2. Nonius: *Antiquus* et *antiquior*, ut gradu, ita et intellectu distant. Nam *antiquus* significat vetus: *antiquior*, melior.

3. Nonius: *Nebulones*, et tenebriones dicti sunt, quia mendaciis et astutiis suis nebulam quamdam et tenebras objiciant: aut quibus ad fugam fugitivis et furta, hæc erant accommodata et utilia.

4. Priscianus, lib. VI: *Hilum*, pro ullum vetustissimi proferebant.

5. Non. Vid. supr. lib. XIII, frag. 7.

6. Macrobius, lib. VI, cap. 4, Saturnal.

7. Priscianus, lib. X: *Lacesso, lacessivi:* sic Probus, et videtur mihi melius dicere *lacessivi*, quàm lacessi. Participium enim passivum *lacessitus*. Caper tamen *lacessi* dicit esse, ut *facessi*, et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIV: *Nam vetus ille Cato lacessisse appellari, quòd conscius ipse non erat sibi.*

VIII.

Ad regem legatu' Rhodum, Ecbatanam, ac Babylonem
Ibo, cercurum sumam.

IX.

.... Nam sumptibu' magnis,
Et structam ampliter, atque cùm accumbimu' mensam.

X.

Idem epulo cibus, atque epulæ Jovis omnipotentis.

XI.

Et non pauper uti Samio, curtoque catino.

XII.

Cœnam, inquit, nullam, neque Divo prosiciem ullam.

XIII.

Cùm illud quid faciat, quod manducamur in ore.

XIV.

Dilectum video studiose vulgus habere.

XV.

Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector.

XVI.

Quem metuas sæpe, interdum quem utare libenter.

XVII.

Puncto una hora.... et qui quoque invasit.

XVIII.

Caseus allia molliet.

8. Nonius: *Cercurus*, navis est Asiana prægrandis.

9. Nonius: *Ampliter:* Priscianus, lib. 15: *Ampliter*, pro ample.

10. Nonius: *Epulum* generis neutri est. Feminini Lucilius satir. lib. XIV: *Idem epulo cibus, atque epulatio Jovis omnipotentis.* Qui versus utrumque designat.

11. Nonius: *Samium*, est testeum.

12. Nonius: *Prosecta* exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta, generis feminini.

13. Nonius: *Manducatur*, pro manducat.

14. Nonius: Vulgus neutro genere solum dici putat Lucilius.

15. Nonius: *Gradarius* est molli gradu, et sine succussatura nitens.

16. Nonius: Pro, quo utare libenter.

17. Donatus, in Phorm. Terent. act. I, sc. 4, ad illud:

Tum temporis punctum mihi ad hanc rem est.

Punctum, pro momentum: ut Lucilius in decimo quarto: *Puncto una hora, etc.*

18. Charisius, lib. I: *Caseus* masculini generis est.

XIX.

Macrosque palumbos.

EX LIBRO XV SATIRARUM.

I.

Multa homines portenta in Homero versificata
Monstra putant, quorum in primis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes, et porro huic maju' bacillum,
Quàm malus navi in corbita maximus ulla.

II.

Hunc milli passûm qui vicerit atque duobus
Campanus sonipes succussor nullu' sequetur
Majori spatio; ac diversu' videbitur ire.

III.

Præterquam in pretio primus semisse, secundus
Nummo, tertiu' jam pluris, quàm totu' medimnus.

IV.

In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multo
Obmarcescebat febris, senium, vomitus, pus.

V.

Cùm tectum est, quidvis satis est. Visuri alieni
Sunt homines? spiras, pallam, redimicula promit.

VI.

Penula, si quæris, canterin', servu', segestre
Utilior mihi, quàm sapiens.

19. Non. *Palumbi*, masculine.

1. Nonius: *Corbita*, est genus navigii tardum et grande.

2. A. Gellius, lib. I, cap. 16: *Milli passûm* dixit pro mille passibus. Macrob. lib. I, cap. 5. Nonius: *Succussare*, sursum frequenter excutere.

3. Non. *Medimnus*: generis mascul.

4. Nonius: *Senium* est tædium et odium: dictum a senectute, quòd senes omnibus odio sint et tædio.

5. Nonius: *Palla* est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium.

6. Nonius: *Penula* est vestis, quam supra tunicam accipimus. — *Segestre*. Crassum operimentum, ut sagorum erat crassior pannus.

VII.

Adde istos sacer illoto colfo fax syrofenix
Quid facere est solitus?

VIII.

.... Non ergastulus unus, et alius judicem
Opposivit.

IX.

Ut nemo sententiam libere, quasi ergastulus, possit dicere.

X.

.... Dum miles Hyberus
Terras, ac meret ter sex ætate quasi annos.

XI.

Te primum cum istis insanum hominem et cerebrosum.

XII.

Scit poëticon esse, videt tunica, et toga quid sit.

XIII.

Trulleu' postomis huic ingens de naribu' pendet.

XIV.

Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque holerorum.

XV.

Subjicit hinc humilem, et sufferctus posteriorem.

XVI.

Rugosum atque fami plenum.

7. Nonius : *Sacrum* etiam scelestum et detestabile, ita et consecratum.

8. Nonius : *Ergastulum* et *ergastulus*, ut genere, ita et intellectibus differunt. Nam neutro, *carceris* locus est; masculino, custos pœnalis loci.

9. Nonius : *Ergastulum* et *ergastulus*.

10. Nonius : *Meret*, militat.

11. Nonius : *Cerebrosi* dicuntur ad insaniam faciles, quibus frequenter cerebrum moveatur.

12. Nonius : *Tunica*, est vestimentum sine manicis.

13. Nonius : *Postomis* dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam naribus, vel morsui imponitur, Græce ἀπὸ τοῦ ϛόματος.

14. Nonius : *Holerorum*, pro holerum. — *Tintinnabulum*. Hoc loco, genus vehiculi ut magnus observat Scaliger. *Sirpicula*, idem.

15. A. Gellius, lib. IV, cap. 17 : *Subjicit. U*, litterâ longâ, legunt, quia primam syllabam brevem esse in versu heroico non convenit.

16. A. Gellius, lib. IX, cap. 14 : Sic autem *dies*, *dii*, a veteribus declinatum est, ut *Fames*, *fami*.

XVII.

.... Aut qui nummos tristis inuncat.

XVIII.

.... Nemo est halicariu' posterior te.

EX LIBRO XVI SATIRARUM.

Porphyrion in Horat. ad illud lib. I, od. 20 : *Dum meam canto Lalagen.* Id est, carmen in Lalagen amicam, ejus nomine compositum. Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur, eo quòd de Collyra amica sua scriptus sit.

I.

Ibat forte aries, inquit : jam quod genu' ! quantis
Testibu' ! Vix uno filo hæc se herere : putares
Pelliculâ extremâ ex aptum pendere onus ingens.

II.

.... Lysippi Juppiter ista
Transivit, quadraginta cubita altu', Tarento.

III.

Rex Cotys ille duos ventos Austrum atque Aquilonem
Novisse ajebat solos se demagis istos
Ex nimbo austellos, nec nosse putare necesse.

IV.

Legavit quidam uxori mundum omne penumque.
Quid mundum? quid non? nam quis dijudicet istuc?

V.

Fundî, delectat virtus te, villicu' paullo
Strenuior si evascrit.

17. Nonius : *Inuncare*, quasi unco invadere et arripere.

18. Charisius, lib. I : Alicam sine aspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt : nisi quod Lucilius in XV : *Nemo est halicariu' p. t.* cum aspiratione dixit.

1. Nonius : *Aptum*, rursum connexum et colligatum significat.

2. Nonius : *Cubitum*, neutri generis.

3. Nonius : *Demagis*, valde magis.

4. A. Gellius, lib. IV, cap. 1.

5. Priscianus, lib. III.

VI.

Hi quos divitiæ producunt, et caput ungunt
Horridulum.

VII.

Cur tam ignaviter hoc præsertim tempore quæris.

VIII.

Publicitus vendis tamen, atque extrema ligurris.

IX.

Hoc aliud longe est, inquit, qui cepe serebat.

X.

Media e pistrina.

EX LIBRO XVII SATIRARUM.

I.

Num censes καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον illam
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis?
Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν
Alcmenam atque alias, Ledam ipsam denique nolo
Dicere, tute vide, ac dissyllabon elige quodvis.
Τυρὼ εὐπατέρειαν aliquam rem insignem habuisse,
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

II.

Cætera contemnit, et in usura omnia ponit
Non magna: proprium vero nil neminem habere.

III.

Villicum Aristocratem mediastinum atque bubulcum

6. Nonius: *Horrendum* et *horridum* habent plurimam diversitatem. Est enim *horrendum* tetrum et vitabile; *horridum* plerumque exstans, et prominens et incultum.

7. Nonius: *Ignaviter*, pro ignave.

8. Nonius: *Publicitus*, pro publice.

9. Nonius: *Cepe*, generis neutri.

10. Charisius, lib. I: *Pistrinum*, neutraliter dicitur, sed Lucilius, in XVI, feminine extulit.

1. Nonius: *Compernes*, dicuntur longis pedibus. Idem: *Vari*, dicuntur obtortis plantis.

2. Nonius: *Proprium*, significat rursum perpetuum.

3. Nonius: *Mediastinos*, non so-

Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

IV.

Nupturum te, nupta, negas, quòd vivere Ulyssem
Speras.

V.

Si non it, capito, inquit, eum: et si calvitur, ergo
Endo manum jacito.

VI.

Si messes facis invisas, si vendi' Lavernæ.

VII.

.... Magna ossa, lacertique
Apparent homini.

EX LIBRO XVIII SATIRARUM.

I.

Millia ducentûm frumenti tolle medimnum,
Vini mille cadûm.

II.

Denique uti stulto nihil est satis, omnia cùm sint.

III.

.... Nam vel regionibus illis
Incrustatu' calix crucio caulique bibetur.

IV.

.... Aeque fruniscor ego ac tu.

lum balnearum, sed ædium quoque ministros et curatores legimus.

4. Priscianus, lib. IX.

5. Nonius: *Calvitur*, dictum est frustratur, dictum a calvis mimis, quòd sint omnibus frustratui.

6. Nonius: *Laverna* Dea, cui supplicant fures.

7. Macrob. Saturn. lib. VI, cap. 1.

1. Nonius: *cadi* vasa, quibus vina conduntur.

2. Nonius: *Multum* et *satis* eo distant; quòd *multum*, infinitum est; *satis*, finitum: avaris illud, hoc parce se continentibus applicandum.

3. Porphyrion, in sat. III, lib. I Horatii, ad illud, *sincerum cupimus vas incrustare*. *Vas* autem *incrustari* dicitur cùm aliquo vitioso succo illinitur atque inquinatur.

4. Nonius: *Fruniscí*, pro frui.

EX LIBRO XIX SATIRARUM.

I.

Sic tu illos fructus quæras, adversâ hyeme, olim
Queis uti possis, hæc delectare domi te.

II.

Aurum vis, hominemve? habeas hominem: quid ad aurum?
Quare, ut dicimu', non video hic quid magnopere optem.

III.

Ut pueri infantes faciunt mulierculam honestam.

IV.

Sic singillatim nostrûm unusquisque movetur.

V.

Sume diem, qui est visu' tibi pulcherrimus unus.

VI.

Peniculamentum vere reprehendere noli.

VII.

Latere pendens, saxa spargens tabo et sanguine atro.

VIII.

Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

IX.

Scalprorum forcipumque millia viginti.

X.

.... Et uncis
Forcipibus dentes evelleret.

1. Nonius: *Olim*, temporis futuri.

2. Nonius: *Optare*, eligere.

3. Nonius: *Infantes*, a non fando dicti sunt.

4. Nonius: *Singulatim* et *singillatim*, a singulis.

5. Nonius: *Sumere* etiam significat eligere.

6. Nonius: *Peniculamentum*, a veteribus pars vestis dicitur.

7. Nonius: *Spargere*, madefacere.

8. Priscianus, lib. X: *Rausi*, *rausum*.

9. Charisius, lib. I: Medicorum *forcipes* dicit lib. XIX. *Scalpror, etc.*

10. Charisius, lib. I.

EX LIBRO XX SATIRARUM.

I.

Terricolas Lamias, Fauni quas, Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, et esse homines: et sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

II.

Tempestate sua, atque eodem uno tempore, et horæ
Dimidio, tribu' confectis duntaxat eamdem
Et quartam.

III.

Pulmentaria ut intybus, aut aliqua id genus herba,
Et jus mænarum bene habet, sed mictilis, hoc est
Merx.

IV.

Calpurnl sævam legem Pisoni' rependi,
Eduxique animam in primoribu' naribus.

V.

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu' colubras
Disrumpit cantu, venas cùm extenderit omneis.

VI.

Illuvies, scabies oculos huic, deinque petigo
Conscendere.

VII.

Nugator quidam; ac nebulo, sit maximu' multo.

1. Lactantius, lib. I, cap. 22.

2. A. Gellius, lib. III, cap. 14: Jam in vicesimo manifestus Lucilius *dimidiam horam* dicere studiose fugit: sed, pro *dimidia*, *dimidium* ponit in his vers. *tempestate suâ, etc.*

3. Nonius: *Mictilis*, paupercula pulmentaria. Idem: *Intybus*, generis masculini.

4. Nonius: *Priores* et *primores* hanc habent diversitatem. *Priores* enim comparativi sunt gradus; *primores*, summæ quæque res.

5. Nonius: *Colubra*, generis feminini.

6. Nonius: *Illuvies*, sordes. Idem: *Petigo*, genus morbi.

7. Nonius: *Nebulones* et *tenebrio-*

VIII.

Tum ephebum quemdam, quem vocant parectaton.

IX.

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

X.

Proras detundete et despoliate guberna.

EX LIBRO XXI SATIRARUM.

Nihil superest.

EX LIBRO XXII SATIRARUM.

I.

.... Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo, et capillos scindunt; et clamant magis.

II.

Servu' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam
Luceili columella heic situ' Metrophanes.

III.

Zopyrion labias discidit utrumque secutus.

IV.

Nasum rectiu' nunc homini est, suræ nec pedes dici.

nes dicti sunt, quia mendaciis et astutiis suis nebulam quamdam et tenebras objiciunt.

8. Nonius: *Parectati* hi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem; a Græco vocabulum sumptum.

9. Priscianus, lib. IX: *Tersi*, a tergeo.

10. Marius Victorinus, lib. I.

1. Nonius: *Præficæ* dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, ut et flerent, et fortia facta laudarent.

2. Donatus, in Phormion. act. I, sc. 5: *Columen*, culmen, an *columen*, columna. Unde *columellæ* apud veteres dicti servi majoris domûs.

3. Nonius: *Labia*, rursum feminini generis.

4. Nonius: *Nasum*, neutri generis.

EX LIBRO XXIII SATIRARUM.

I.

Cupiditas ex homine; cupido ex stulto nunquam tollitur : quòd cupiditas pars quædam sit temperatior defluens ex cupidine.

II.

Jucundasque puer qui lamberat ore placentas.

III.

Tongere.

IV.

Calx.

EX LIBRO XXIV SATIRARUM.

Nihil superest.

EX LIBRO XXV SATIRARUM.

I.

Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventri
Farre aceroso, oleo decumano, pane Cumano coegit.

II.

Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam.

III.

Idcirco omnes evasuros censent ægritudinem.

IV.

Arabus artemo.

1. Nonius : *Cupiditas* et *cupido* diversa sunt; nam *cupiditas* levior est.

2. Priscianus, lib. X : *Lambo, lambi*.

3. Glossarium Fornerii : *Tongere*, εἰδέναι.

4. Charisius, lib. I : *Calx* masculino genere dixit.

1. Festus : *Gallam bibere, ac rugas conducere ventri*, cùm ait Lucilius, præmonet parcimonia esse utendum, neque gulæ indulgendum, ventremque coarctandum.

2. Nonius : *De*, pro ab.

3. Nonius, *Evadere* est liberari.

4. Charisius, lib. I.

EX LIBRO XXVI SATIRARUM.

I.

Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque ærumnam offerunt; ducunt uxores, producunt quibus hæc faciant liberos.

II.

At enim dicis clandestino tibi quod commissum foret, neu mutires quidquam, neu mysteria efferres foras.

III.

Ferri tantum, si roget me, non dem quantum auri petit; si se cupit, et si quoque a me, quæ roget, non impetret.

IV.

At Libertinus Tricorius Syrus ipse ad mastigias,
Quicum versipellis fio, et quicum commuto omnia.

V.

Squallitate, summâ scabie, summa in ærumna obrutam,
Neque inimicis invidiosam, neque amico exoptabilem.

VI.

Publicanus vero ut Asiæ fiam scripturarius pro
Lucilio, id ego nolo; et uno hoc non muto omnia.

VII.

Ut populus Romanus victus vi, et superatus præliis
Sæpe est multis, bello vero nunquam, in quo sunt omnia.

VIII.

Depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere.
Decalanticare eburneo speculo depeculassere.

1. Nonius: *Producere*, instituere.

2. Non. *Clandestino*, abscondite.

3. Nonius: *Rogare*, poscere.

4. Nonius: *Versipelles* dicti sunt quolibet genere se commutantes.

5. Nonius: *Summum*, extremum. Idem: *Invidiosum*, quod sit vitabile ad videndum.

6. Nonius: *Scripturarios*, quos nunc tabellarios dicimus, dici volunt veteres, quod scripturis et commentariis omnia vel urbium, vel provinciarum complectuntur.

7. Nonius: *Bellum* et *prælium* hoc differunt: quòd *prælia* partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones.

8. Nonius: *Depeculassere*, ac *deargentassere*, et *decalanticare*.

IX.

Aggere in jaciendo, si quo est vineis actis opus,
Primum id dant operam, ut quam primum appellant.

X.

Ut si eluviem facere per ventrem velis curare,
Omnibus distento corpore exspiret vis.

XI.

Curet ægrotum, sumptum homini præbeat,
Genium suum defrudet, alii parcat.

XII.

Audivi, quem febris una, atque una ἀπεψία,
Vini, inquam, hiatus potuit unus tollere.

XIII.

Si misereantur se ipsi, vide ne illorum caussa superiore loco collocaverit.

XIV.

Nunc itidem populum istum scriptoribus volumus capere animum illorum.

XV.

Non te multitudinem tuorum, quam in album inclyta dextra conficit sibi.

XVI.

Quare hoc colere est satius, quam illam studium omne hic consumere.

XVII.

Principio physici omnes homines ex anima et corpore constare dicunt.

XVIII.

.... Redisse

9. Nonius: *Jacit*, facit. Idem: *Actum*, admotum. Idem: *Apellare*, est applicare.

10. Nonius: *Eluviem*, purgationem. Idem: *Exspirare* dictum est, vel ab spiritu effuso, vel a spiraminibus.

11. Nonius: *Genium*, parsimoniam.

12. Nonius: *Tollere*, occidere.

13. Nonius: *Dativus*, pro accusativo.

14. Nonius: *Capere*, delectare.

15. Nonius: *Conficere*, colligere.

16. Nonius: *Colere*, diligere.

17. Nonius: *Constat* compositum est.

18. Non. *Repedare*, pede iterare.

Ac repedasse, ut Roma vitet gladiatoribus.

XIX.

Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet

XX.

Summis niti naturæ opibus; at ego contra ut dissimilis siem.

XXI.

Suspendatne se, an gladium incumbat, ne cœlum videat.

XXII.

Rem cognoscas simul, et dictis animum attendas postulo.

XXIII.

Ut ego effutiam, quod ego te imprimis cupere apisci intelligo.

XXIV.

Contra flagitium nescire vinci bello, a barbaro viriato Annibale.

XXV.

Sin autem hoc vident, bona semper petere sapientem putant.

XXVI.

Veterem historiam, inductus studio, scribis ad amores tuos.

XXVII.

Ego si quis sum, et quo folliculo nunc sum indutus non queo.

XXVIII.

Tum doloribus confectum corpus animo obsistere.

XXIX.

Neque prius, quàm venas hominis tetigit ac præcordia.

XXX.

Munifici, comesque amicis nostris videamur viri.

19. Nonius: *Cordi est*, honeste dictum animo sedet.

20. Nonius: *Niti*, fultum esse.

21. Nonius: *Accusativus* pro dativo.

22. Nonius: *Cognoscere* est audire, æstimare. Idem: *Attendere* est intendere.

23. Nonius: *Apisci*, adipisci.

24. Nonius: *Viriatum*, dictum est magnarum virium.

25. Nonius: *Petere*, cupere, appetere.

26. Nonius: *Induci*, delectari.

27. Nonius: *Folliculum* Lucilius posuit pro corpore.

28. Non. *Confectum*, defessum.

29. Nonius: *Tangere*, inspicere.

30. Nonius: *Munes* apud veteres dicebantur non a largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici velint.

XXXI.

Quidni et tu idem illitteratum me atque idiotam diceres?

XXXII.

Rauco concionem sonitu, et curvis cogant cornibus.

XXXIII.

Depugnabunt pro te ipsi, et morientur, ac se ultro efferent.

XXXIV.

Ego ubi quem ex præcordiis versu effero.

XXXV.

Non idcirco extollitur, vel iræ, vel gaudii dator.

XXXVI.

Ita ut quisque nostrûm e bulga est matris in lucem editus.

XXXVII.

Tu si voles per aureis pectus irrigarier.

XXXVIII.

Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum.

XXXIX.

Facile deridemur, scimus capital esse irascier.

XL.

Pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore.

XLI.

Paucorum atque hoc pacto si nihil gustat inter nundinum.

XLII.

Præterito tepido glutinator glutino.

31. Nonius: *Idiotas*, a Græco tractum ἰδιώτης, inutiles, quasi sibi tantum, non plurimis utiles.

32. Nonius: *Cogere*, in unum colligere. — Lipsius putat Lucilium respexisse ad morem Romanum, quo classicum in celeberrimis urbis locis canebat, cùm civi rei capitalis dies dicta esset.

33. Nonius: *Efferre*, subdere.

34. Nonius: *Efferre* significat proferre.

35. Nonius: *Efferre*, edere, provehere.

36. Nonius: *Bulga* est folliculus omnis, quam et crumenam veteres appellarunt; et est sacculus ad brachium pendens.

37. Non. Accusativus pro ablat.

38. Nonius, de differentia temporis per accusativum et ablativum expressi.

39. Nonius: *Capital* dictum est capitis periculum.

40. Nonius, *Difflare*, est flatu disturbare.

41. Non. *Nundinus*, mascul. gen.

42. Nonius: *Glutino*, pro glutine.

XLIII.

Quaprópter deliro, et cupide officium fungor ruderum.

XLIV.

Si quod verbum inusitatum, aut ζητηματιον offenderam.

XLV.

Tuam probatam mihi et spectatam maxime adolescentiam.

XLVI.

Cum studio in gymnasio duplici corpus siccassem pila.

XLVII.

Malis necesse est lautum, e mensa pure capturus cibum.

XLVIII.

Nunc ignobilitas his mirum ac monstrificabile.

XLIX.

Quid tibi cavendum censes, quid vitandum maxime?

L.

Hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.

LI.

Quod is intelligebat, posse haud paucos rettuli.

LII.

Quàm fastidiosum ac vescum cum fastidio edendi vivere!

LIII.

Mihi quidem non persuadetur, publice ut mutem meos.

LIV.

Denique adeo male me accipiunt decimæ et proveniunt male.

LV.

Animoque ægrotat, vidimus corpore hunc signum dare.

43. Nonius: *Delirare*, est de recto decedere. *Lira* autem est fossa secta, quæ contra agros tuendos ducitur, et in quam uligo terræ decurrat.

44. Nonius: *Offendere*, invenire.

45. Nonius: *Probatum* et *spectatum* vis majoris est.

46. Nonius: *Siccum*, exercitum.

47. Nonius: *Lautum*, nudum. Idem: *Capere*, accipere.

48. Nonius: *Monstrificabile*.

49. Nonius: Inter *cavere* et *vitare* Lucilius esse distautiam voluit, et plus esse *vitare*.

50. Nonius; *Sumere*, suscipere.

51. Nonius: *Referre*, p[illegible]re, indicare.

52. Nonius: *Vescum*, nimis obscurum.

53. Nonius: *Mutare*, derelinquere.

54. Nonius: *Proventum* etiam malarum rerum dici veteres voluerunt.

55. Nonius: *Dare*, ostendere.

LVI.

Percrepa pugnam Pompilì factam Corneli cane.

LVII.

Luporum exauctorem malvanum et fulguritatem arborum.

LVIII.

Quòdque te in tranquillum ex sævis transfert tempestatibus.

LIX.

Porro amici est bene præcipere, bene prædicare.

LX.

Quandoquidem reperi magnis combibonum ex copiis.

LXI.

Conjugem infidam, flacitam familiam, impuram domum.

LXII.

Nec minimo et prosferatur pax, quòd Cassandram signo deripuit.

LXIII.

Domuitionis cupidi imperium regis pene imminuimus.

LXIV.

Evadat saltem aliquid aliquâ, quod conatus sum.

LXV.

Illuc oculi deducunt ipsi, atque animum spes illuc rapit.

LXVI.

Vestimentis frigus atque horrorem exacturum putat.

LXVII.

Nisi portenta, anguesque volucres ac pinnatos scribitis.

LXVIII.

Ego enim contemnificus fieri, et fastidire Agamemnonis.

56. Nonius: *Crepare*, sonare.

57. Nonius: *Fulgurivit*, fulgorem fecit, et fulmine afflavit.

58. Non. *Sævum* dicitur immite.

59. Nonius: *Præcipere* est jubere, vel monere.

60. Nonius: *Combibones*, compotores a combibendo dicti.

61. Nonius: *Impurus*, est aliquo vitio maculatus.

62. Nonius: *Prosferari*, impetrari.

63. Nonius: Domuitionem.

64. Nonius: *Evadere*, exire, tendere.

65. Nonius: *Deductum*, delectatione ductum.

66. Non. *Exigere* est excludere.

67. Nonius: *Portenta* ostenta, quæ aliquid imminere significant.

68. Nonius: *Contemnificum*.

LXIX.

.... Hic cruciatur fame,
Frigore, illuvie, inbalnitie, improfundie, incuriâ.

LXX.

Cribrum, incerniculum, lucernam in laterem in tclam licium.

LXXI.

Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint tuam.

EX LIBRO XXVII SATIRARUM.

I.

Id bonis porro, seu proprium, est viris,
Si irati, seu cui propitii sunt ii, ut
Diutius eadem una maneant in sententia,
Non cum benignitate sollicitarier proposito.

II.

Coquus non curat caudam insignem esse, illa dum pinguis siet:
Amici quærunt animum sic, parasiti autem divitias.

III.

Facit idem quod illi, qui inscriptum e portu exportant clanculum, ne portorium dent.

IV.

.... Salutem fictis versibus Lucilius,
Quibus potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo.

V.

Tu Lucilium credis contenturum, cùm me ruperim, summa omnia fecerim.

69. Nonius: *Illuvies*, sordes.

70. Nonius: *Cribrum*.

71. Nonius: *Averruncare*, avertere.

1. Nonius: *Propitios* et *placatos* homines dici vetustas voluit.

2. Nonius: *Insigne* dicitur magnum et præstans.

3. Nonius: *Portorium* dicitur merces, quæ portoribus datur.

4. Nonius: *Fingere*, componere. Idem: *Impertire* est participare, et partem dare. Idem: *Sedulo* significat sine dolo.

5. Nonius: *Contenturum*. Idem: *Rumpere*, defatigare.

VI.

Nam hic quidem reditum suum talem portendebant, neque alia in re ulla offendere.

VII.

.... Has e fenestris in caput
Dejiciunt, qui prope ad ostium aspiraverunt.

VIII.

Nulli me invidere, neque strabonem fieri sæpius deliciis me istorum.

IX.

Ille contra omnia inter plures sensim et pedetentim foris, ne quem lædat.

X.

Nec sic, ubi Græci, ubi nunc Socratici charti, quicquid quæritis petimus.

XI.

Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus
Destinet.

XII.

Ardum, miserrimum, atque infelix lignum sambucum vocant.

XIII.

Paulo hoc melius, quàm mediocre; hoc minus malum, ut quàm pessimum.

XIV.

.... Proferat ergo
Jam vester ordo scelera, quæ in se admiserit.

XV.

Potius, quàm non magnum messem esse, non probam vindemiam.

6. Nonius: *Offendere*, lædere.

7. Nonius: *Dejicere* dicitur mittere.

8. Nonius: *Strabones* sunt, quos strabos nunc dicimus. Varro Flexab. Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis strabones sunt facti.

9. Nonius: *Pedetentim* et pedepressim dictum est caute, quasi lentâ et tardâ itione.

10. Nonius: *Chartum*, generis masculini.

11. Nonius: *Destinare*, emere.

12. Nonius: *Ardum*, pro aridum.

13. Nonius: *Mediocritas* medium dici voluit.

14. Nonius: *Proferre*, palam facere.

15. Nonius: *Messem*, generis masculini.

XVI.

Quòd si paulisper captare, atque observare hæc volueris.

XVII.

Cæterum quicquid sit, quid non sit, fero æquo animo ac fortiter.

XVIII.

Quòd si observas hominem, qui pro commodo et regno gaudeat.

XIX.

Quæ pietas? monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

XX.

Cùm pacem peto, cùm placo, cùm adeo, et cùm appello meam.

XXI.

Tamen aliti verruca, aut cicatrix medius papillæ differunt.

XXII.

Mordicus petere aurum e flamma expediat, e cœno cibum.

XXIII.

Ad quod animum induxit semel, et ut ille omnino putat.

XXIV.

Cùm mei me adeunt servuli, non dominam ego appellem meam?

XXV.

Insanum vocant, quem maltam, ac feminam dici vident.

XXVI.

Nec si paulo minus usuras, et magna adjutatus diu.

XXVII.

Modo sursum, modo deorsum, tanquam collus cernui.

16. Nonius: *Captare*, capere.

17. Nonius: *Ferre*, pati.

18. Nonius: *Observare*, captare.

19. Nonius: Vide supra, lib.

20. Nonius: *Aditus*, interpellatio.

21. Nonius: *Differre*, distare.

22. Nonins: *Mordicus*.

23. Nonins: *Inducere*, instituere, confirmare.

24. Nonins: *Appellare*, est familiariter respondere.

25. Nonius: *Maltas* veteres molles appellari voluerunt, a Græco quasi μαλακούς.

26. Nonius: *Adjutatur*, pro adjutat.

27. Nonius: *Collus*, mascul. generis. Idem: *Cernuus* dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat.

XXVIII.

Consilium patriæ, legumque oriundu' rogator.

XXIX.

Certa sunt sine detrimento, quæ inter se commodent.

XXX.

Si facies præstat facie, si corpore corpus.

XXXI.

Parcant illi magis cui possint, cui fidem esse existiment.

XXXII.

. . . . Cùm sciam
Nihil esse in vita proprium mortali datum.

XXXIII.

Fuimus pernices, æternum id nobis sperantes fore.

XXXIV.

Lignum cædat, pensum faciat, ædeis verrat, vapulet.

XXXV.

Si tamen hoc ad te non redivit, hoc carebis commodo.

XXXVI.

Trado ergo alias minimo porro, quod mihi constat carius.

XXXVII.

Metuo ut fieri possit; egoque ab Archilocho excido.

XXXVIII.

Quam non solum devorare se omnia ac deverrere.

XXXIX.

Jam quâ tempestate vivo certo fine ad me recipio.

XL.

Et si maxume, quod spero, mutuum hoc mecum facis.

28. Nonius: *rogare*, instituere.

29. Nonius: *Commodare*, est mutuare.

30. Non. *Præstare*, antecellere.

31. Nonius: *Parcere*, servare.

32. Nonius: *Proprium*, perpetuum.

33. Nonius: *Pernix* significat celer.

34. Nonius: *Cædere*, excidere. Idem: *Verrere*, mundare.

35. Nonius: *Redire* manifestam habet significantiam.

36. Nonius: *Constat*, valet, consistit.

37. Nonius: *Excidere*, dissentire.

38. Nonius: *Verrere*, ferire, percutere.

39. Nonius: *Tempestas* est turbo ventorum.

40. Nonius: *Mutuum*, pro mutuo.

XLI.

Primum, quâ virtute servitutem excluserit.

XLII.

Quanti vellet, quam canicis a pulte et maconis manu.

XLIII.

At metuis porro aspectu et forma capiare
Altera.

XLIV.

Re in secunda tollere animos, et in mala demittere.

XLV.

Rerum explicatorem mittam, miserum mendicum petam.

XLVI.

Ego enim a pueritia, ut me amare expediat.

XLVII.

Viginti domi, an triginta, vel centum cibicidas alas.

XLVIII.

Idola atque atomos vincere Epicuri volam.

XLIX.

Hymnis velim te id, quod verum est, credere.

L.

In re jactanda ipsa ridicula id atque assederet.

EX LIBRO XXVIII SATIRARUM.

I.

Concedat homini id, quod vult, deliniat,
Corrumpat prorsus, ac nervos omnes eligat.

41. Nonius: *Excludere*, liberare.

42. Nonius: *Canicas* veteres furfures esse voluerunt.

43. Nonius: *Capere*, decipere, circumvenire.

44. Nonius: *Demissum*, humile, miserandum, abjectum.

45. Nonius: *Petere*, sequi.

46. Nonius: *Expedire*, utile esse.

47. Nonius: *Cibicidas.*

48. Nonius: *Volam*, pro velim.

49. Nonius: *Credere* est fidem habere dictis vel factis.

50. Nonius: *Jactare*, ambitiosius gloriari.

1. Nonius: *Concedere*, dare vel promittere. Idem: *Eligere*, defatigare.

II.

Orationem facere compendi potest;
Solvi dum salvo in tergo, et tergi non licet.

III.

Polemon et amavit Cratem, et huic transmisit suam scholam, quam ducunt.

IV.

Quapropter certum est facere contra et persequi,
Et nomen deferre hominis.

V.

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, presse auferet omnis.

VI.

Ut si progeniem antiquam, quâ est Maximu' Quinctus,
Quâ varicosu' vatrax.

VII.

.... Sospitat,
Impertit salutem plurimam, et plenissimam.

VIII.

Doctior cæteris isasamitis mutes aliquo tecum sacra facta vitia.

IX.

Socraticum quid ante tyranno misisse Aristippum autumant.

X.

Concedere unum, atque in eo dicere, quo superatur manus.

XI.

Vel si alio opus sit forte, si hinc aliquo cesseris.

XII.

Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum.

XIII.

Minitari aperte capitis dicturum diem.

2. Nonius: *Terga*, dorsa.

3. Nonius: *Transmittere*, tradere, derelinquere.

4. Non. *Deferre*, celatum prodere.

5. Nonius: *Legere*, surripere. Idem: *Sumere* est accipere, tollere.

6. Nonius: *Vatrax* et *vatricosus*, pedibus vitiosis.

7. Nonius: *Impertit*.

8. Nonius: *Mutare*, transferre.

9. Nonius, *Autumare* est dicere.

10. Nonius: *Concedere*, credere vel consentire.

11. Nonius: *Cedere*, recedere.

12. Nonius: *Armillum*.

13. Nonius: *Dicere*, denuntiare.

XIV.

Nullo honore, defletu', nullo funere.

XV.

Cùm cognoveris, vitam sine cura exigas.

XVI.

Summittas alios, si quos possis censeas.

XVII.

Ne hoc faciat, atque ex hac ærumna exeatis.

XVIII.

Quid me fiet, siquidem non vis te improbis committere.

XIX.

Commovet se nusquam, neque committet, ut pereat sibi.

XX.

Hic tum conventus, tela, insidiasque locavi.

XXI.

Piscium magnam, atque altilium vim interfecisti, ut nego.

XXII.

Adde eodem tristis ac severus philosophus.

XXIII.

Cæde ostinm, gnate, urge; restant; periimus.

XXIV.

Agite, agite fures, mendacia argutamini.

XXV.

Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.

XXVI.

Quid sic balistas jactas centenarias?

14. Nonius : *Honor*, sepultura.

15. Nonius : *Exigere*, significat agere.

16. Nonius : *summittere*, subdere, suppouere.

17. Nonius : *Exire*, evadere, liberari.

18. Nonius : *Committere*, conjungere, sociare.

19. Nonius : *Committere*, facere.

20. Nonius : *Convenire*, interpellare. Idem : *Locare*, parare.

21. Nonius : *Interficere*, consumere.

22. Nonius : *Tristis*, doctus.

23. Nonius : *Cædere*, frangere. Idem : *Urgere*, insistere.

24. Nonius : *Argutum*, audax, malitiosum.

25. Nonius : *Fingere*, parare.

26. Nonius : *Balistæ*, saxa majora et graviora quibus jaciuntur.

XXVII.

Primo redundat aurum, ac thesauri patent.

XXVIII.

Persuade, et transi, vel da, quamobrem transeas.

XXIX.

Puer præterea nostris qui subeant jubet.

XXX.

Malo, hercle, vestro confectores cardinum.

XXXI.

Lucilius si in amore irritarit suo.

XXXII.

Utrum anno, an horno te abstuleris a viro.

XXXIII.

Anno vertente, dies tetri, miseri, ac religiosi.

XXXIV.

Præterea hæc subsiciva si quando voles operam.

XXXV.

Vitam, ac fortunas cui crediderim meas.

XXXVI.

Cui sæpe imposui mille plagarum in diem.

XXXVII.

Sarcinatorem esse summum, suere centonem optume.

XXXVIII.

Tanti tempori' se montes et fœdera tollent.

XXXIX.

Verum tu quid agis? interpella me, ut sciam.

XL.

Prospiciendum ergo in senecta, nunc adolescentia est.

27. Nonius: *Redundare*, abundare, superesse.

28. Nonius: *Da*, dic.

29. Nonius: *Subire* significat ingredi.

30. Nonius: *Conficere*, frangere.

31. Nonius: vide supra.

32. Nonius: *Hornum* ipsius anni.

33. Nonius: *Religiosi* dies infames dicuntur et infausti.

34. Nonius: *Subsicivum*, secundum, sequens.

35. Non. *Credere*, fidei committere.

36. Nonius: *Genitivus* casus positus pro accusativo.

37. Nonius: *Sarcinator*, sutor.

38. Nonius: *Tollere* est elevare.

39. Nonius: *Interpellare*, dicere, ducere.

40. Non. *Senecta* pro Senectute.

XLI.

In medium Chremes, in summum irę Dæmenetus.

XLII.

Aquam te in animo habere intercutem.

XLIII.

Quare pro facie, pro statura status.

XLIV.

..... Quæque aspectu sunt spurca et odore.

XLV.

Fulmentas eis atque æneis subcudere.

XLVI.

Nec par vocat ullo pretio.

XLVII.

Conjice te intro, ac bono animo es.

XLVIII.

Nihil parvi ac pensi, uti littera doceas lutum.

XLIX.

Hymnis ego animum sic induco, quod tu ab insano auferas.

EX LIBRO XXIX SATIRARUM.

I.

.... Hoc cùm feceris,
Cum cæteris reus una tradetur Lupo:
Non aderit: ἄρχαις hominem et ϛοιχείοις simul.
Privabit, cùm igni et aqua interdixerit, duo
Στοιχεῖα habet, id maluerit: privatis tamen.

41. Nonius: *Ire* est ambulare.

42. Nonius: *Aqua intercus* hydropum morbus: quasi aqua inter cutem.

43. Nonius: *Statura*, gener. fem.

44. Nonius: *Spurcum*, fetidum.

45. Nonius: *Fulmenta*, feminino.

46. Nonius: *Pretium* dicitur, quod re emptà datur.

47. Nonius: *Es*, pro esto.

48. Nonius: *Pensum* significat exæquatum, quòd sine inclinatione sunt, quæ penduntur.

49. Nonius: *Inducere*, persuadere.

1. Probus, in Virgilii eclog. VI: Si ergo cœlum pro igni acceperimus, superest in eo quod ait: *Spiritus intus alit*, aërem dictum præsuma-

II.

Habeasque animo mihi admodum caussam gravem
Fore, quæ me ab ullo commodo abducat tuo.

III.

Qui mihi quantum est inter humanum genus
Rerum, quod inter se conjungat, communicat.

IV.

Apoll' st nomen, qui te antiquis non sinet
Deliciis maculam atque ignominiam imponere.

V.

Dejerat enim scripsisse, et post non scriptorum redi in consortionem.

VI.

Si Socrates in amore, et adolescentulis meliore paulo facie signat, nihilque amaret.

VII.

Et amabat omnes: nam discrimen non facit, neque signat linea alba.

VIII.

.... Tu quid iræ indulges nimis?
Manus a muliere abstinere melius est.

IX.

Prius non tollas, quàm Tullî animum ex nomine, atque hominem ipsum interfeceris.

X.

Amicos hodie cum improbo illo audivimus
Lucilio advocasse.

mus. Hic est etiam, qui nobis vivendi spiritum ac commeatum largitur. Hoc illum et Ennius appellavit in Annalibus: item Lucilius in XXIX satirarum: *Hoc cùm feceris, etc.*

2. Nonius: *Grave*, necessarium.

3. Nonius: *Conjungere*, copulare, dictum est a jugo.

4. Nonius: *Ignominia* est nominis nota.

5. Nonius: *Consortio*, feminin.

6. Nonius: *Signare* est designare, ostendere.

7. Nonius: *Discrimen*, separatio, a discernendo. Idem: *Signare*, discernere, separare.

8. Nonius: *Indulgere*, augere.

9. Nonius: *Interficere*, occidere.

10. Nonius: *Advocasse*, provocasse.

XI.

Præterea ut nostris animos attendere dictis,
Atque adhibere velis.

XII.

Hic corpus solidum invenies, hîc stare papillas
Pectore marmoreo.

XIII.

Sic, inquam, veteratorem illum, vetulum lupum
Annibalem acceptum.

XIV.

At non sunt similes, neque dant: quid, si dare vellent;
Acciperesne? doce.

XV.

Cum manicis, catulo, collarique, ut fugitivum
Deportem.

XVI.

Quiete poscente minus, et præbent rectius multo,
Et sine flagitio.

XVII.

Si retinere hunc voles, si longius te producturum, et diutius.

XVIII.

Cohibet et domi mœstus se Albinus; repudium quòd filiæ remisit.

XIX.

.... Ventrem alienum
Mœstum fovere ex molito hordeo, uti cataplasmo.

XX.

Certum scio esse ita, ut dicis: nam mihi erant de illo explorata omnia.

11. Nonius: *Attendere*, intendere.

12. Nonius: *Stare*, erigi, prominere.

13. Nonius: *Accipere*, decipere.

14. Nonius: *Docere*, dicere.

15. Nonius: *Collare*, est vinculi genus, quo collum astringitur.

16. Non. *Flagitium*, periculum.

17. Nonius: *Producere*, dicitur longius ducere.

18. Nonius: *Mœstum*, triste, miserandum. Idem: *Remissum*, missum.

19. Nonius: *Mœstum*, enectum fame. Idem: *Fovere*, est nutrire, provehere.

20. Nonius: *Explorare*, probare.

XXI.

Aetatem tibi istuc laturam, et bellum, si hoc bellum putat.

XXII.

Primum ex advorso, si quod est cœnaculum,
Quo recipiat te.

XXIII.

.... Gymnasioque,
Ut schema antiquo spectatores retineres.

XXIV.

.... Ubi erat scopus
Ejicere istum abs te, quàm primum et perdere amorem.

XXV.

Hic me ubi videt, subblauditur, palpatur, caput scabit, pedes legit.

XXVI.

Quid mihi proderit, quem satias jam omuium rerum tcuet?

XXVII.

Nuuc tu contra venis, vel qui in nuptiis, vel se seneces, nec sine pernicie.

XXVIII.

Perge amabo, ac, si potes, face dignam me ut vobis putem.

XXIX.

Hoc invenisset uuum ad morbum homini illum vel bellissimum.

XXX.

Hæc est ratio: perversa æra: summa et subducta improbe.

XXXI.

Eodem uno hi modo rationes subduceut suas.

XXXII.

Age nunc summam sumptus ducatque æris simul atque alieui.

21. Nonius: *Bellum*, melius, elegans, prudens.

22. Nonius: *Recipere*, revocare.

23. Nonius: *Schema*, neutro gen.

24. Nonius: *Ejectum*, exclusum.

25. Nonius: *Palpatur*, pro palpat. Festus: *Pedes* dicuntur, quos diminutive dicimus pediculos.

26. Nonius: *Satias*, pro satietas.

27. Nonius: *Pernicies*, periculum, exitium.

28. Nonius: *Putare*, æstimare.

29. Nonius, *Vel*, pro etiam.

30. Nonius: *Aera*, numeri nota.

31. Non. *Subducere*, supputare.

32. Id. *Ducere*, volvere, pertrectare.

XXXIII.

Tyroneo et non mortifero affectus vomica, et vulnere.

XXXIV.

Magno, et non magnâ mercede, magno quidem conduxeris.

XXXV.

In mellis spem esse omnem, quovis possem emungi volo.

XXXVI.

Non rediret ad se, atque illam exterminaret miseram.

XXXVII.

Nato quid actum est? depilati omnes sumus.

XXXVIII.

Dividant, differant, dissipent, distrahant.

XXXIX.

Colligere auxilium, tametsi est indignum ut feram.

XL.

Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

XLI.

Ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.

XLII.

Vos interea lumen auferte, atque aulæa obducite.

XLIII.

Quod te intromisi, gratiam referat mihi.

XLIV.

Tum illud epiphoni, quod etiam tum nobile est.

XLV.

Crus lapide, nihil est, credam, si te offenderit.

33. Nonius: *Vomica*, concava loca, vetustate exesa.

34. Nonius: *Conducere*, est sicuti usu.

35. Nonius: *Emungi*, manifestâ significatione manat.

36. Nonius: *Exterminatum*, est extra terminos missum.

37. Nonius: *Depilati*, dictum rarefacti.

38. Non. *Distrahere*, est vendere.

39. Nonius: *Ferre*, afferre.

40. Nonius: *Favitorem*, fautorem.

41. Nonius: *Offerre*, afferre.

42. Nonius: *Obducere*, aperire.

43. Nonius: *Referre*, reddere.

44. Nonius: *Nobilis* dicitur et notus.

45. Nonius; *Offendere*, est percutere.

XLVI.

Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

XLVII.

Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.

XLVIII.

Hyemem unamquamque carpam.

XLIX.

Pluteos excutit, tectaque et testudines reddit.

L.

Adde alios omnes meo periclo ex ordine.

LI.

Paulisper cui me dem, edet hæc se, ut polypus ipsa.

LII.

Surge, mulier, ducito filum non malum.

LIII.

Cùm ipsi in locum descendant, cùm alios detrahant.

LIV.

Huc, alio cùm iter haberet, præteriens venit.

LV.

Quid? quas partiret ipse pro doctrina boni?

LVI.

Ut si quod concupisset, non aptus.

LVII.

Nec ventorum flamina flando suda secundent.

LVIII.

Unde domum vix redeat, vixque hoc exuat se.

46. Nonius: *Anceps*, duplex.

47. Nonius: *Anceps*, acutum ex utraque parte.

48. Nonius: *Carpere*, celeriter præterire.

49. Nonius: *Reddere*, facere.

50. Nonius: *Periculum*, est salutis discrimen.

51. Nonius: *Polypus*, generis feminini.

52. Non. *Filum*, oris lineamentum.

53. Nonius: *Detrahere*, extrahere.

54. Nonius: *Habere*, dirigere.

55. Nonius: *Partiret*, pro partiretur.

56. Nonius: *Aptus*, significat adeptus.

57. Nonius: *Sudum* dicitur, quasi semiudum, ut est aër post pluvias serenus, et liquidus.

58. Nonius: *Exui*, liberari.

LIX.

Urget gravedo sæpius culpa tua.

LX.

Deletionem nostri ad unum exercitus.

LXI.

Detrusus tota, vi dejectusque Italiâ.

LXII.

Hoc tum ille habebat, et fere omnem Apuliam.

LXIII.

Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

LXIV.

Deum rixa vertat verba obscœna.

LXV.

Habes omnem rem : timeo ne accuser.

LXVI.

Insulta miserum te quoque in me.

LXVII.

Primum Chrysi cùm negat signatam reddere.

LXVIII.

Supplantare aiunt, Græci ὑποσκελίζειν dicunt.

LXIX.

Dissociat atque omnia, ac nefantia.

LXX.

Quis tu homo es? Nemo sum homo.

59. Nonius: *Urgere*, est premere, cogere.

60. Nonius: *Deletio.*

61. Nonius: *Dejicere*, præcipitare.

62. Nonius: *Habere*, tenere, occupare.

63. Nonius: *Exordium*, est initium.

64. Nonius: *Obscœnum*, vitabile.

65. Nonius: *Habere*, audire.

66. Nonius: *Insultare*, injuriosius aliquid dicere.

67. Nonius: *Signatam*, integram virginem vetustas voluit dicere.

68. *Supplantare* dictum est, quasi pedem supponere.

69. Nonius: *Nefantia*, pro nefanda.

70. Charisius, lib. I: *Nemo* in homine proprium est; quia significat, ne homo. Antiqui et pro nullo posuerunt; ideoque *nemo* dicentes quasi minus significarent, et *homo* addebant, ut Terent. *Numquis hîc me sequitur? Nemo homo est.* Et Lucilius, XXIX, *nemo est.* Ideo dixit: *Quis tu homo es? Nemo sum homo.*

EX LIBRO XXX SATIRARUM.

I.

Illo quid fiat Lamia, et Pytho oxyodontes,
Quod veniunt genuæ illæ, vetulæ, improbæ, ineptæ.

II.

. . . . Leonem
Aegrotum ac lassum.

III.

Deductâ tunc voce leo: cur tu ipsa venire
Non vis huc?

IV.

Quid sibi vult? quare fit? ut intro versus, et ad te
Spectent, atque ferant vestigia se omnia prorsus.

V.

Scito etenim bene longinquum mortalibu' morbum
In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

VI.

Cui vultu ac facie, ludo, ac sermonibu' nostris
Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

VII.

Tunc jugo jungas me ante? et succedere aratro
Invitum, et glebas subigas proscindere ferro?

VIII.

Continuo, simul ac paullo vehementius aura
Inflarit, fluctus erexerit; extuleritque.

1. Nonius: *Genuæ*, gulosi.

2. Nonius: *Lassum* dicitur fatigatum.

3. Nonius: *Deductum*, diminutum, suppressum.

4. Nonius: *Spectare*, dirigere. Idem: *Ferre*, dirigere, ducere.

5. Nonius: *Invitare* significat repleri.

6. Nonius: *Pretium*, pro præmio. Idem: *Honor*, præmium.

7. Nonius: *Subigere*, cogere.

8. Nonius: Efferre, erigere, levare.

IX.

Omnia tumendo mucro videas fervente micare.

X.

.... An ego te acrem atque animosam;
Thessalam ut indomitam frenis subigam ante domemque
Bellando.

XI.

Aut cùm iter est aliquo, et caussam commentavi,
Ut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

XII.

Improbior multo, quàm de quo diximus ante:
Quanto blandior, hoc tanto vehementiu' mordet.

XIII.

Qui non exspectans, spectandi studio, sed hominis tetri impulsu ingressus.

XIV.

Sperans ætate eamdem hæc proferre potesset
Mansum ex ore daturum.

XV.

.... Sic ubi ab aureis
Fama tuam pugnam claram allatam dicasset.

XVI.

.... Curare domi sint
Gerdius, ancillæ, pueri, zonariu', textor.

XVII.

Cui ubi deciminutia meæ epiteginæ appepeli longe opera ante alia omnia.

9. Nonius: *Micare*, per vices sine ordine movere.

10. Nonius: *Anima* iterum significat iracundum, vel furiosum: unde et animosi dicuntur iracundi. Idem: *Subigere*, molliri vel exercere.

11. Nonius: *Apud*, ad. — Sic Juven. sat VI:

Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.

12. Nonius: *Improbum*, sævum.

13. Nonius: *Tetrum* dicitur illuviosum, fœtidum.

14. Nonius: *Mansum*, mandendum aut mansatum.

15. Nonius: *Dicare*, indicare, nuntiare.

16. Nonius: *Gerdius*. Glossarium: Γέρδιος ὑφαντὴς, textor.

17. Nonius: *Longe*, etiam valde.

XVIII.

Quin totum purges, debelles me atque deaures, exsultes, sollicites.

XIX.

Maximu' si argenti sexcentûm, ac mille reliquit
Imberbi androgyni, barbato mœchocinædo.

XX.

Quid vero est, centum ac ducentûm possideas si
millium?

XXI.

Omnia alia, in quibus efferimur rebus, ne ego multis loquar.

XXII.

.... Quid quærimus acre
Inductum cantu, custoditum.

XXIII.

Hic ut muscipula contenta, ut scorpiu' caudâ
Sublatâ.

XXIV.

Quantasque modo ærumnas, quantosque labores
Exanclaris.

XXV.

.... Ut pecudem te asinumque, ut denique nasci
Præstiterit.

XXVI.

Hic in stercore humi, fabulisque, fimo, atque sucerdis.

XXVII.

Deblaterat plenus, bonu' rusticu' concinit una.

XXVIII.

Quantum haurire animus Musarum e fontibu' gestit.

18. Nonius: *Exsultare*, est gestu, vel dictu injuriam facere.

19. Nonius: *Sexcentûm:* pro sexcentorum. Idem: *Imberbi*, pro imberbo.

20. Nonius: *Ducentûm*, pro ducentorum.

21. Nonius: *Efferre*, extollere.

22. Nonius: *Induci*, est aliquibus fallaciis decipi.

23. Nonius: *Tenta*, dictum pro extensa.

24. Nonius: *Exanclare*, etiam significat perpeti.

25. Nonius: *Præstat*, utile est.

26. Nonius: *Sucerdæ*.

27. Nonius: *Deblaterare*, est obloqui, confingere.

28. Nonius: *Haurire*, exhaurire, implere. Idem: *Gestire*, cupere.

XXIX.

Et sola ex multis nunc nostra poëmata ferri.

XXX.

Nunc Caî quoniam incilans nos lædi' vicissim.

XXXI.

Et sua perciperet retro relicta jacere.

XXXII.

Cùm me hoc tempore nugator cognoscere non vis.

XXXIII.

Summatim tamen experiar rescribere paucis.

XXXIV.

Idque tuis sævis factis, et tristibu' dictis.

XXXV.

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.

XXXVI.

Si liceat facere, atque hoc versibu' reddere, quod do.

XXXVII.

Sicuti te, quia ea, quæ speciem vitæ putamus esse.

XXXVIII.

Secus cum e medio ac ludo bene potu' recessit.

XXXIX.

Calvu' Palatina, vir nobilis, ac bonu' bello.

XL.

Et sævo, ac duro in bello multo optimus hostis.

XLI.

Quod tuas laudes culpas, non proficis hilum.

29. Nonius: *Ferre*, laudare.

30. Nonius: *Incilare*, est increpare vel improbare.

31. N. *Jacet*, sordet, nec lætus est.

32. Nonius: *Nugator*, turbator.

33. Nonius: *Experiri*, tentare.

34. Nonius: *Sævum*, durum. Idem: *Triste*, crudele, immite.

35. Priscianus, lib. VI: *Nemo* quoque, sive ex hoc compositum, ut quibusdam videtur, seu non, communis est generis, et similiter *o* in *i* convertit in genitivo, ut *nemo*, *neminis*. Nonius: *Neminis*, positum pro nullius.

36. Nonius: *Da*, dic.

37. Nonius: *Speciem*, specimen vel exemplar.

38. Nonius: *Potus*, a bibendo.

39. Nonius: *Bonus* et fortis et pius dici potest.

40. Nonius: *Sævum* dicitur immite. Idem: *Durus*, nocens.

41. Non. *Hilum*, breve quoddam.

XLII.

Sed tamen hoc dicas, quid est, si nenu molestum est?

XLIII.

Lanæ opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

XLIV.

Planta una est pedibus cariosis mensulibano.

XLV.

Non datur; admittit nemo; nec vivere ducunt.

XLVI.

Cuja opera Troginu' calix per castra cluebat.

XLVII.

Gratia habetur utrisque illis quæ sibi quæ simitu.

XLVIII.

Culcitulæ accedunt privæ centonibu' binis.

XLIX.

Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar, atque voluter?

L.

Quid servas, quo eam, quid agam? quid id attinet ad te?

LI.

Quid dare, quid sumpti facere, ac præbere potisset.

LII.

Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.

LIII.

Gaudes, cùm de me ista foris sermonibu' differs.

LIV.

Et maledicendo multis sermonibu' differs.

42. Nonius: *Nenu*, pro non.

43. Nonius: *Cædere*, consumere. Idem: *Pallorem*, vetustatem, negligentiam.

44. Nonius: *Caries* est vetustas. — *Mensulibano.* Forte, *mensa libano*, vel *mensa Liboni.*

45. N. *Ducere*, existimare, judicare.

46. Nonius: *Cuja*, pro cujus. Idem: *Cluet*, nominatur.

47. Nonius: *Simitu*, pro simul.

48. Nonius: *Primum*, est proprium uniuscujusque.

49. Non. *Volutari* dicitur volvi.

50. Nonius: *Servare*, sollicite et suspiciose observare.

51. Nonius: *Sumpti*, pro sumptus.

52. Nonius: *Manicæ*, quibus manus vinciuntur.

53. Id. *Differre*, diffamare, divulgare.

54. Nonius: *Differre*, dividere, vel scindere.

LV.

Hæc dum me insimulas, nonne ante in corde volutas?

LVI.

Ipso cum domino calce omnes excutiamus.

LVII.

Ut semel in cœli pugnas te invadere vidi.

LVIII.

Virtutis hæc tuæ artis monumenta locantur.

LIX.

His te versibus interea contentu' teneto.

LX.

Producunt me ad te, tibi me hæc ostendere cogunt.

LXI.

Quanti nos faciant socii, cùm parcere possunt.

LXII.

Et virtute tuâ, et claris conducere chartis.

LXIII.

Quod sua committunt mortali claustra Camœnæ.

LXIV.

Hoc etiam accipe quod dico: nam pertinet ad rem.

LXV.

Publicâ lege ut mereas, præsto est tibi Quæstor.

LXVI.

Accipiunt leges, populus quîbu' legibus exlex.

LXVII.

Aut operatu' aliquo in celebri cum æqualibu' fano.

55. Nonius: *Volutare*, cognitione perquirere.

56. Nonius: *Excutere*, excludere, dejicere.

57. Nonius: *Invadere*, est appetenter incipere.

58. Nonius: *Locare*, constituere.

59. Nonius: *Contentus* dicitur, cui res etiam parva abunde est.

60. Nonius: *Producere*, foras ducere.

61. Nonius: *Parcere*, est veniam dare.

62. Non. *Conducere*, convertere.

63. Nonius: *Committere*, credere.

64. Nonius: *Accipere*, audire.

65. Nonius: *Meret*, pro meretur.

66. Nonius: *Exlex*, est qui sine lege vivit.

67. Nonius: *Operari*, est Deos religiose, et cum summa veneratione sacrificiis litare, vel convivari.

LXVIII.

Quem scis scire tuas omnes maculasque, notasque.

LXIX.

Hæc vestimentis maculosis tum aspicit ipse.

LXX.

Quem sumptum facis in lustris, circum oppida lustrans.

LXXI.

Juratam se uni, cui sit data deque dicata.

LXXII.

Præservit, labra delicit, delinit odore.

LXXIII.

Sensu nutricatum sane caput obruit ipse.

LXXIV.

Euplocamo digitis, discerniculumque capillo.

LXXV.

Et circum volitant ficedulæ, turdi, curatus coci.

LXXVI.

Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo?

LXXVII.

Nolito, tibi me maledicere posse, putare.

LXXVIII.

Tristem, et corruptum scabie, et porrigini' plenum

LXXIX.

Quæ quondam populi oris aures, pectora rumpit.

LXXX.

Nemo istum ventrem pertundet, delicet uti, atque videbis.

68. Nonius: *Macula*, turpitudo.

69. Nonius: *Maculosum*, sordidum, immundum.

70. Nonius: *Lustrari*, dicimus et scortari, a lustris.

71. Nonius: *Dicare*, tradere.

72. Nonius: *Delinitus*, delectatus.

73. Nonius: *Nutricatur*, pro nutricat.

74. Nonius: *Discerniculum*, acus quæ capillos mulierum ante frontem dividit, dictum a discernendo.

75. Nonius: *Curatum*, cum delectu apparatum.

76. Nonius: *Trepidare*, metuere.

77. Nonius: *Nolito*, pro noli.

78. Nonius: *Porrigo*, morbi genus.

79. Nonius: *Rumpere*, defatigare.

80. Nonius: *Delica*, est aperi et explana.

LXXXI.

Hoc missum facies, illo me utere libente.

LXXXII.

Sublatus pudor omni', licentia, fenu' refertur.

LXXXIII.

Et illud quoque mite malum, blandum atque dolosum.

LXXXIV.

Contra hæc invitasse, aut instigasse videntur.

LXXXV.

Omnes formosi, fortes, tibi ergo improbus esto.

LXXXVI.

Vir mare metitur magnum, et se fluctibu' tradit.

LXXXVII.

Quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis.

LXXXVIII.

Et mutoni' manum perscribere posse tagacem.

LXXXIX.

Nonnunquam dabit ipsa ætas, quod possit habendo.

XC.

Inde canino ritu oculisque involem.

XCI.

Multis inductis sermonibu' concelebrarunt.

81. Nonius: *Mittere*, omittere.

82. Nonius: *Sublatum*, dicimus remotum.

83. Nonius: *Mitis*, tranquillus et lenis.

84. Nonius: *Invitare*, apertam habet significantiam.

85. Nonius: *Fortis*, etiam dives. Idem: *Improbum*, turpe.

86. Nonius: *Metiri*, est transmeare.

87. Priscianus, lib. IX: *Perolesse*, pro perolevisse.

88. Festus: *Tagax*, furunculus a tangendo dictus, cujus vocabuli Lucilius meminit: *Et mutoni' manum, etc.* Nonius: *Tangere*, est circumvenire.

89. Servius, lib. II Georg. ad illud Virgilii:

Et quos aut pecori malint submittere habendo.

id quod habetur, ut Lucilius in XXX: *Nonnunquam dabit, etc.* Jun. Philargyrius.

90. Nonius: *Involare*, est irruere, insilire, aut a volatu, aut a vola, id est, mediâ manu dictum.

91. Nonius: *Concelebrare*, diu amare, dictum a celebritate.

XCII.

Insperato abiit, quem unâ angina abstulit horâ.

XCIII.

Unus consternit nobis vetu' restibus aptus.

XCIV.

Neu quis te ignoret famulis subducere.

XCV.

Quòdque adeo fuerint, qui temnere superbum.

XCVI.

Præstringatque oculorum aciem splendore micanti.

XCVII.

.... Ruis hæc, et colligis omnia furtim.

XCVIII.

.... Quandoque ex pectore cessit.

XCIX.

.... Neque barbam immiseris istam.

C.

.... Conficit ipse, comestque.

EPODIS HYMNIS.

I.

Sine eugio ac destina.

SERRANO.

I.

Cœli nomine et salis fretus.

92. Nonius: *Angina*, genus morbi, eo quòd angat.

93. Nonius: *Aptum*, rursus connexum et colligatum significat.

94. Nonius: *Subducere*, est surripere.

95. Non. *Temnere*, contemnere.

96. Nonius: *Præstringere*, dictum est valde stringere, et claudere.

97. Nonius: *Ruere*, irruere sine cautela. Idem: *Colligere*, auferre.

98. Nonius: *Cedere*, significat secundum consuetudinem abire superatum, et locum victori dare.

99. Nonius: *Immittere*, dimittere ad prolixitatem.

100. Nonius: *Comest*, pro comedit.

1. Nonius: *Eugium*, media pars inter naturalia muliebria.

1. Nonius: *Fretus*, masculini generis.

NUMMULARIA COMOEDIA.

I.

Nescio quorsum mihi eveniunt tua verba tam delenifica.

II.

Porphyrion in Artem Poëticam Horatii : Pythias persona comica in comœdia Lucilii : quæ inducitur per astutias accipere argentum a Simone domino suo in dotem suæ filiæ.

FRAGMENTORUM FRAGMENTA.

SUPERIORIBUS ADDENDA.

I.

.... Sanctu' Serapis,
